



Acerca de este libro

Esta es una copia digital de un libro que, durante generaciones, se ha conservado en las estanterías de una biblioteca, hasta que Google ha decidido escanearlo como parte de un proyecto que pretende que sea posible descubrir en línea libros de todo el mundo.

Ha sobrevivido tantos años como para que los derechos de autor hayan expirado y el libro pase a ser de dominio público. El que un libro sea de dominio público significa que nunca ha estado protegido por derechos de autor, o bien que el período legal de estos derechos ya ha expirado. Es posible que una misma obra sea de dominio público en unos países y, sin embargo, no lo sea en otros. Los libros de dominio público son nuestras puertas hacia el pasado, suponen un patrimonio histórico, cultural y de conocimientos que, a menudo, resulta difícil de descubrir.

Todas las anotaciones, marcas y otras señales en los márgenes que estén presentes en el volumen original aparecerán también en este archivo como testimonio del largo viaje que el libro ha recorrido desde el editor hasta la biblioteca y, finalmente, hasta usted.

Normas de uso

Google se enorgullece de poder colaborar con distintas bibliotecas para digitalizar los materiales de dominio público a fin de hacerlos accesibles a todo el mundo. Los libros de dominio público son patrimonio de todos, nosotros somos sus humildes guardianes. No obstante, se trata de un trabajo caro. Por este motivo, y para poder ofrecer este recurso, hemos tomado medidas para evitar que se produzca un abuso por parte de terceros con fines comerciales, y hemos incluido restricciones técnicas sobre las solicitudes automatizadas.

Asimismo, le pedimos que:

- + *Haga un uso exclusivamente no comercial de estos archivos* Hemos diseñado la Búsqueda de libros de Google para el uso de particulares; como tal, le pedimos que utilice estos archivos con fines personales, y no comerciales.
- + *No envíe solicitudes automatizadas* Por favor, no envíe solicitudes automatizadas de ningún tipo al sistema de Google. Si está llevando a cabo una investigación sobre traducción automática, reconocimiento óptico de caracteres u otros campos para los que resulte útil disfrutar de acceso a una gran cantidad de texto, por favor, envíenos un mensaje. Fomentamos el uso de materiales de dominio público con estos propósitos y seguro que podremos ayudarle.
- + *Conserve la atribución* La filigrana de Google que verá en todos los archivos es fundamental para informar a los usuarios sobre este proyecto y ayudarles a encontrar materiales adicionales en la Búsqueda de libros de Google. Por favor, no la elimine.
- + *Manténgase siempre dentro de la legalidad* Sea cual sea el uso que haga de estos materiales, recuerde que es responsable de asegurarse de que todo lo que hace es legal. No dé por sentado que, por el hecho de que una obra se considere de dominio público para los usuarios de los Estados Unidos, lo será también para los usuarios de otros países. La legislación sobre derechos de autor varía de un país a otro, y no podemos facilitar información sobre si está permitido un uso específico de algún libro. Por favor, no suponga que la aparición de un libro en nuestro programa significa que se puede utilizar de igual manera en todo el mundo. La responsabilidad ante la infracción de los derechos de autor puede ser muy grave.

Acerca de la Búsqueda de libros de Google

El objetivo de Google consiste en organizar información procedente de todo el mundo y hacerla accesible y útil de forma universal. El programa de Búsqueda de libros de Google ayuda a los lectores a descubrir los libros de todo el mundo a la vez que ayuda a autores y editores a llegar a nuevas audiencias. Podrá realizar búsquedas en el texto completo de este libro en la web, en la página <http://books.google.com>

FREDERICI ADOLPHI VAN DER MARCK, JCI

ET PROF. JUR. PUBL. NAT. ET GENT. ORD.

LECTIONES
ACADEMICAE,

QUIBUS

SELECTA PHILOSOPHIAE PRACTICAE
JURISQUE NATURAE CAPITA ET
PRAECIPUE OFFICIA ERGA DEUM
PERTRACTANTUR.



G R O N I N G A E,

Apud HAJONEM SPANDAW, Bibliopolam. 1771.



THE UNIVERSITY OF CHICAGO

PHYSICS DEPARTMENT

REPORT

ON THE

PHENOMENON

OF THE

DIFFUSION

OF

THE



BY

THE

PHYSICS DEPARTMENT

PIO ET ERUDITO LECTORI

S. P. D.

F. A. VAN DER MARCK.

Vile calumniatorum genus generoso animo aspernatus, inconditam injurarumque plenam, quam ob meam Juris Naturae docendi rationem subire debui, censuram haud commemorabo, ratus, causam meam fatis integram servatum iri, hasce edendo Lectiones. Quae si Tibi, *benevole Lector*, placuerint, forsan propediem *alterum*, quem paravi, Lectionum mearum tomum in lucem emittam, quo praecipua Juris *Eccllesiastici* capita conspicienda dabo: addito adhuc *tertio*, si vita suppetat, Lectionum fasciculo, in quem ea, quae

* 2

ad

ad Politicam spectant, congeram. Quam
vero ego, ut incomparabilis Grotii ver-
bis ex Proleg. J. B. et P. utar, in ali-
orum sententiis ac scriptis dijudicandis mi-
hi sumsi libertatem, eandem sibi in me
sumant, omnes eos oro atque obtestor,
quorum in manus ista venient. Non illi
promptius me monebunt errantem, quam
ego monentes sequar. Aliorum autem
meris vociferationibus, sana mente cas-
sis, aurem non praebebo facilem, sed
horum gerras inter aniles rudis plebe-
culae fabellas referam. Tu interim,
ingenue Lector, meis utere, prout maxi-
me Tibi commodum fuerit, summam-
que Divini Juris Naturae praestantiam
pro amplificanda generis humani salute
tueri strenue adjuva. Vale. Dab. Gro-
ningae D. xxix. April MDCCLXXI.

INDEX LECTIONUM,

Quae hoc fasciculo continentur.

I.	
D e Ratione humana a non-usu et abusu ad rectum ejus usum reducenda.	Pag. 1.
II.	
De perfruitione Summi Boni.	15.
III.	
De fine creationis ultimo et officiis hominum quoad diligendos se invicem inde oriundis	28.
IV.	
De obligatione activa.	40.
V.	
De Lege Naturae et inde oriunda obligatione passiva.	52.
VI.	
De principio cognoscendi Legem Naturae.	70.
VII.	
De Moralitate interna.	86.
VIII.	
De Limitibus Jurisprudentiae Naturalis per Philosophiam Practicam et Theologiam Chri- stianorum moralem proferendis.	97.
IX.	
De Conscientia.	118.
X.	
De Historia Jurisprudentiae Naturalis quoad officia erga DEUM.	132.
XI.	
De Officiis erga DEUM in disciplina Juris Na- turae.	144.

INDEX: LECTIIONUM.

<i>turae petrastrandis.</i>	155.
XII.	
<i>De vera vivaque DEI Cognitione hominibus comparanda.</i>	169.
XIII.	
<i>Continuatio materiae de vera vivaque DEI Cognitione.</i>	183.
XIV.	
<i>Continuatio materiae de vera vivaque DEI Cognitione.</i>	
XV.	
<i>De Amore in DEUM.</i>	207.
XVI.	
<i>De Timore DEI filiali atque de Fiducia in DEUM et Adquiescentia in Providentia Divina.</i>	223.
XVII.	
<i>De Reverentia DEO exhibenda.</i>	239.
XVIII.	
<i>De Celebratione nominis Divini</i>	251.
XIX.	
<i>De Invocatione DEI et gratiarum actione</i>	265.
XX.	
<i>De Obedientia DEO praestanda.</i>	279.

IN

IN FUGAM VAGUL

Ex Epist. Apost. Jacobi Cap. 3. vs. 3-18. Cap. 4. vs. 11. et 12.

Ecce equis fraena in ora immittimus, ut obediant nobis, et totum corpus eorum circumagimus.

Ecce naves quoque, quum tantae sint et a ventis faevius agantur, circumaguntur a minimo gubernaculo, quocumque libido gubernatoris voluerit.

Ita et lingua pusillum membrum est et magna jactat. Ecce exiguus ignis quantam materiam incendit.

Lingua etiam flamma *est* et mundus iniquitatis: ita, *inquam*, lingua constituta est inter membra nostra, maculans totum corpus, inflammans orbem conditum (*τοῦ τροχῶν τῆς γεινῆς*) et inflammata a gehenna.

Omnis enim natura et ferarum et volucrum, serpentiumque et marinorum, domatur et domita est a natura humana.

Linguae autem nullus hominum domare potest, malum *est*, quod coercere non possis: plena *est* veneno mortifero.

Per ipsam benedicimus DEO et Patri, et per ipsam maledicimus hominibus, qui ad similitudinem DEI conditi sunt:

Ex eodem ore procedit benedictio et maledictio. Non oportet, fratres mei, haec ita fieri.

Nunquid fons ex eodem foramine, manat dulcem et amaram *aquam*.

Nunquid potest, fratres mei, ficus oleas edere aut vitis ficus? Ita nullus fons salum et dulcem aquam *potest* edere.

Quis sapiens et scientia praeditus *est* inter vos? demonstret ex bona conversatione opera sua, cum mansuetudine sapientiae.

Quod

Quod si invidiam amarantam habetis et irritationem in corde vestro, ne gloriamini et ne mendaces estote adversus veritatem.

Non est enim ista sapientia superne descendens, sed terrena, animalis (*ψυχική*), daemoniaca.

Ubi enim invidia est et irritatio, ibi tumultuatio et omne opus pravum.

Quae autem superne est sapientia, primum quidem pura est, deinceps pacifica, moderata, tractabilis, plena misericordiae et fructuum bonorum, absque dijudicatione et sine simulatione (*ἀδιακριτος καὶ ἀνυποκρίτος*).

Fructus autem justitiae cum pace feritur pacificis.

Ne alii adversus alios loquimini fratres: qui loquitur contra fratrem, quique damnat fratrem suum, loquitur contra Legem et damnat Legem: quodsi damnas Legem, non es observator Legis, sed iudex.

Unus est Legislatores, qui potest servare et perdere: tu qui es, qui iudicas alium?

Est versio THEOD. BEZAE.

L E C



L E C T I O I.

*De Ratione humana a non-usu et abusu
ad rectum ejus usum reducenda.*

Mira res est, quod, cum non desint hodie, nec defuerint quondam, qui Rationem humanam corruptam et fallibilem esse clamitant, nihilominus aegre ferant, si alii ipsis nomen *irrationalium* inponunt: manifesto sane argumento, quod, dum ipsimet *irrationales* audire nolunt, sed potius sententiam suam, qua Rationis humanae fallibilitatem adstruunt, multis adhuc rationibus stabilire conantur, sibi met ipsis repugnent.

Etenim si Ratio humana ab omni errore immunis haud esset, qua tum, quaeso, ratione unquam de veritate quis convictus esse posset? Cui usui nobis tum foret Lex Naturae, si mentem Legis Divinae perspicere, nobis non detur? At si ratio nostra nos falleret, ipsa Lex rationis fallacias quoque nobis inponeret, et sic nemo rationalium inde obligari posset, nisi verum bonum à bono adparente, verumque malum à malo

A

ad-

LECTIO I.

adparenter, tali per rationem nostram recte discernere valeamus. Ratio fallax profecto non est ratio, sed illi hujus nomen per abusum tribuitur, quemadmodum Licentia sibi aliquando nomen sumit Libertatis.

In nostra autem Divini Juris Naturæ disciplina plurimum refert, ut ab ejusmodi confusis rerum moralium mixturis cautius abstineamus, nec abusum facultatum nostrarum eum recto earundem usui confundamus, et sic ipsam Legem naturæ Divinam ex factis hominum illicitis dijudicemus. Hoc enim si fecerimus, omnia ad eo incerta erunt, ut ima misceantur supremis, et meras introducatur Scepticismus, quo nihil est saluti generis humani perniciosius. Incerta quippe et fallax si esset ratio humana, etiam obligatio nostra, quam ex Lege naturæ derivemus, incerta semper erit et ludicra, ut adeo cum ratione insanire videamur, si jus illud Naturæ hominibus tradamus.

Hoc autem Jus Naturæ si incertum, et obligatio naturalis si fallax sit, cur bono tum, obsecro, nobis erit Divina Revelatio? Et quamnam, amabo vos, mihi tunc unquam demonstrabitis rectam salutis acquirendæ viam? Bone Deus! Numne tum satius esset, ex ordine universi existipari hominem, quam incolam universi agere et tamen fidissimam Rationis ducem sequi non posse, sed eandem suspectam semper et fallacem habere debere. Quo igitur me vertam, nescio. Alii equidem, sed mei aequales, ideoque et corrupta et fallibili ratione decepti, aliam mihi viam ineundi rationem ostendunt

dunt per Divinam Revelationem; sed, ut dixi, et haec fallax est, quamdiu fallaci tantum rationi sese probaverit.

Nisi igitur Divinitatis criteria in Revelatione per incorruptam et infallibilem rationem humanam, ad cuiusvis conscientiam demonstrari queant, profecto ipsa quoque Revelatio hominibus nulli usui esse potest; nam si aliter homo de veritate Revelationis convinci non posset, nisi per novam quandam Revelationem, quorumvis fidelium mentibus inpressam, tum Revelatio per Prophetas et Apostolos generi humano data minime sufficiens foret, ut secundum hanc normam dijudicarentur aliquando omnes, qui sub praedicatione Evangelii vixerunt.

Dignitatem Revelationis itaque parum reverenter tractant, qui tam abjecte de praesentia Rationis humanae sentiunt, cunctaque evertunt inputationis, omnisque proinde moralitatis fundamenta, qui Legem Naturae rationalis haud sufficientem statuunt, ut homo, in quocunque etiam statu et sic quoque in statu Christianismi constitutus, inde suas obligationes cognoscere queat. Sane ipsa S. Scriptura toties commendat cultum Dei *Rationalem*, utpote in *Epist. ad Rom.* cap. 12. vs. 1. Et doctrina CHRISTI *Lac Rationale, quod dolum nescit*, appellatur et *Psalm.* 2. vs. 12.

Qui vero periculosum esse existimant, tantopere extollere Legem Rationis sive ipsius Juris Naturae rationalis et multa hominibus clamant de *insolito Legum Na-*

surallum praeconio, illi sonos edunt mente cassos atque praejudicia fallasque ratiocinationes etiam sub nomine *Rationis* infauste complectantur; ideoque quae Legi Rationis adversantur, ad ipsam *Rationalem Naturam* referunt, et per consequens palam ostendant, se Legem Naturae *humanae*, quae *Rationalis* est, nunquam serio pensitasse. Ex horum igitur vagis opinionibus Divinam definire velle Legem Naturae, multo adhuc ineptius foret, quam anseres inter olores recensere.

Nulla profecto esse potest *Lex moralis*, quae Legibus *physicis* opponitur, absque Ratione et Libertate agentis, seu potius absque *facultate utendi ratione* et *viribus* rationi convenienter vivendi. Furiosum obligare non possumus, si praeter suam culpam furiosus extiterit, nec proinde legem eidem praescribere valemus, quoniam in illum nulla cadit obligatio *activa*, qua bonum et malum ex actione sua secundum legem instituenda aut contra legem perpetranda, consecuturum, sibi repraesentare valeret. Absque hac autem obligatione *activa* non datur *Lex* seu norma agendi, et absque lege non datur obligatio *passiva*.

Quodsi igitur Ratio nostra naturaliter esset corrupta et fallax, aut vires nobis deficerent, Rationi convenienter vivendi, tum ea inpotentia secundum legem naturae *rationalis* agendi, homini *connata*, nos liberaret ab omni obligatione et per consequens etiam ab omni actionis inputatione, et sufficeret, si modo secundum legem naturae *animalis* ageremus, brutis hac in re similes.

les. Quamobrem si homines, et non mera bruta simus, omnes, quicumque generis humani dignitatem, prout par est, tueri volunt, mihi concedere debent, inpotentiam secundum legem naturae *rationalis* agendi, non esse homini *connatam* aut essentialem, sed ex abusu libertatis suae, ideoque ex propria cujusvis culpa *contractam*.

Attamen experientia nos convincit, hominem, ne unum quidem, semper et in omni casu secundum legem naturae *rationalis* vivere et sic vitam perfectam agere moralem, cujus imperfectionis causas in posterum peculiari Lectione, qua *de inpotentia hominis ad consequendum summum bonum et necessitate Revelationis* agam, plenius examinabo.

Hoc loco autem absque ulteriore demonstratione supponere debeo, hominem per legem naturae suae obligatum esse ad rectum rationis usum; ideoque viribus adhuc praeditum esse, nisi easdem propria sua culpa amisserit, legi rationis convenienter vivendi; quas vires autem Rationis cum in omnibus hominibus non aequales experiamur, etiam pro gradu potentiae, quam Auctor Naturae cuiusvis tribuit, differt gradus obligationis et imputationis, ut adeo adolescens, qui nondum est perfectae aetatis, nedum infans recens natus, per eandem legem perfectae rationis obligari nequeat, per quam quidem obligatus fuit *Adamus*, primus noster parens, a Creatore omnibus animi dotibus ornatus et usu sublimioris rationis ditatus. Nos autem nascimur brutis similes; *rationales* quidem audimus, at, dum nascimur,

nondum usu rationis pollemus; potentia tantum instructi, sensim sensimque ad ipsum rationis usum perveniendi; veruntamen actus Rationis nobis, recens natis, deficit. Ergo potentia tantum videmur homines, dum nascimur, sed actu nondum sumus. Danda igitur omnia opera, ut potentiam in actum deducamus, quo a brutis indies magis magisque fecernamur et vitam agamus rationali Naturae consentaneam. Quo autem modo hoc fiat, jam paucis explicandum est.

Hac in re vero ipsam Naturam sequamur oportet: Natura tamen non facit saltum, sed nostra Ratio facultas est, successive cognoscendi; pedetentim igitur et passo gradu a cognitione ad cognitionem progredi debemus, ut indies majorem intellectus perfectionem acquiramus. Quondam disputatum fuit et nostro adhuc aevo disceptatur: *utrum hominis emendatio a voluntate, an autem ab ipsius intellectu inchoetur?* At nescio, quid magis absonum fingi possit, quam emendatam hominis voluntatem adferere, ubi intellectus adhuc absurdissimis obsecratus fuerit praesudicii. *Fanaticorum* haec est pietas, non rationalis Christianorum Religio, qua docent, hominem per *Regenerationem* vivam legum naturalium sive naturae humanae rationalis cognitionem adquirere, ut adeo non opus sit, multo labore intellectum hominis perficere, cum sufficiat, fideles habere *bonam* voluntatem. Veruntamen absurdissima est haec quorundam piorum hominum, vel qui ita sibi videri volunt, opinio, quae dignitati et praestantiae Religionis Christianae maximopere officit. Non dantur quippe

vir-

virtutes morales, et proinde etiam nec virtutes Christianorum, absque virtutibus intellectibus.

Bonam equidem adquirimus voluntatem per *Regenerationem*, ac enim nondum *perfecta* est inde nostra voluntas, sed tantum generaliter determinata ad obediendum DEO; ideoque haec bona voluntas nos impellere debet, ut perquiramus, qua ratione in omni casu et quovis tempore ac in quocunque vitae statu DEO obedientiam praestemus et amemus eum toto corde, totisque viribus et tota anima, faciendo ea, quae DEO placent. Hoc autem fieri profecto nequit, nisi legem DEI, secundum quam nostras instituamus actiones, interdum et noctu contemplemur, omnesque intellectus nostri nervos intendamus, ut inde cognoscamus, quanam sit perfecta DEI voluntas, ne, dum nostris actionibus liberis DEI gloriam illustrare studeamus, intempestivo pomposae pietatis zelo, quasi DEI causam agentes, ipsum feliciorum Jurisprudenciae Naturalis progressum infauste impedire adlaboremus, quasvis diras ejus Doctoribus inprecando, atque sic gloriam DEI, quam amplificare opinamur, per mentis nostrae angustiam oscitanter obscuremus.

Necesse igitur est, ut nostra *bona* voluntas, quae generaliter tantum determinata est ad obediendum Deo, fiat *perfecta* per cognitionem legum, secundum quas nostram DEO praestemus obedientiam. Nonne perquam ridiculum foret in Civitate humana, omni verborum pompa adseverare, se obedientem civem esse et

salutem Reipublicae communem intendere, et tamen continere scientiam legum, quae tanquam media promovendi communem salutem singulis a Superiore praescripta sunt? Eodem etiam modo sese res habet in Civitate DEI, ubi incolae universi delirant, si Supremo Numini suam obedientiam et amorem pollicentur, et tamen tergiversantur, media universi perfectionem promovendi, seu ipsas Naturae Leges, pervestigare, quasi in Religione jam satis esset, prolixioribus verbis bonam suam voluntatem involvere, aut, proclivi nutu, gestu ad gravitatem composito, lento gressu, vultu in terram defixo, voce lamentabili aliisque tragicæ pietatis indicis suam singularitatem ostentare, et reapse nihil quicquam efficere, quod bono Civitatis Divinae communi convenit.

Hoc commune autem universi bonum postulat, ut homines ad rectum rationis usum perducantur in pensandis, ruminandis et distincte cognoscendis officiis, quae homo, in quocunque etiam statu constitutus, DEO, sibi et aliis secundum purissimam naturae legem debet. Intellectus itaque est perficiendus, ut voluntas inde emendetur. Quo autem plura ab homine cognoscuntur et quo majori habitu pollet, veritates cognitae cum aliis communicandi sive easdem distincte demonstrandi, eo perfectior sit noster intellectus; ideoque nulla scientia et nullae elegantiores litterae ab ullo homine rationali contemnendae sunt; praestant enim omnes sibi invicem mutua auxilia et nostra Ratio consistit in perspicientia nexus earundem. Non solum igitur *sublimis*

limiores, quas vocant, disciplinas, quæ usum facultatum animæ superiorum promovent, sed et eae, quas *humaniore*s nuncupant, quæque ad emendationem facultatum animæ inferiorum spectant, graviter excolendæ sunt, ut hæc cum istis in rectum consensum redigamus. Qua de re dignissima est, quæ ab omnibus legatur Cl. GEORGII FRIDERICI MEYERI *Aesthetica*, ne nobis solis vivere videamur, sed apti reddamur, ut etiam profundiores et abstrusas meditationes faciliore et amoeniore methodo cum ipsis quoque semidoctis hominibus communicare easque ad *communem sensum* populariter reducere queamus.

Incolæ enim universi sumus; contemplatio itaque universi et nexus, cui implicati sumus, a nobis exigit, ut perquiramus non solum ea, quæ per suas essentias huic ordini insunt, sed et ea, quæ in eo fiunt atque facta sunt, ut perspicentiam totius nexus adquiramus atque ita demum ad sublimiorem Rationem perveniamus. Omnia inter se cohaerent, res physicae et morales inter se connectuntur; facta etiam hominum mala, quæ DEUS tolerat, ad bonos diriguntur fines. Ubique in subordinatione mediorum ad suos fines conspiciuntur leges agendi. Facultates animæ nostræ inferiores, si facultatibus animæ superioribus, prout par est, inserviant, nos aptos reddunt, ut majorem Rationis gradum adsequamur. Quis igitur tam ignavus incola universi esse vellet, qui non omnem industriam adhiberet, ut, quantum in sua potestate est, ex perspicentia nexus universi suam excoleret Rationem?

Religio Christiana non ignavos facit homines, sed nos potius fortioribus motivis impellit, ut perfecti simus, quemadmodum pater noster coelestis perfectus est, ut adeo nulla detur perfectio, cujus homo capax est, ad quam acquirendam rationalis nostra Religio Christianos non obligaret. Atque in eo dignitas et maxima Religionis Christianae praestantia consistit, quod inde immutabiles Naturae Leges omnesque virtutes ad sublimiorem evebantur gradum. Quod vellem, ut demum omnes Ecclesiae nostrae Doctores perspicacius intelligerent, ne nonnulli contra progressum Juris Naturae amplius murmurarent, sed in propria viscera saevire desinerent. Eo enim usque in omnem aeternitatem progredietur Divinum illud Jus Naturae, quo usque progressus dabitur ad majores continuo perfectiones; hunc autem progressum in infinitum duraturum esse, innumera DEI opera et infinita rerum series abunde ostendunt, ut nullus finis aut terminus sit, quo cognitio nostra subsistere debeat, sed ubique, nunc in hac, et postea in alia vita, ansam habituri simus, ex contemplatione universi adhuc ulterius progrediendi de cognitione ad cognitionem, et de perfectione ad perfectionem, ne nostra felicitas, quae in hoc continuo perfectionum progressu consistit, unquam desinat in omnem aeternitatem.

Nihilominus tamen infinitam perfectionem, cujus natura nostra non est capax, nunquam acquiremus, sed infinito intervallo nostrae perfectiones, licet continuo progressu acquirendae, distabunt a perfectionibus Divinis, quae absolute summae sunt, ut major harum gradus

das concipi nequeat. In DEO quippe non datur successio, sed intellectus Divinus est simultanea omnium repraesentatio possibilium; at nobis intellectus facultas est, successive cognoscendi, unde ex natura nostris intellectus fluit, ut ordo in eodem locum habeat, quo successive repraesentata ita inter se connectantur, ut unum consequatur ex altero. Ergo Ratio nostra certis regulis accommodari debet, quae non arte finguntur, sed per ipsam naturam nostram *rationalem* constituuntur, dummodo ad Rationis nostrae nexum attendamus.

In hoc naturali Rationis nexu evolvendo occupatur methodus *Mathematica*, quam vocamus, aut *Scientifica* sive *Demonstrativa*, quae igitur homini *naturalis* est, et quam tamen multi eruditorum Virorum ferre nequeunt, quoniam verentur, ne elegantiores litterae inde damnum patiantur; hinc et *Logicam* contemnunt, et Sanior Logica non in cavillationibus ediscendis, aut ineptis *Scholasticorum* distinctionibus, vel *Quidditatis*, *Haecceitatis* similibusque nugis, versatur, sed ad rectum Rationis nostrae usum adhibendum nos perducere debet, ut verum a falso distinctius secernere discamus. Quis vero Rationalium non avide cuperet, recto ubique rationis usu pollere, cum hic sublimioris rationis usus non minimam *imaginis Dei* partem in homine efficiat? Et quis crederet; cuncta in Universo secundum certas regulas agere, sed solum hominis intellectum nullis adstrictum esse legibus?

Fines, quos Sapientissimus Univerſi conditor in hoc
ordi-

ordine cuique rei et nostrae quoque Naturae adaptavit, sunt nobis leges agendi; non frustra autem facultas intelligendi nobis data, sed eo fine concessa est, ut facultatem seu potentiam in exercitium deducamus, quo rectus Rationis usus ubique facem nobis praeferat, ne ejus abusu aut non-usu vitam in tenebris trahamus et, sicut pecora, silentio transigamus. Cum recto autem rationis nostrae usu Libertas, aurea illa Libertas, pari passu ambulat, ut, quae tanquam vera cognoscimus, intrepide pronunciemus, nec ab aliorum praejudiciis in transvorsum rapiamur. Sic Philosophus de veritate Systematis *Copernicani* convictus, parum curat, an alter, hujus veritatis ignarus, in eam stricturas vibret; regnum enim veritatum est Isocraticum, ubi Ratio sceptrum teneat singulorumque libertatem et aequalitatem tueatur. Eliminanda autem ex hac feliciore hominum Isocratia quaelibet barbaries, quae neglectui culturae intellectus originem debet; ideoque eruditiores et doctiores Lege Naturae obligantur, ruditatem populi, in hac Isocratia viventis, quantum fieri potest, per aptissima media ad cultiores redigere mentes. Hoc tamen fieri nequit, nisi cuivis competat Libertas sentiendi et, quae sentit, ingenuè dicendi.

Exlex vero nullus est in hac veritatum amplificandarum Isocratia; exlegem enim esse, repugnat naturae hominum *rationali*, sed nemo tamen mortalium in hoc statu regni veritatum Isocratico, in quo Ratio praevaleat et praejudicia, quae mentem de sua sede deturbant, ex illo multentur, alterius potestati humanae est subiectus,

ctus, cum omnes potius soli DEO subditi sint; cui itaque soli aliquando rationes reddere tenentur, an quisque suis animi facultatibus intelligendi recte usus fuerit, nec ne.

Rectum vero intellectus nostri usum aliter dijudicare non possumus, nisi ex fine, ob quem DEUS nobis vires intelligendi largitus fuit. Hicce finis alius esse nequit, quam ipsa contemplatio Universi ac eorum, quae eidem insunt, et in eo fiunt atque facta sunt, quatenus ad nos relationem habent, ut ex hac profundiore contemplatione cognoscamus summas Summi Numinis perfectiones et inde motiva desumamus actionum nostrarum liberarum, quo ex illustratione perfectionum Divinarum felices redamur. Et per consequens perfectio intellectus nostri inserviat perfectioni voluntatis promovendae; ideoque virtutes intellectuales adquirantur, ut inde virtutes morales magis magisque excolantur.

Ex quibus evidentissime patet, neminem viribus intellectus sui recte uti, nisi qui cum iisdem connectat scientiam verae felicitatis suae aliorumque promovendae. Et cum in distincta cognitione *nexus finium* consistat *sapientia*, atque in distincta cognitione *nexus mediorum* sese exferat *prudensia*, facile inde mecum percipietis, omnem nostram scientiam et eruditionem *sapientia* et *prudensia* exornandam esse; omnemque scientiam atque eruditionem, quantacunque etiam videatur, esse stolidam quandam hominum ambitionem, nisi ad praxin vitae moralis et civilis perficiendae aliquid conferat. Et hoc etiam in ipsis Religionis articulis est observandum, qui, quo

quo majorem in pietatem Christianam influxum habent, eo majoris sunt momenti, et quo minorem in eadem promovenda usum praestant, eo minus sunt attendendi.

Quamobrem prudentioribus omnibus ridiculae videri debent Eruditorum quorundam merae speculationes, quarum nullum in vita morali aut civili usum ostendere possunt. Hi viri instar puerorum se gerunt, qui ludicris crepundis tempus fallunt, sed vera rerum peria ignorant. Eruditi solummodo sunt, ut eruditionem ostendant, sed non, ut sapientiores et prudentiores evadant. Quae autem pomposa Eruditio, nisi Legi Naturae, quae *rationalis* est, satis conveniat, vos, etiam me tacente, facile intelligeris.

Non ideo tamen judicia deproperetis, velim; nam multa primo intuitu nobis videntur otiosa, quorum tamen usum fera posteritas penitus perspiciet. Id modo in usu Rationis prudenter secundum Legem Naturae dirigendo observetis, ut aequae ac in rebus naturalibus quoad vitam nostram *physicam*, sic et in disciplinis tractandis quoad vitam nostram *rationalem* et *moralem* res cognitu necessarias rebus cognitu quidem utilibus, sed non adeo necessariis, et hasce utiles rebus cognitu tantum voluptuariis in eartundem collisione praeferatis; ac si omnes simul cognoscere, pro ingenii viribus detur, suasor vobis tunc essem, ut has illis, illasque istis, prout Lex Rationis postulat, omni industria subordinetis atque inter se cuiusvis scientiae et doctrinarum disciplinae feliciter connectatis, quo lumina vestra splendescant per totum terrarum orbem.

L. E.

LECTIO H.

De perfruitione Summi Boni.

Bonum vel in se vel relative spectatur et sic bonitas est vel *absoluta* vel *respectiva*. Bonum autem in se est, quod essentiae suae convenit, et bonum in relatione ad aliud dicitur, quod ad perfectionem alterius quid confert. Utroque sensu DEUS est summe bonus; etenim *priori sensu* si bonum sumamus, DEUS est ens a se et spiritus absolute perfectissimus nullaque re extra se indiget voluptatis percipiendae gratia; cognoscit praeterea semet ipsum et quidem prorsus distincte, cum veritatibus omnibus universalibus; omnem adeo perfectionem possibilem, non modo summam sui ipsius, verum etiam rerum ceterarum omnium quarumcunque simul intuetur. Atque ex hacce distinctissima et certissima summae perfectionis suae cognitione intuitiva DEUS maxima fruitur voluptate, quo major concepi nequit, et quae cum nulla creatura communicari potest. Ergo DEUS in se summe bonus est.

Quodsi jam *posteriori sensu* bonum spectemus in relatione ad aliud, etiam hoc sensu DEUS summe bonus est; etenim DEUS cuique rei extra se existenti tantundem perfectionis seu boni tribuit, quantum salva sapientia sua, id est, in nexu cum ceteris fieri potuit. Quapropter Pfates *David* ex viva huius veritatis cognitione toties et tantopere celebrat DEI bonitatem, quae super
coe-

caelos et terram est. Hanc bonitatem Divinam si altius pensaverimus, in creando, conservando, gubernando, immo quam maxime etiam in redimendo et sanctificando mundo; tunc nemo nostrum erit, qui non summam DEI bonitatem ubique deprehenderit. Singula autem bonitatis Divinae indicia demonstrare, nimis prolixum foret; quamobrem generaliter tantum moneo, DEUM creasse mundum optimum, in quo mala moralia abusu libertatis nostrae in seriem rerum irrepentia DEUS tolerat, sed eadem ad bonos dirigit fines.

Quod vero homines in hoc rerum ordine aliquando, immo saepius sint infelices, id non DEO, sed sibi tribuere debent. DEUS enim voluptatem percipit ex felicitate creaturarum rationalium; ideoque infelicitatem hominum velle nequit. Nec putandum est, quasi DEUS tantum videri velit, ac si nostram desideraret felicitatem, et tamen infelicitatem nostram revera intenderet; nam mala moralia, ob quae infelices reddimur, ex abusu Libertatis nostrae in nos redundant, ideoque hujus infelicitatis culpam in Deum conjicere non debemus; haec culpa est hominum libertate sua abutentium, et inde fons omnis miseriae. Hunc vero abusum libertatis DEUS, creando hominem, libertate praeditum, et proinde potentia abutendi libertate gaudentem, nonnisi per miraculum impedire potuit; quod vero opus non sapientiae Divinae, sed merae potentiae fuisset.

At ne quis haec mea verba in malum detorqueat sensum, admonendum esse duco, me loqui de inpeditione
uni-

universali abusus libertatis totius generis humani, non vero de particulari. Absit autem, ut quis porro ex meis dictis inferat necessitatem mali moralis absolutam; etenim absolute necessarium non est, ut ens ratione et proinde libertate praeditum, contra rationem agat et sic sua libertate abutatur, sed id saltem adferere volui, potentiam abutendi libertate ex limitationibus determinationum hominis essentialium deduci posse; à potentia autem ad aetum non valere consequentiam, omnes norunt. Ideoque, quod DEUS hominem pròduxerit cum potentia abutendi libertate sua, id neququam repugnat bonitati Divinae, prout illi mecum facile perspicient, qui veritates Metaphysicas profundius meditari assueverunt.

Hicce igitur difficultatibus quadantenus remotis, dicendum est, totum rerum ordinem esse plenissimum bonitatis Divinae; est enim speculum perfectionum Divinarum, ex quarum agnitione et pia imitatione perfectiores feddimur, ad exemplar perfectionis Divinae. Quodsi verò omnem bonitatem Divinam per totum hoc universum diffusam perspicere nobis daretur, nullum dubium superesset, tantam esse Divinae bonitatis magnitudinem, ut nihil supra. Quapropter CHRISTUS, cum quis ad eum accederet ipsumque adpellaret Magistrum *bonum*, respondit, neminem esse bonum, nisi unum, nempe DEUM; *quod si vis, ait, ad vitam ingredi, serva mandata.* Math. XIX. vs. 16. et 17.

Summum igitur bonum *objectivum*, praeter DEUM, ens aliud esse nequit; et summum bonum hominis *sub-*
B
jectiv-

gōstivum consistit in ipsius summi boni *objectivi* perfructu-
 nē; fruimur autem hoc summo bono *objectivo*, si DEUM
 imitantur; motiva agendi à perfectionibus Divinis defici-
 endo; tunc enim perfecti erimus, sicut pater noster coe-
 lestis perfectus est. In hac itaque perfructione summi
 boni *objectivi* consistit unio hominis cum ipso DEO, quae
 felicissima unio profecto alia esse nequit, nisi vitam in-
 stituamus Legibus Naturae consentaneam; haec enim
 unio est unio *moralis*, et proinde in consensu intellectus
 voluntariisque humanae cum intellectu et voluntate DEI
 consistit, ut unus quasi Spiritus adsit, atque in agendo
 idem velimus idemque per consequens quoad agenda in-
 telligamus cum ipso DEO. Qua autem ratione hoc fieri
 possit in omni casu, nisi per scientiam et custodiam Le-
 gum Naturalium, id ego equidem confiteor, me non
 perspicere.

Unde per se consequitur, ut summum bonum hominis
subjectivum consistat in non impedito progressu ad ma-
 jores continuo perfectiones sive in convenientia actionum
 nostrarum cum ipsius DEI perfectionibus. In hoc non
 impedito progressu ad majores in dies perfectiones vera
 nostra consistit beatitas, quae tanto major est, quanto ma-
 jores sunt perfectiones, ad quas progressus non impeditur.
 Beatitas autem summa, quae consistit in non impedita pos-
 sessione ac perfructione perfectionum absolute summorum,
 soli DEO propria est, quae absolute summa est, ita ut
 major ea dari nequeat, quae igitur beatitudo Divina cum
 nullo ente finito communicari potest.

Quam

Quamobrem bonitatem Divinam ad impossibilia extendunt, qui temere adserunt, DEUM cum sit summe bonus, creaturas rationales ejus beatitatis, qua ipse DEUS gaudet, compotes facere debere, ut scilicet ejusdem gradus cum Divina sit ipsarum creaturarum beatitudo; id enim prorsus fieri nequit, nisi ens finitum convertatur in infinitum, quod plane absurdum et contradictorium foret. Ergo beatitudinem, qualis in hominem cadit, non aliter concipere licet, nisi per progressum ad majores continuo perfectiones.

Duo autem aut plures, ubi ad eundem perfectionis gradum progrediuntur, saepius deprehendent, unum altero magis aut minus impediri in progressibus; ejus itaque beatitudo major dicenda est, si ipsius progressus ad majores in dies perfectiones minus impeditur, quam illius beatitas, cujus progressus ad perfectiones magis impeditur. Dantur itaque gradus beatitudinis, aestimandae ex gradibus perfectionum, quae possidentur. Ubi simul tamen ratio habenda est libertatis ab impedimentis in progressu ad majores perfectiones, vel in possessione ac perfruitione earundem. DEUS autem liber est ab omni impedimento, quod beatitudinem aliquo modo diminuere poterat, et nihil quicquam datur, quod DEUM in possessione ac perfruitione perfectionis suae quomocunque turbare possit. At homo non est absolute bonus, sed potentia gaudet, libertate sua abutendi, transgrediendo Legem Naturae: alii quoque homines tam quoad statum internum, quam praesertim externum, nos in progrediendo ad majores perfectiones quotidie impedire possunt, ut adeo continuis

progressus ad majores in dies perfectiones maxime aliquando sufflaminari queat. Haecce impedimenta ut removeamus, hoc opus, hic labor erit.

Id interea certissimum est, summum bonum adquiri aliter non posse, nisi per custodiam Legis Naturae. For-
 san ob hanc thesin nonnulli Theologi, quibus sollemne est, monopolium in veritatibus tradendis adfectare et omnia dogmata ad suum tribunal trahere, licet ne prima quidem nostrae disciplinae principia intelligant, me etiam ob hanc, inquam, thesin atro carbone notabunt, sed quicquid mihi ad aurem obgannient, aeterna tamen veritas inconcussa stabit, quam nec calumniatorum cohors, nec ipsae portae gehennae infringent unquam; per custodiam enim Legis Naturae continuo progredimur ad majores in dies perfectiones, et in hocce progressu summum hominis bonum et vera nostra felicitas consistit. Is igitur demum revera beatus dici potest, qui Legem Naturae servat, omnemque adhibet curam, ne eam transgrediatur. Confirmat hanc meam sententiam ipsa S. Scriptura; nam *beatus est vir ille qui non ambulat in consilio improborum et via peccatorum non insistit, sed cujus oblectatio est in Lege JHOVAE et qui de Lege illius meditatur interdum et noctu*, inquit *Psaltes* in psal. 1. vs. 1. et 2. Et ipse quoque CHRISTUS, optimus Legis Naturae interpres Matth. cap. 19. vs. 17. ait: *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata.* Facile autem intelligitur, non sermonem hic esse de uno alterove actu, quo Lex Naturae servatur, sed de continuo; nam *quisquis totam legem servaverit, offenderit autem in uno,*
 is

is factus est omnium reus, ceteri patet ex Epist. Jacobi cap. 2. vs. 10.

Scilicet ad summum hominis bonum requiritur non impeditus progressus ad majores continuo perfectiones et hic continuus progressus postulat assiduam Legis Naturae custodiam, ut omnes nostras actiones liberas dirigamus ad finem vitae nostrae moralis ultimum, qui est manifestatio perfectionum divinarum, qua vita nostra fiat imitatrix perfectionis divinae et inde consensus oriatur inter vitam nostram cum perfectionibus Divinis, ex quo consensu actionum nostrarum ad exemplar perfectionis Divinae non potest non oriri tanta felicitas, quae homo pro sua finita natura capax est; alias enim DEUS se ipsum abnegaret, quod hominem creando, per naturam eidem Legem praescripsisset, quibus rationibus vitam suam moralem institueret ad regulam manifestatae suae perfectionis Divinae, et tamen hominem haec Naturae Leges servantem non bearet: quod profecto horrendum est dictu. At, ut dixi, finis Juris Naturae ultimus, qui nobis summa Lex Naturalis est, et ex cujus custodia summum hominis bonum consequitur, est *gloria DEI*, id est, ut omnes nostras actiones liberas dirigamus ad perfectionis Divinae exemplar; quae directio actionum nostrarum ad summum univerti finem cum nexu mundi univertali five cum Ordine Univerti convenit. Fines autem particulares omnes tamquam media ad summum hunc finem nos ducunt; homo igitur, qui ultimum hunc Naturae finem destituit, etiam finibus particularibus non satisfacit, cum hi tantum ut media respectu finis ultimi spectari debeant.

Quid autem juvat, media adhibere, si sine potri non datur? Quapropter qui in hoc fine ultimo deficit, is deficit quoque in omnibus, et qui universalem totius vitae morales nexum non observat, is dici nequit se continuo progredi ad majores perfectiones, sed transgrediendo Legem Naturae et praesertim frustrando summum Naturae finem, se imperfectiorem reddit; ideoque Summum bonum inde acquirere nequit. Unde liquet, *Jacobum* Apostolum cit. loc. recte scripsisse; *si quis offenderis in uno, is factus est omnium reus.*

At prout sunt gradus felicitatis; sic et dantur gradus miseriae. Datur quippe aut saltem dari debet continuus gradus ad majores in dies perfectiones; quoniam homo vi perfectionis suae *essentialis*, quae finita est, semper adhuc capax est ulterioris perfectionis, quam *accidentalem* nominamus, et hinc Lege Naturae suae obligatur, continuo progredi de perfectionibus jam acquisitis ad perfectiones in dies acquirendas, in quo studio perficiendi se non datur ultimum fastigium, ita ut illud; *non plus ultra*, e nostra disciplina exulet; nam in hoc studio subsistere, reversa est deficere; quippe Lex Naturae in infinitum tendit, ut nunquam subsistere debeamus, sed qui in hoc propriae perfectionis studio subsistit, is Legem Naturae, omitendo scilicet ea, quae committere debebat, transgreditur, et sic per actiones suas privativas in culpa est, cui non majoris perfectionis particeps fiat. In custodia igitur Legis Naturae par ratio est neglectus ejus cum ipsa Legis transgressione, ut adeo negligens cum transgressore pari passu ambulet

let, et hinc uterque summum bonum acquirere nequeat; indivulso enim Naturae nexu continuae virtutes, quae in habitibus secundum Legem Naturae vivendi, continuo exercitio acquirendis, consistunt, cum Summo hominis bono cohaerent, ita ut hoc ab illis et vice versa illae ab hoc separari nequeant; sic etiam ex adverso vitia sive transgressiones Legis Naturae itidem indivulso nexu copulantur cum miseria aut vera hominis infelicitate, quae consistit in carencia sive, ut magis latine loquar, in privatione aut absentia summi boni; hoc quippe summum bonum adesse nequit absque Legis Naturae custodia, qua continuo progredimur ad majores in dies perfectiones, qui continuus progressus si impeditur per culpam nostram, sive omitiendo, sive committendo, mox ipsa beatitudo seu summum hominis bonum, quod in hoc ipso progressu continuo ad majores perfectiones consistit, cessare debet, cujus absentia privamur quoque summi boni perfrictione; et in hac privatione consistit hominis infelicitas.

Veruntamen, ut dixi, dantur gradus perfectionis et sic etiam gradus imperfectionis; dantur proinde etiam gradus felicitatis et infelicitatis sive miseriarum hominis. Felicitas hominis est summi boni indivulsa comes; tam diu igitur homo est felix, quamdiu actiones suas secundum Legem Naturae componit; quamprimum vero contraria ratione suas actiones dirigit, felix amplius esse nequit; ideoque transgressiones Legis Naturae eum summo bono, quo frui poterat, privant ipsumque maximae imperfectioni obnoxium reddunt, et sic detruunt hominem

nem in summum malum. Majus autem hominis malum esse nequit, quam continuus progressus ad majores in dies imperfectiones, si scilicet de malo interno, quod homini inest, loquimur, non de malo externo, quod extra eum datur.

Nemo autem repente fit pessimus, sed quemadmodum homo virtutibus deditus per continuum progressum majores perfectiones acquirit, sic et vitis deditus per continuum, in transgredienda Lege Naturae, progressum etiam in dies evadit imperfectior. Pro gradibus vero perfectionis et imperfectionis differunt gradus felicitatis et infelicitatis hominum. Cum igitur experientia satis testetur, actus humanos admodum inter se diversos esse, ita ut homo virtutibus deditus aliquando vitam sequatur deviam, et contra homo vitis quoad plerisque actus addictus, in nonnullis tamen actibus virtutem colat; hinc nullius fere hominis vita adeo sibi constat, ut nihil aliud contineat, quam aut non impeditum progressum ad majores continuo perfectiones, aut ex adverso continuum progressum ad majores in dies imperfectiones; sed sunt in actibus humanis diversis per totum hominis vitam moralem plerumque boni mixti malis, et mali mixti bonis. Quamobrem praemia virtutum, quae cum iisdem indivulso nexu cohaerent, et poenae vitiorum, quae iisdem naturales sunt, in diversis hominibus omnino inter se differre debent, nec eadem fors omnibus obtinget in aeternum; nam justitia Divina est ipsa bonitas, sapientiae regulis attemperata, et unicuique tribuit praemia virtutis, demeritque poenas transgressoribus Legis Naturae. In

rationibus igitur boni malique recte subducendis tota hominis vita spectanda est quoad omnes actus simul sumptos, tam committendos, quam omittendos, prout Sanctissimae Leges Naturae postulant.

In hoc autem tremendo iudicio, ubi iudicem habebimus, qui intima cordis nostri penetralia perscrutatur, quis mortalium dicere audeat, se a transgressionibus Legum Naturalium immunem esse? Cum enim Lege Naturae jubeamur, DEUM diligere ex toto corde, ex tota anima et ex omnibus viribus, proximumque nostrum sicut nos ipsos; manifestum est, nullam actionem posse Deo approbari, tanquam perfecte bonam, nisi quae voluntati Divinae, id est, omnibus rerum finibus finique demum Universi ultimo seu *gloriae Dei* exacte convenit. Hanc Juris Naturalis Divini amplitudinem, sanctitatem et immutabilitatem qui expenderit simulque suas actiones susceptas secundum hanc regulam dijudicaverit, is non temere eorum DEO, quem ne minutissima quidem aberratio fugere potest, probitatem suam cum elatis Phariseis, moralitatis aeternae jurisque Naturae osoribus, jactare sustinebit.

Qua ergo ratione persuadeamur de summi boni *objectivi* perfructione, sine qua summum hominis bonum *subjectivum* consistere nequit? Et quibus, obsecro, rationibus de non inpedito progressu ad majores continuo perfectiones per totam vitam nostram et inde consecutura aeterna felicitate nostra convincamur? Bona Gentilium opera per contemptum *splendida peccata* cum *Augustino* nominare, id nos Christianos parum juva-

hic, cum nostra bona opera non sint melioris frugis; quis enim Christianorum gloriari poterit, se omnibus rerum finibus, fini vitae nostrae ultimo subordinatis, semper convenienter vixisse, adeo ut nullus defectus neque ex parte intellectus, nec ex parte voluntatis, nec etiam ex parte facultatis corporis locomotivae in actionibus nostris liberis adsit? Talem profecto Angelicam puritatem, quam Lex Naturae exigit, nemo mortalium, si humanam SALVATORIS personam excipiamus, in actionibus hominum liberis unquamprehenderit. Non habent itaque Christiani, cur de bonis suis operibus praeter Gentilibus glorientur. Omnes enim deflexerunt a Lege Naturae, et hinc inutiles facti sunt, destituti gloria DEI. Rom. 3: 12 et 23. id est, nemo amplius supremae huc Legi Naturali convenienter vivit.

At hae Legis Naturae transgressiones Christianis hominibus, utpote qui per Revelationem authenticas possident Legum Naturalium interpretationes, et inde voluntatem DEI plenius cognoscere possunt, multo gravius imputabuntur, quam quidem Gentilibus. Vires praeterea, servandi Legem Naturae, DEUS verbo suo promissit omnibus, qui ideo tamquam infantes, quibus vires deficiunt, patrem suum coelestem in CHRISTO, generis humani Redemptore, efflictim implorant. In hoc Redemptionis opere DEUS praesertim se bonum ostendit generi humano; qui autem bonus est in alterum, is eundem amat. Dum itaque Psaltes DEUM laudat, Psalm 145: 9. quod bonus sit JEHOVA

om-

omnibus, inde indignatur, DEUM amare totum genus humanum, ideoque felicitatem singulorum intendere, nec velle hominum infelicitatem. Ipsemet DEUS *Ezech.* cap. 33: 11. omni adseveratione adfirmat, se nolle mortem impij, sed velle, ut convertatur impius a via sua et vivat. Ex quibus patet, DEUM disertis verbis declarare, quod non vult, hominem esse infelicem, sed quod velit, eum esse felicem. Sed tamen felix homo esse non potest, quicquid etiam Infronius obstrepat, nisi per custodiam Legum Naturalium; homo itaque Legem Naturae transgressus, veram felicitatem acquirere nequit, nisi crimine transgressionis expiato iterum ad assiduam Legum Naturalium meditationem, culturam et custodiam, ceu rectam felicitatis obtinendae et conservandae viam reducat. Unde Redemptionis juxta ac Sanctificationis necessitas pro statu generis humani corrupto salvando ex ipsa genuina Legum Naturalium indole manifestissime nunc adparet.

Haec omnia si attentius pensitaveritis, mecum indignabimini Theologorum quorundam stupore dicam, an impudentia, quod amplitudinem et summam Sanctissimae Legis Naturae praestantiam, sine cujus custodia nulla generi humano salus speranda est, aegre ferant, illiusque solidioris cognitionis progressum audacter sufflaminare studeant, quo impetuoso fucatae pietatis zelo nihil est Christiano homine indignius.

LECTIO III.

De fine creationis ultimo et officiis hominum quoad diligendos se invicem inde oriundis.

Quaestio illa de ultimo creationis fine, utrum scilicet sit gloria DEI, an vero *felicitas creaturarum rationalium*? non solum quondam inter Viros Eruditissimos, sed etiam nuper in nostra Academia publice reciprocata fuit. Mihi tamen videtur, quod multum logomachiarum admixtum habeat; omnes enim, quotquot de hac controversia ingenium exercuerunt, in eo consentiunt, felicitatem creaturarum rationalium absque manifestatione perfectionum Divinarum adquiri non posse. Summum quippe bonum *objectivum* aliud ens esse nequit, quam ens infinitum absolutum seu perfectissimum; et summum creaturae rationalis bonum *subjectivum* consistit in ipsius summi boni *objectivi* perfruitione, quae perfructio non datur nisi in convenientia actionum creaturae rationalis cum ipsis DEI perfectionibus sive in ipsa scientia et custodia Legis Naturae, qua unio *moralis* obtinetur inter DEUM, Universi Governatorem, et creaturas rationales, Universi incolas, prout praecedenti Lectione fusius explicavi.

Ex hacce unione cum DEO seu perfruitione summi boni vera oritur cujuscunque creaturae rationalis felicitas.

tas. Omne autem bonum, *relative* spectatum, semper est sui communicativum, id est, tantundem in alterius perfectionem confert, quantum salvis suis perfectionibus conferre potest. Ergo et DEUS, qui non solum in se et absolute, sed *relative* ad creaturas suas omnes summe bonus est, cuique enti extra se existenti tantundem perfectionis seu boni tribuit, quantum salvis perfectionibus Divinis fieri potest.

Hanc bonitatem Dei et absolutam et relativam si pensamus, inde meo iudicio consequitur, DEUM non alio fine creasse mundum Universum, quam ut creaturas bearet. Hoc fieri non potuit, nisi suas perfectiones Divinas saltem in tantum manifestaret, in quantum requirebatur, ut inde regulas agendi desumerent creaturae, ratione praeditae, quo ex convenientia actionum cum perfectionibus divinis in dies redderentur perfectiores, et ad eum felicitatis gradum continuo progressu pervenirent, cujus pro sua finitudine capaces erant. Et quid hoc, quaeso, aliud est, quam ultimam creationis finem ponere in beatitudine creaturarum rationalium?

Nolim jam ingeniosum Celeberrimi Genevensium Philosophi, acutissimi *Bonnetii*, de evolutione omnium creaturarum ad majores continuo perfectiones adoptare, quam hypothesin etiam nuper Consultiss. *Merkelbachius* noster in eximio libello, cui titulus: *De zekerheid der Goddelyke Nasuurwetten aangetoond uit de beschouwing der orde van dit Heelal*, non sine probabilitate defendit; sed illud saltem, consentientibus omnibus, ve-

rissi

riffimum est; DEUM esse absolute et summe bonum in se, ita ut nulla re extra se indigeat voluptatis percipiendae gratia, summeque summae perfectionis suae esse conscium, ex qua cognitione summarum perfectionum intuitiva ipse maxima fruatur voluptate, qua major concipi nequit. Ergo hoc intuitu non opus fuit, ut DEUS conderet mundum, quo suas perfectiones sibi manifestaret; nullo enim modo inde perfectior fieri poterat, utpote in se ab omni aeternitate perfectissimus.

Hoc igitur sensu, ut mihi quidem videtur, non satis recte percipitur inclutus ille locus *Proverb. cap. 16. vs. 4. Omnia operatus est Jehova propter se, etiam improbum ad diem mali.* Quasi DEUS Universum creasset per potentiam, ut etiam *malum morale* intendisset, quo suam justitiam, quam dicunt, *vindicativam* pro suo beneplacito ostendere posset. Haec interpretatio mihi videtur, despotismum, *Hobbessii* principiis innixum, DEO adfingere, sane longe alienum ab ipsis perfectionibus Divinis. Imperium enim DEI non fundatur *potentia*, sed potentia tantum ad *exercitium* imperii pertinet; ipsum vero *jus* DEI seu imperium, quod habet Supremum Numen in creaturas omnes ratione praeditas, est nil, nisi *bonitas sapientissimi* entis, qua per Leges Naturae creaturis intelligentibus praescriptas intendit veram omnium felicitatem, cum nullam ex creaturarum miseris voluptatem capiat aut capere possit universi conditor, qui ab omni vindicta est alienissimus; ideoque improbum non fecit ad diem mali, ut haberet, quem puniret, atque ex punitione oblectamentum perciperet.

ret, sed malum morale in hoc universo permittere decrevit, ut majora inde evenirent bona; ideoque mala dirigit in bonos fines. Neutiquam vero DEUS voluit existere mala, ut sibi sine media illustrandi gloriam suam; id enim esset, DEO adscribere facultatem, per illicita media finem consequendi. Hoc autem adserere, repugnat sanctitati Divinae.

DEUS proinde malum morale non intendit tanquam finem; nam tunc DEUS Auctor peccati fieret, quod contradictorium foret. Ergo DEUS creando hunc mundum eam selegit rerum seriem, quae Divinis perfectionibus apprimè conveniret: in hac autem rerum serie constituit hominem, potentia abutendi libertate sua praeditum; noluit autem impedire DEUS per miraculum, quominus homo potentiam abutendi libertate sua in actum deduceret; poterat quippe homo etiam non abuti sua libertate: et sic nulla necessitas *physica* aderat, cur abuteretur; necessitas vero *moralis* ipsi incumbebat, ne abuteretur. Interim tamen DEUS in hoc mundo condendo praevidebat, hominem sua libertate abusurum; et nihilominus hunc mundum ad existentiam perduxit prae ceteris mundis possibilibus. Ergo malum morale in eo permittere decrevit, quod etiam impedire non poterat, nisi per miraculum: hoc autem efficere, potentiae quidem erat, sed non sapientiae.

Quamobrem DEUS permittit in creaturis suis abusum libertatis, sed minime eandem voluit, quin potius omnia motiva per rerum naturam cum actionibus hominum libe-

liberis connequerit, quibus rationalis creatura deterreretur ab omni malo perpetrando.

Hiscæ vero temere spretis peccavit homo et ideo propria sua culpa per abufum libertatis fe infelicem reddidit. Ab hac autem infelicitate ut genus humanum iterum liberaret bonus DEUS, mifit FILIUM fuum in hunc mundum, qui ideo ad nos venit, non ut perderet, fed ut hominem a miferiis liberaret atque in rectam, unde digreffus erat, duceret felicitatis viam: manifefiffimo indicio, DEUM nolle mortem inpii, fed velle ut convertatur impius a via fua et vivat; ideoque omnium felicitatem intendere; quantum haec falvis perfectionibus Divinis obtineri potefl. Condidit igitur DEUS hunc mundum *non propter fe*; nam DEI nihil intererat, mundum exiflere, fed noflra quamplurimum interefl, exiflere hunc mundum et nos in mundo; quo ex contemplatione univerfi et eorum, quae in eo funt atque fiunt, perfectiones Divinas agnofcamus et inde motiva agendi defumamus atque fic perfecti reddamur, quemadmodum DEUS, pater nofler coeleflis, perfectus efl. Sic itaque DEUS mundum condidit non adeo *propter fe*, fed *propter creaturas intelligentes* in hoc mundo exiflentes, ut illas ad exemplar perfectionis fuae divinae duceret ad majores in dies perfectiones.

Nec huic meae fententiae obflat loctus allegatus *Proverb. Cap. xvi: 4.* in textu enim originali minime dicitur, quod omnia operatus fuerit JEHOVAH *propter fe,*

se, sed ait Salomo:

כָּל פֶּעַל דָּוָה לְמַעַן

id est, iudice Summo *Schultensio*, litterarum orientalium statore, *Deus omnia creavit ad magnum responsum sui*, sive ad exemplar perfectionis suæ, ut scilicet creaturæ omnes sint specula perfectionum Divinarum; unde perspiciamus eas, illasque pie imitari discamus; DEUS quippe omnia ita inter se coordinavit et mala ubique physica cum malis moralibus indivulso nexu copulavit; ideoque inprobum fecit ad diem mali, id est, detestatur DEUS sanctissimus omnem Inprobitatem, ut adeo improbus per suam improbitatem, nisi convertatur a via sua, necessario abeat in diem mali.

Hunc S. Scripturae locum si ita, prout audivistis, interpretemur, nihil prorsus difficultatis habet, sed longe sublimiores inde aliae ex aliis nectuntur meditationes, quam quas illi sibi formant, qui tantopere despotismum DEI mere arbitrarium spirant atque ex dominio, quod DEO utique in creaturas competit omnes, ipsum Divinum imperium derivare solent. Veruntamen quamvis haec sententia certo sensu admitti possit, non vero dominium DEI in creaturas suas unquam in abusum trahitur, sed hoc Jus DEI *externum* subsistit equidem respectu nostri, ut nemo rationes a DEO exigere possit, cur hoc vel alio modo faciat; attamen omne Jus DEI *externum* semper exercetur juri *interno*; id est, perfectionibus Divinis convenientissime; ideoque DEUS nunquam Jure suo utitur, ut *meram* suam potentiam pro arbitratu ostendat,

C

dat, sed potentiam suam exercet, ut summam *bonitatem* suam, *sapientiae* regulis attemperatam, creaturis suis intelligentibus fulgentissime per Universi ordinem pandat, ideoque se omnibus *amore* dignissimum exhibeat. Qualis autem foret bonitas DEI *respectiva*, sapientiae regulis attemperata, nisi ubique tales Naturae Leges sancivisset; ex quarum custodia creaturas suas ad majores in dies perfectiones quasi manu duceret, ut demum in perfruitione summi boni veram adquirerent felicitatem?

Haec perfruitione summi boni *objectivi*, id est, ipsius DEI T. O. M., largitur homini tantam perfectionem, quantae per naturam suam capax est; ideoque hominem compotem facit summi illius boni *subjectivi*. DEUS est fons omnis veri et boni: immensa est bonitas divina, sed tamen *respectiva* DEI bonitas semper convenire debet cum bonitate DEI *absoluta*. Ergo DEUS, qui vi bonitatis suae *respectivae* creaturas omnes et inprimis homines amat et tantundem boni iisdem confert, quantum in nexu cum ceteris fieri potuit, sane non alium fontem perfectionis magis magisque acquirendae hominibus indicavit, quam semet ipsum, manifestando scilicet perfectiones suas Divinas, ut adeo in *felicitate* creaturarum intelligentium manifestetur ipsa *gloria* DEI, et haec *gloria* DEI sive manifestatio perfectionum Divinarum intendant quoque ipsam creaturarum *felicitatem*. Haec igitur adeo arcto inter se nexu cohaerent, ut a se invicem separari nequeant. Quaestio proinde quisnam sit *ultimus* creationis finis, utrum *gloria* DEI, an vero *feli-*

felicitas creaturarum rationalium non tanti momenti mihi videtur, ut ideo alicui litem movere velim.

Sin autem interea meam sententiam super hac Eruditorum controversia pronunciare deberem, hactenus illorum opinio mihi quidem verosimilior videtur, qui ultimum creatio- nis finem in felicitate creaturarum intelligentium ponunt, et gloriam DEI seu manifestationem perfectionum Divi- narum tanquam *proximum medium*, consequendi hunc finem, eidem adjungunt. *Scopus noster est*, ut III. *Leibnizii* verba in *Theod.* p. i. §. 6. mea faciam, *e men- tibus hominum falsas ideas evellere, quibus DEUM sibi fingunt instar Supremi Principis despoice impe- rantis, nec amore nostro nec imitatione digni. Quae quidem notiones tanto sunt deteriores, quod non so- lum in timore, sed multo maxime in amore Dei super omnia pietatis summa consistat. Amor autem Divinus, qui felicitatem amantium efficit, in neminem cadere potest, qui perfectiones amore dignas in DEO non cogno- scit.* At non licet mihi in hac disceptatione esse prolixiori.

Id potius adhuc monendum superest, non pugnare in- ter se, gloriam DEI per actiones suas liberas illustrare, et propriam suam quaerere felicitatem; DEUS enim ipse per Legem Naturae nobis inposuit obligationem, ut propriam quaeramus felicitatem; immo natura sive in- stinctu quodam naturali ferimur ad felicitatem nostram acquirendam. Sed oportet, ut *recta media* eligamus, quibus pertingemus ad veram nostram felicitatem. *Proxi- mum* autem medium, consequendi felicitatis finem, quem

intendimus agendo, consistit in imitatione perfectionum five virtutum Divinarum moralium, ut inde motiva agendi desumamus. Hae perfectiones DEI nobis manifestatae fiunt creaturis rationalibus Leges Naturae: hasce itaque sequendo propriam promovemus felicitatem et simul illustramus gloriam DEI: quae igitur a se invicem separari nequeunt.

Quo plures autem perfectiones Divinae per actiones nostras liberas illustrantur, eo perfectior fit vita nostra moralis, et sic vita nostra tum demum perfecta dici mereretur, si nulli perfectionum Divinarum repugnaret, sed in omnibus actionibus omnium rerum finibus conveniret: quae perfectio autem vitae humanae nullibi in hoc terrarum orbe amplius conspicitur, sed potius per vitam nostram obscuramus ubique gloriam DEI. Haec perturbati ordinis confusio ut iterum in integrum restituatur, Revelatio data est hominibus, qua homines Legis Naturae transgressores condocentur, quibus rationibus per CHRISTUM, generis humani Redemptorem, iterum ad DEUM, patrem nostrum coelestem, accedant, ut summum bonum consequantur. De hac autem amplissima materia in posterum prolixius differendi dabitur occasio.

Interim hoc loco restat, ut disquiram, quaenam officia naturalia ex doctrina abs me jam jam explicata consequantur. DEUS autem, ut dixi, est summe bonus, amatque creaturas suas omnes, praesertim vero homines atque vult, ut omnes fiant felices; ideoque tantundem boni
ho-

hominibus confert, quantum salva sua sapientia fieri potest: ex quibus nunc sponte fluit, hominem, qui actionibus suis Divinam gloriam illustrare studet, in hisce imitari debere DEUM. Quamobrem qui DEUM diligit, is etiam proximum suum diligere debet, quoniam qui DEUM diligit, ei placent ea, quae DEUS facit; DEUS autem omnium hominum intendit felicitatem; ergo et is, qui DEUM diligit, aliorum quoque felicitatem promovere studet et ex hocce aliorum felicitatem promovendi studio voluptatem percipit, adeo ut tantundem boni in alios conferat, quantum absque neglectu officii erga se ipsum fieri potest. Et hoc est, imitari DEUM et motiva agendi a bonitate Divina respectiva desumere. Et profecto certissimum fucatae pietatis indicium est odium erga alios. *Si quis dixerit, diligo DEUM, et fratrem suum oderit, mendax est*, inquit *Joannes* in Epist. 1. cap. 4. vs. 20.

DEUS ideo condidit hoc universum, ut incolae universi ex manifestatione perfectionum divinarum perfecti fierent; hunc finem a DEO intentum ut obtineamus, minime sufficit, ut nostram propriam promoveamus perfectionem, cum nos tantum minutissima pars universi simus, sed, si in nostra esset potestate, totius generis humani felicitatem *propter* DEUM promovere debeamus. Hoc autem cum extra vires nostras positum sit, id saltem, quod possumus, facere tenemur, et quidem DEI *caussa*, qui ideo nos in hoc universo constituit, ut mutuis adjuvemur auxiliis et omnes conjunctis viribus finem universi adsequi adlaboremus. Nos igitur respectu

DEI instar fervorem sumus, qui utilitatem oecœnomiæ hujus universi seu communem omnium salutem promovere atque sic communis nostri Domini intentioni satis facere studeamus, ne simus inutilia terræ pondera. Dilectio itaque omnium hominum *universalis* cum ipsa Natura Divina et Humana atque natura rerum universa artissime cohaeret.

DEUS nos omnes diligit et nos omnes nobis invicem natura aequales constituit in hoc universo, omnibusque nobis eundem praestituit finem, promovendi universi perfectionem, illustrandi gloriam DEI, et inde per non impeditum progressum amplificandi nostram aliorumque felicitatem. Voluntas autem nostra eadem esse debet cum voluntate Divina, ut ex hac idemitate voluntatis humanae cum Divina unio inter DEUM et homines oriatur, quae *moralis* audit, quaeque non aliter, quam perfectiorem et culturam Legum Naturalium obtineri potest. Ex hac igitur unione hominum cum DEO sponte fluit, ut nos invicem diligamus *propter* DEUM, nec quempiam odio habeamus; ideoque deficientis dilectionis DEI signum est, absentia dilectionis aliorum, multo magis odium erga alios; nam qui homines alios non diligit *propter* DEUM, multo magis qui eos odio habet, DEUM diligere nequit.

Equidem dilectio inimicorum res ardua et difficilis habetur, immo integrae Gentes in ea perversa fuerunt opinione, ut pro inimicis et hostibus habuerint eos, qui non in eadem Societate Civili cum iisdem vixerunt. At
ho-

hominum opiniones et Gentium mores Jus Naturæ immutabile evertere non poterunt. Nos quippe omnes per totum terrarum orbem vivimus in Societate Naturali, quam DEUS per universi ordinem constituit. Tamquam Universi incolae igitur, nobisque aequales, homines omnes, etiam inimicos, diligere debemus, omnibusque officia praestanda sunt, quae ex ipsa Natura hominis fluunt; nam quamvis alter officio suo desit et se tamquam hominem erga me non gerat, non ideo tamen mihi licet, me quoque ab obligatione mea dispensare, quae mihi inhaeret, quia ego homo sum, et alter aequae, ac ego, quoque homo est. Propter DEUM igitur diligendi sunt etiam inimici, non quatenus inimici, sed quia homines nobiscum aequales et incolae universi sunt.

Grotius vero in hisce erravit, quod in diligendis inimicis suis, aliam statuerit Legis Evangelicae dispositionem, quam quidem Legis Naturalis. Haec enim Lex de dilectione inimicorum est revera Naturalis, nec ideo diligere debemus alios, quia forsitan amici nostri sunt, sed quoniam homines sunt. Fortius tamen motivum accedit per Evangelium quoad diligendos inimicos suos, quod in eo consistit, quoniam CHRISTUS, cum adhuc ejus inimici essemus, etiam nos dilexit; hinc Christiani homines, qui imitari debent CHRISTUM, etiam fortius inde obligantur, diligere inimicos suos: non inde tamen nova Lex oritur, sed novum tantum motivum accedit, unde fortior fit obligatio Naturalis.

Haec omnia si mecum pensaveritis et ad Christianorum nostri aevi mores applicaveritis, vix Christianos homines

in medio Christianismo invenietis. Faxit DEUS! ut nos aliique generosiora aliquando pectora foveamus, quod autem non sperandum est, quamdiu Jus Naturae adeo in contemptum adducitur. Vestra igitur curam esse debet, qui aliquando Ecclesiae praeesse vultis, ut hancce terribilissimam Christianorum maculam ab Ecclesia nostra abstergatis, per diligentiore Juris Naturae culturam; quam in rem faustos vobis apprecor successus, et vobis et Ecclesiae et Reipublicae, immo et universo generi humano salutaris.

L E C T I O IV.

De obligatione activa.

Obligare aliquid si in sensu physico accipiatur, etiam ad res animatas ratione carentes, immo et ad res inanimatas transfertur. Sic V. gr. bovis cornua obligamus vinculo; et sic messor manipulos frumenti stramineis vinculis obligat. Et hoc sensu Chirurgus quoque obligat vulnus et obligat crus fractum. At vero cavendum est, ne ita physice in moralibus philosophemur; ad mores enim et animum ubi transfertur obligatio, quae *activa* audit, tunc significat, libertatem adstringere, ut potius hoc agatur, quam aliud.

Ergo haec moralis obligatio activa supponit semper potentiam physicam, contrarium agendi; nam alias obligatio in sensu morali ad id, cujus contrarium physice

fe-

fieri nequit, profus otiosa foret, utpote quae nullum effectum quoad libertatem agendi habere posset. V. gr. homines non gaudent aptitudine physica volandi per aëram; ergo inepta foret obligatio moralis, ne ab hac terra in lunam transvolarent. Id enim non est in nostra potestate physica; quod si igitur ejusmodi Legi satisfacimus, ea custodia Legis non est meritum, nec proinde praemium virtutis ex eadem locum habet, nec opus est, ut poena transgressionis, quae physice fieri nequit, statuatur. Ergo in ejusmodi casibus omnis cessat imputatio; ideoque ipsa actio sua caret moralitate, quae meo iudicio semper potentiam agendi vel non agendi physicam supponit, nec in mera *lubensia* quaerenda est. V. gr. Ponamus, pisces ratione esse praeditos, simulque ipsis Legem praescriptam esse, ut usum rationis ex commercio cum hominibus continuo exercitio excolerent, sed tamen eosdem cum *lubensia* natere in flumine, quo commercium cum hominibus plane impediretur. An hoc casu statuamus, piscium *lubensiam* natandi iisdem imputari posse, quamdiu ipsis impossibile fuerit, commercium cum hominibus instituere? Id ego equidem non putarem.

Ita et mihi videtur, ut alio casu utar, mera *lubensia* commorandi in hac terra hominibus imputari non posse, quo minus commercia instituant cum Angelis aliisque planetarum incolis, quamvis inde longe majores progressus in virtutibus tam intellectualibus quam moralibus adquirendis facere possent; physica quippe impossibilitas, qua nos mortales hactenus adligamur, impedit, ne in nostro terreno statu ad alios adspiremus planetas; physica autem

necessitas, commorandi in hac terra, quamdiu circumstantiae Universi non mutantur, nobis inponit obligationem moralem, ut cum *lubentia* cedamus huic necessitati, ne refragemur ordini Universi. Mera itaque *lubentia* actionis, qua quis egerit illud, quod ipsi placuit, agenti inputari nequit, nisi contrarium actionis in potestate agentis physica fuerit.

Nam *libertas actionis* consistit in *facultate*, ex pluribus possibilibus id eligendi, quod agenti placet, cum ad nullum eorum per naturam determinetur. Quod si igitur agentis natura physica unam tantum actionem in casu dato possibilem fecerit, reliquis autem omnes impossibiles reddiderit, tunc agens aliquid ex pluribus possibilibus eligere non valet; ideoque libertas actionis suscipiendae cessat; et nulla motiva tam valida esse possunt, ut alio modo, quam quo agit, agat, sed necessitate physica adactus eo modo semper agere debet, quo agit. Et cum contraria actio per rerum naturam physicam fieri nequeat; hinc prudenter facit, quod etiam semper ita, prout agit, lubenter agat fatoque cedat et adquiescat in ordine Universi physico; haec quippe mera *lubentia* actionis tantum abest, ut ipsi inputari posset, quin potius stulte ageret, si non adquiesceret in se ipso, cum contrarium actionis suscipere nunquam valeret: et ubi quis nihil valet, ibi prudens etiam nihil velle debet.

Ex quibus omnibus sequitur, ut illud, quod *moraliter* necesse est, omnino supponat *possibilitatem physicam*, cum alias quis in sensu morali obligari posset ad id, quod

quod per rerum naturam fieri nequit, et sic facere deberet, quod tamen Univerſi conditor per rerum ſenſum fieri noluit. Et hoc omnino absurdum et profanum mihi videtur. Omnes igitur, qui *ſatalem neceſſitatem* defendunt, revera tollunt omnem actionum noſtrarum libertatem; omnemque proinde moralitatem in ludibrium vertunt, dum vocabulis quidem utuntur diſciplinæ morali propriis, utpote *poenæ, præmii, virtutis, vitii, turpitudinis, honeſtatis* aliisque ſimilibus, ac quæ tamen vocabula rem ipſam, quam in moraliſibus indicent, minime exprimunt, ſed ſenſum nullum habent, niſi quod qualitatem mere *phyſicam* indigent.

Ex hiſce jam, ut ſpero, percipientis, quæ res ardua et momentofa ſit, in diſciplinis moralibus recte ſapere. Genuinam *obligationis* tam *activæ*, quam *paſſivæ* et *Legis* ac *Juris* eeu facultatis agendi notionem; nec non, quæ cum ea conjuncta eſt, *libertatis* iadolem probe perſpectam habere, multum juvat, ad doctrinam moralem firmiſſimis rationibus ſtabiliendam.

Exordior autem ab *obligatione activa*, quæ recte definitur, quod ſit *connexio motivi cum actione perpetranda vel omittenda*. Intelligimus vero per actionem, non aliam, quam *liberam*; et hinc majoris evidentiæ gratia addere licet: *cum actione libera* perpetranda etc. nam in actionibus *neceſſariis* motiva agendi nihil valent, cum contrarium fieri nequeat. Quapropter etiam *Legem Naturalem* definimus per normam actionum noſtrarum *liberarum* etc. Scilicet eorum Univerſum a Suprema

mo Numine sapientissime dispositum est, ut nihil in eo occurrat, quod non secundum certas *Leges* agat.

Nos in sublunari orbe collocati non solum nostrae, quam incolimus, terrae, sed et coeli siderumque spectatores sumus, et quidem non instar brutorum animantium, ut cuncta, quae nobis circumvolvuntur, oculis tantum corporis circumspiciamus; nos quippe incolae sumus hujus universi rationales aut saltem ratiocinandi facultate praediti. Hunc magnificentum characterem ut digne sustineamus, rationi convenienter vivere debemus. Bruta etiam sibi hunc mundum necessario repraesentant per sensus, quibus gaudent; sed rerum causas, fines et ordinem non perspiciunt ob rationis defectum, quo laborant; ideoque Leges Universi ignorant. At *homini perfectae aetatis*, egregie inquit *Grotius de J. B. et P. in proleg. §. 7. cum circa similia similiter agere norit, cum Societatis appetitu eccellente, cujus peculiare solus inter animantes instrumentum habet sermonem, inesse etiam facultatem sciendi agendique secundum generalia praecepta, par est intelligi, cui quae conveniunt, ea jam sunt non omnium quidem animantium, sed humanae naturae congruentia.* Conventientia igitur Naturae humanae, quae *rationalis* est, postulat, ut rerum causas, finesque et ordinem universi pensitemus, ne in hoc mundi theatro histrionum more vitam agamus ludicram, sed ut tamquam prudentes actores scenam nostram, prout par est, absolvamus.

Totum universum, in quamcumque etiam ejus partem

tem oculos mentemque nostram circumferamus, est splendissimum sapientiae bonitatisque Divinae theatrum, quae in minimis quoque conspicitur. Haec summa DEI sapientia bonitasque cuncta suis adligavit *legibus*, secundum quas unumquodque agere debet, si voluntati Divinae obtemperetur. Tota Natura est *activa*: actiones physicae mechanismi regulis absolvuntur; ideoque sunt hypothetico-necessariae. At quamprimum *Ratio* et inde *Libertas* in agente accedit, actio fit *contingens*, id est, talis, quae ab agentis arbitrio pendet, utrum eam suscipere, an vero eandem omittere velit. Non tamen ideo haec actio per Naturam fit exlex aut indifferens sive talis, ut perinde sit, num agens eam suscipiat vel omittat; nam si hoc per *contingentiam* actiones fieret, tum *intelligentia* et *spontaneitas* sive *Ratio* et *Libertas* in summam nos detruderent miseriam, ita ut humana Natura majoris quidem excellentiae speciem prae brutorum conditione haberet, sed si utriusque indolem examinaverimus, homines ad varias rerum formas excogitandum idonei, Jus illud, quod Natura animalia docuit, non ad sui conservationem, sed in sui interitum; non ad generis sui procreationem, sed ad foedas libidines; non ad prolis procreatae honestam educationem, sed ad infantum expositionem et sanguinolenti partus necem, atque ita in maximam generis humani perniciem traherent; ideoque hoc modo homines brutis longe viiores creaturas se palam ostenderent.

Nisi igitur *Ratio* nostra, et nisi *Voluntas libera* certis regatur recte ratiocinandi et bene agendi regulis, actum erit

ent de praestantia hominis. At vero voluntas seu facultas libere agendi nullis vinculis, *physice* sumtis, adligari potest; nam si hoc fiat, impedimentum physicum efficiet, ne actio amplius *libera* sit et per consequens ut *moralis* esse desinat. Libertas proinde agendi, quae voluntatis est, non aliter, quam per repraesentationem boni malique, ex actione suscipienda vel omittenda consequenturi, in hanc vel illam partem *moveri* potest. Hoc autem boni malive *motivum* sive ratio movens quamprimum ad actionem liberam perpetrandam vel omittendam refertur, mox inde *regulam agendi* desumimus, ut illud, quod tanquam bonum nobis repraesentamus, sequamur; illud vero, quod nobis tanquam malum repraesentamus, omittamus. Obligatio igitur *moralis* activa, qua libera voluntas entis rationalis permoveatur ad agendum vel non agendum, cum agere vel non agere possit, consistit in *nexu motivi cum actione perpetranda vel omittenda*.

Neutiquam vero ipse homo agens hoc motivum agendi sibi pro arbitratu suo inponit, ac si pro libitu suo idem iterum tollere valeret, quandoque ipsi agenti id placuerit; nam hoc si fieri posset, obligatio tunc nulla foret, cum ab eadem iterum se dispensare valeret ipse agens vel acturus. Sed Natura nobis constituit illa motiva et indissolubiler connexuit cum nostris actionibus liberis, ut alia motiva pro nostro arbitratu nobis repraesentare minime nobis integrum sit. Ideoque *spuria* et *falsa* motiva a *veris* probe discernere debemus, si Naturae nostrae *humanae* convenienter agamus. V, gr. Saepius nobis ma-
lum

lum tamquam bonum repraesentamus et ex hac confusa boni malique repraesentatione motiva agendi desumimus, ut adpetitum sensitivum sequamur posthabito adpetitu rationali. At hoc non est motivum agendi *humanae* et *rationali* Naturae conveniens. In brutorum actionibus equidem solus adpetitus sensitivus rationem agendi sufficientem indicat, sed in homine, ratione praedito, solus adpetitus sensitivus non est ratio sufficienter movens, cur agat; nam si ita egerit, non ut homo, sed ut brutum egit. Ergo convenientia actionis *humanae* exigit, ut homo cum *ratione* agat finesque inquirat, ob quos suas actiones liberas sapienter instituat; tunc enim demum Naturam suam *humanam* seu rationalem sequitur.

Egregie proinde GROTIUS de J. B. et P. L. I. C. 2. §. 1. scripsit: *primum esse officium, ut se quis conservet in Naturae statu, deinceps ut ea teneat, quae secundum Naturam sunt, pellatque contraria. At post haec cognita sequi nationem convenientiae rerum cum ipsa ratione, quae corpore est potior, atque eam convenientiam, in qua honestum sit propositum, pleris faciendam, quam ad quae sola primum animi appetitio ferebatur, quia prima Naturae commendat nos quidem rectae rationi, sed ipsa recta ratio carior nobis esse debeat, quam illa sint, a quibus ad banc venerimus. Haec cum vera sint et ab omnibus, qui judicio sano sunt praediti, facile sine alia demonstratione assensum impetrent, sequitur, in examinando Jure Naturae primum videndum, quid illis Naturae iniis congruat, deinde veniendum ad illud, quod quamquam*

quam post oritur, dignius tamen est, neque sumendum tantum, si desur, sed omni modo expetendum.

Ex qua *Grotii* sententia intelligeris, *prima Naturae*; sive quae *Stoici* vocabant *τα κατὰ φύσιν*, quae cum brutis communia habemus; nos commendare tantum rectae rationi, ut ipsa recta ratio, quae carior nobis esse debet, nos ad agendum vel omittendum permoveat, illudque, quod Naturae convenit *rationali*, omni modo expetendum nobis exhibeat. Unde nunc ex hisce *Grotianis* dictis satis perceperitis, quam inepta sit illorum censura, qui datam definitionem obligationis actionis *Wolffianam* ideo taxare solent, quia inde sequeretur, ut etiam ebriosus ad ebrietatem, libidinosus ad libidinem, luxuriosus ad luxuriam, et sic porro quivis homo, vitiis deditus, ad vitia perpetranda naturaliter obligetur, quoniam is motivum connexit cum sua actione perpetrata. At vero hi censores ex *Grotio* nostrate discant, quod homines simus, ideoque convenientia adesse debeat actionis suscipiendae cum Natura agentis, et per consequens motivum agendi, quod homo sibi sumat, quodque cum sua actione suscipienda vel omittenda connectat, etiam *humanae*, id est, *rationali* Naturae congruat.

Motiva autem quo plura et praestantiora per Naturam cum nostris actionibus liberis connectuntur, eo amplior et fortior inde fit nostra obligatio Naturalis; et proinde quo magis est *composita* obligatio ex pluribus motivis, eo perfectior est; ideoque etiam agens, qui
acti-

actionem ex pluribus motivis Naturae convenientibus committit, virtutibus ornator est, quam is, qui eandem actionem ex uno alterove tantum motivo suscipit. *Simplex* itaque dici potest obligatio, in qua agens sibi tantum *unicum* motivum agendi repraesentare valet; et hoc in hebetioribus hominibus, qui usu rationis nondum satis polleat, contingere potest. Et haec observatio in moralibus praesertim quoad imputationem actionum liberarum maximi est momenti, cum nemo ultra vires suas teneatur; perspicaciores proinde Viri, qui ubique longam motivorum catenam in disciplinis moralibusnectere valent, multo fortius obligantur ad bonas actiones committendas, malasque omittendas, quam qui pueris similes vix ultra adpetitum sensitivum et aversionem sensitivam ducuntur atque praeceptis quibusdam *positivis* ex aliorum saepius insulsa interpretatione vel leviter tantum inbuti sunt.

Cavendum tamen est, ne ideo nobis persuadeamus, satius esse in moralibus parum sapere, ne multa nobis imputentur, quam amplissimum Jurisprudentiae Divinae Naturalis campum perlustrare et profundius in moralibus disciplinis meditari, ut plura a nobis exigantur. Etenim haec obiectio, qua abjectissimus animus forsan a sanctiore nostra disciplina deterreatur, generosiora pectora ne modice quidem tanget; nam eo sane perfectior erit nostra vita moralis, quo majore perspicentia multifaria agendi motiva ex ipsa salutifera rerum Natura ubique conquirere et inter se connectere poterimus.

Profecto veneranda in eo est summa DEI sapientia bonitasque, qua Auctor Naturae tam multigena motiva hominibus pro variis eorundem ingenijs, temperamentisque corporis undique proposuit, quibus permoveantur, ut perfectioni universi inserviant, licet aliquando etiam ex confusis tantum: boni malique repraesentationibus. Unus hoc modo, alius autem iterum alio motivo ad sua officia quadantenus adimplenda permovetur: hinc tot diversae per universi ordinem ubique prostant motivorum species. Inde sane praestantia Juris Naturae omnibus patet; et inde quoque DEUS suum amorem erga totum genus humanum fulgentissime ostendit.

Quamobrem, si pii perfectionum Divinarum imitatores sitis, absit a vobis, et quam longissime absit, ut cum maleferitatis censoribus puretis, doctrinam jurisprudentiae Naturalis, si ultra limites haecenus a *Pufendorffii* adseculis positos extendatur, Christianae Religioni et verae pietati infestam fore; potius omnem operam inpendamus oportet, ut omnia motiva, quae cum nostris actionibus liberis connecti possent, per totum Naturae ambitum perspicacius indagemus aliisque hominibus et in Ecclesia et in Republica intrepide pandamus, quo nostro indefesso studio salus generis humani magis magisque amplificetur; nam quo quis pauciora noverit motiva agendi, eo facilius libertas ejus in abusum trahitur, et quo plura quis solide meditatus fuerit, eo proclivior erit ad quaevis praeclara facinora committenda.

Immo virtus ex pluribus motivis constans, longe perfectior est, quam eadem actio ex uno alterove tantum mo-

motivo perpetrata; ideoque et Christianorum virtutes solummodo ex motivis ab Opere Redemptionis desumptis peractae, non adeo perfectae sunt, quam si eadem simul ex motivis omnibus per Ordinem Naturae repraesentatis peraguntur. Et hoc velim, ut probe attendatis, ne Christianorum virtutes aliquando in *splendida peccata* aut, si mavultis, in *pias*, quas vocant, *fraudes* degenerent.

Quod si itaque amplior Juris Naturae scientia cum Christianorum pietate conjuncta fuerit, speret, statum Christianismi multo emendatiorem fore, quam haecenus conspicitur.

Ignoscite autem, quod fervor palam profitendi veritatem me in aliqualem digressionem abduxerit. Restat, ut breviter adhuc dicam, qua ratione definitio obligationis *activae* etiam ad obligationem *positivam* applicari queat. Haec obligatio pendet ab arbitrio alterius, et praesertim Superioris, quo cum nostris actionibus motivum aut agendi aut non agendi connectit. Sic v. gr. Princeps, ut incolae civitatis a furto perpetrando deterreantur, furibus comminatur poenam laquei, et sic Legi Naturali furtum prohibenti novum motivum addit, quod quoniam per Legem Naturae non definitur, illud motivum est *arbitrarium*, sive ab arbitrio Principis, Legem ferentis, dependens, ideoque obligatio inde oriunda est *positiva*.

Qua autem ratione ejusmodi motiva, quae per repraesentationem mali *arbitrarii*, ex transgressione Legis positivae, sequuntur, oriuntur, per Principem, Leges pe-

regriña et a subdiis non intellecta lingua conscriptas ferentis, cum liberis civium actionibus committendis aut omittendis connecti possint, ut inde obligatio nascatur *civilis*, videant, per me licet, alii, quibus auctoritas Juris Romani in foris nostris magis curæ cordique est. *Secare* tamen hunc nodum, in Jurisprudencia Rationali nihil laudis meretur, sed boni et aequi arte *solvere*, hoc opus, hic labor erit.

L E C T I O V.

De Lege Naturae et inde oriunda obligatione passiva.

Ordo universi postulat, ut nihil in eo contingat absque Lege seu norma agendi; ordo enim universi consistit in subordinatione mediorum ad finem obtinendum: media proinde sunt Leges, sine quibus finem consequi non datur; ideoque constituunt normam agendi: hæc norma agendi naturae agentis conveniens esse debet atque in hac convenientia actionis cum natura agentis consistit bonitas actionis, quae bonitas vel est *physica* vel est *moralis*; ideoque et Leges aliae sunt physicae, aliae sunt morales. Universa Natura est activa, id est, quodlibet ens in mundo existens vi quadam agendi praeditum est, quae agat; quaecunque igitur in mundo eveniunt, abstrahendo a miraculis, eorum causae iterum connexae sunt in serie iisdem adhuc anteriore. Hicce ordo eventuum congruit rationi, quae in viribus causarum illos efficientium continetur. In ordi-
na-

natissima igitur hujus mundi serie, ubi unum consequitur ex altero, ita ut cuncta inter se sint connexa, dantur vires agendi et leges sive principia generalia, secundum quae unumquodque agens vim suam agendi, naturae suae convenienter, exferat.

In hoc autem universi ordine, ubi unum semper inferviat alteri, et corpora et spiritus sive animae reperiuntur; hae animae iterum sunt vel rationales sive facultate ratiocinandi praeditae, vel sunt tantum sentientes. Quapropter et Leges, secundum quas singulae creaturae ex viribus sibi concessis agant, admodum variae sunt, prout cujuslibet Natura secundum stabilitum universi ordinem exigit.

Corpora quippe agunt secundum Leges motuum, quae autem sunt contingentes, et minime, prout *Spinoza* contendit, necessariae; non enim derivantur ex principio *contradictionis*, sed *convenientiae* seu principio *rationis sufficientis*. Sunt igitur DEO mutabiles, nec repugnat essentiae corporum, si aliae supponantur Leges. Sunt ergo mutabiles in se, quamvis respectu creaturarum sint inmutabiles. Quamobrem etiam fieri potest, ut hae leges ab earundem Latore per miracula interrumpantur et aliter constituentur. Ceterum corpora agunt secundum ordinem naturae a sapientissimo Creatore dispositum, ideoque secundum certas leges et ob certos fines, legum harum et finium licet ignara.

Animalia autem non solum vi *movendi*, sed et facultate

tate *sentiendi* gaudent, ideoque se de loco in locum movere, sive huc et illuc ire et redire possunt, quod tamen in plantis, vegetantis naturae licet machinis, non conspicimus. Animalia cerebro et organis *sensoriis*, organum hominum similibus, praedita sunt; neque haec frustra a sapientissimo Creatore concessa sunt, sed similibus usibus inserviunt, quos in conservatione, procreatione et defensione sui generisque sui Leges Naturae quoad corpora humana intendunt. Bruta itaque et sentiunt et sibi aliquid, licet confuse tantum, repraesentant. Unde in illis est appetitio et declinatio naturalis, quam *instinctum* vocamus, qui secundum legem *proportionis* et *convenientiae* dirigitur, ideoque et in Ordine Universi fundatur.

At homo praeter facultatem *sentiendi* gaudet et facultate *ratiocinandi*. Actiones igitur *humanae* duplici reguntur Lege adpetendi averfandique, una ex facultate *sentiendi*, altera autem ex facultate *ratiocinandi* originem suam ducente: illam solam si sequamur, brutis similes erimus; hanc vero solam si observemus, similitudinem cum Angelis adfectabimus, quam tamen pro nostro terreno statu adsequi, haecenus non datur. Ergo obtemperandum est Ordini Universi et quidem in ea creaturarum classe, in qua Auctor Naturae nos sapientissime constituit, usque dum in aliam classem, quae Angelorum est, post hanc vitam progrediamur.

Interim mirari desinatis, quod duplicem agendi regulam humanae Naturae praefixam esse docuerim; unam
ex

ex Natura *animali* et alteram ex natura *rationali*, utramque fundatam in Natura *hominis jam existentis*. Et ne putetis, hanc opinionem ab orthodoxia esse alienam, dabo vobis sententiae meae patronum, et quem potius, quam Apostolum *Paulum*, qui in *Epist. ad Rom. Cap. 7: 22.* scripsit: *Delectat me Lex Dei secundum internum hominem, sed video aliam Legem in membris meis, rebellantem Legi mentis meae et captivum reddentem me Legi peccati, quae est in membris meis.* Scilicet ex hisce *Paulinis* dictis patet, 1. *Legis* nomine venire normam, secundum quam nostras dirigimus actiones; 2. Aliam Legem esse membrorum nostrorum, et 3. Aliam esse Legem mentis; ac denique 4. In rebellionem Legis membrorum prae Lege mentis sive in dominatione adpetitus sensitivi prae adpetitu rationali ideoque in utriusque dissensu peccatum consistere. Non igitur Lex adpetitus sensitivi aversionisque sensitivae per se in homine est rejicienda; Naturae enim Auctor talem Legem nobis indidit, quae per se bona est, quamque cum brutis habemus communem, sed id in homine, utpote ente *rationali*, condemnandum est; quod secundum hanc Legem solam agat, nec ad fines, quos, intendunt τα πρωτα κατὰ φύσιν, respiciat, veruntamen rationem captivam ducat per concupiscentias carnis, ut idem *Apostolus* testatur in dicta *Epist. ad Rom. Cap. 6. vs. 12.* et in *epist. ad Gal. Cap. 5. vs. 16.* Et in hac perversa vitae moralis conditione consistit ipsa hominis corruptio, ceu itidem laud. *Apostolus* adfirmat in *Epist. ad Ephes. Cap. 4. vs. 22.* scribendo: quod ho-

D 4

πιο corrumpatur *κατα τας επιθυμιας της οικιατης*, *secundum concupiscentias inposturae.*

Etenim adpetitus sensitivus et averfatio sensitiva nobis bona adparentia tantum et mala adparenter talia repraesentant, quae autem bona in se spectata reapse mala, mala autem ita nobis repraesentata revera bona sunt; interim autem homo per hanc confusam boni malique repraesentationem motivum agendi sibi sumit, veramque inde felicitatem quaerit, cum tamen illa felicitas tantum adparens sit; ideoque si ad rectam rationem, prout par est, postea attenderit, experietur, hoc motivum agendi esse tantum meram *inposturam*; homo quippe humanae, id est, rationali suae Naturae semper convenienter agere debet, si a brutis distinguatur; et sic partem illam animalem ad dignitatem hominis revocare sive adpetitum *sensitivum* et averfationem *sensitivam* cum adpetitu et averfatione *rationali* in unum consensum reducere tenetur, si perfectio hominis sive vera felicitas inde oriatur.

Sensus itaque, imaginatio et inde oriundi adfectus et instinctus Naturales partem hominis ignobiliorem efficiunt, quae pars cum dominari incoeperit, hominem seu creaturam rationalem detrudit in *servitutem moralem*, ubi homo, in classem brutorum detrusus, non vivit amplius rationi suae, nec proinde etiam Legi Naturae suae *humanae* convenienter. Etenim homo si dignitati Naturae humanae consulat, omnem operam dare debet, ne sensus, imaginatio et adfectus unquam praevaleant adversus rationem, sed semper eidem ministrent, ut recta
ratio

ratio imperium teneat in dirigendis actionibus liberis. Ratio enim eo fine nobis data est a sapientissimo universi conditore, ut verum a falso et sic verum quoque bonum ab adparente bono verumque malum a malo adparenter tali rectius discernere discamus et secundum hanc Rationis regulam agamus.

Unde nunc ex hisce dictis mecum facile percipietis, quid per *Legem Naturalem* seu normam actionum nostrarum liberarum, in ipsius hominis *essentia* fundatam intelligamus? Non equidem tantis ambagibus, quibus usus sum, opus fuisset, si notionem *Legis* metaphysicam nude vobis proponere, in animum induxissem, sed in philosophia practica, quantum fieri potest, magis practice, id est, ad emendam hominis vitam moralem philosophandum est, ideoque cruditati verborum sterilitatique definitionum non diu et magnopere inhaerendum. Cum igitur Lex in moralibus sit propositio *obligans*, consequens est, ut in Jure Naturae obligatio *activa* semper praecedat Legem. Hanc veram obligationis activae indolem jam praecedenti Lectione explanavi simulque docui, nexum motivi cum actione nostra perpetranda reperiri in distincta veri boni cognitione, ejusdemque motivi connexionem cum actione omittenda quaerendum esse in distincta veri mali cognitione. Nulla autem datur Lex absque ratione; nam rationem Legis si tollas, cessat ipsa Lex. At in Lege Naturae *praecipiente* ratio Legis consistit in vera perfectione promovenda, et ratio Legis Naturae *prohibentis* fundatur in vera imperfectione arcenda, sive in

ipsa bonitate et pravitate actionis, quae agentem ejusque statum reddit aut perfectiorem aut imperfectiorem.

Hanc bonitatem pravitatemque actionis ut cognoscamus, recte judicante *Auctore Dubiorum Juris Naturae ad Generosissimum Dominum*, qui Auctor eruditissimi libelli est Cl *Joannes Fridericus Hombergk zu Vach*, hoc igitur viro iudice, in cit. tr. cap. 2. §. 14. *Natura adeo cognita et perspecta nobis esse debet, ut certi simus, nos ab ejus placitis non aberrare. Nec solum necesse est, scire, quid ipsa sit, sed et an una sit, an vero multiplex: deinde, quale sit opus illius, quid molietur, quomodo res omnes producat, quibus modis eas conservet, et ad quem finem: qui sint limites Naturae, ubi subsistas. His cognitis, inquit vir laudatus, forte de jure Hominum quaerere licebit, non ante. Non juvabit igitur, ex compendio didicisse, Legem Naturae esse normam actionum nostrarum liberarum, in ipsius hominis essentia fundatam; nisi perpendimus ante, quatenam sit Hominis Natura sive essentia existens?*

Quapropter non potui, quin vobis imaginem quandam duplicis Naturae, *animalis* videlicet et *rationalis*, quamvis tenui tantum penicillo depictam, darem, ut inde ex utraque conglutinatam conspiciatis *Hominis Naturam* atque ex hac dijudicetis, quatenam lex agendi in Natura fundetur *humana*. Essentia equidem Hominis est aeterna et in aeternum quoque manebit *Lex Naturae*, quae in essentia hominis fundatur, sed Natu-

ra

ra tamen hominis *existens*, saltem quoad naturam ejus *animalem*, varias subibit mutationes. Seminatur *σῶμα ψυχικόν*, *corpus animale*, sed resurget *σῶμα πνευματικόν*, *corpus spirituale*, testante Apostolo Paulo in Epist. 1. ad Cor. cap. 15: 44. Unde mutato statu multae obligationes naturales, quae hodie *connatae* dicuntur, cessabunt. *In resurrectione enim neque matrimonium contrahunt, neque elocantur, sed sunt sicut Angeli Dei in coelo*, ait SALVATOR noster, teste Evangelista Matthaeo cap. 22: 30.

Et haec ideo adduxi, ut veram Legum Naturalium indolem alius meditari discatis; quaedam enim fluunt ex principio *contradictionis*. Sic v. gr. contradictorium foret, ut *creatura non teneatur venerari creatorem*, ut *ens rationale non teneatur, rationi convenienter vivere*: hae igitur aliaeque iis similes obligationes hominum *connatae* in omnem durabunt aeternitatem, quamdiu homo homo erit. At dantur aliae Leges Naturae, quae, licet etiam in statu nostro *originario* obtineant, nobisque inponant obligationes *connatas*, magis tamen ex *principio convenientiae et ordinis*, quam *necessitatis* fluunt. V. gr. Obligatio *connata propagandi genus humanum, utendi cibo et potu*, et quae sunt similia, utpote quae ad naturam hominis *animalem* tantum respiciunt, non durabunt in aeternum; haec enim Natura *animalis* homini non est *essentialis*, sed tantum pro hoc terreno rerum statu et in hac *ordinis periodo* requiritur. Sin itaque per rerum naturaeque nostrae evolutionem alia nobis obtingent corpora, etiam aliae Le-

ges agendi Naturales officia nostra definient ; nam pro viribus agendi circumscribuntur Leges et determinantur obligationes agentis,

Cum vero nondum inter coelites vitam degamus, sed animalia corpora in hoc sublunari orbe circumgestemus, per se consequitur, Jus illud, quod Naturae nostrae *animali* congruit, nobis cum brutis esse commune; ideoque a Jctis Romanis hoc sensu non inepte definitum esse *Jus Naturae* per illud Jus, quod *Natura omnia animalia docuit*.

Ceterum perspicacissimi Romanorum Jcti per Jus Naturae, hominibus proprium, quod et *Jus Gentium* appellitare suserunt, intellexerunt illud jus, quod *Naturalis ratio inter omnes homines constituit*. At dubium omnino videri posset illud jus, quod ratio singulorum hominum, in *concreto* spectata, constituerit; ratio quidem omnibus, qui Naturam et figuram hominis habent, tribuitur, sed vires et facultates cujusque sunt inaequales. v. gr. Ratio Naturalis, quae *Hottentottae* aut stupidiori cuidam rustico tribuitur, non eadem est, quam quae acutissimo Philosopho competit. Sin igitur rationem humanam ex ratione singulorum dimetiamur et quidem secundum infimum perfectionis gradum; tum sane non erit, cur de progressu Juris Naturae, quod ratio inter *omnes* homines constituit, gloriemur. Sin autem rationem humanam extendamus ad illos terminos, ad quos pervenere Philosophorum subtilissimi, et ex hac sublimiore Ratione Legem Naturae inter omnes ho-

homines aequalem statuamus; cum hebetioribus normam agendi praefigimus, quam non intelligunt et propter imbecillitatem ingenii intelligere nequeunt, ideoque obligationem illis imponimus Naturalem, quae ultra eorundem vires porrigitur.

Lex igitur Naturae, quae singulos in suis *individuis* obligat, non ex *universali* quadam Natura, quae non existit, sed ex Natura cujusvis *individui* est eruenda; ideoque obligatio Naturalis inde oriunda, *in concreto*, non *in abstracto* dijudicanda erit, ne quempiam ultra vires propellamus. Theologi haud raro hac in re iniquiores sunt, dum enim Clerici de subtilissimis et intricatissimis controversiis inter se digladiantur, postea illarum decisiones, per plurima vota, quae autem numerantur, non ponderantur, in conciliis impetratas, Laicis, tamquam fidei articulos, obtrudunt, quasi in Laicorum potestate esset, de ejusmodi abstrusis clericorum disceptationibus rectum ferre iudicium.

Quoad actus inputationem itaque nemo mortalium ultra vires suas tenetur; sed si Jus Naturae in toto suo complexu sumamus, sive si Systema Legum Naturalium in ordinem redigamus, videndum est, non quid ratio valeat apud rusticum aut *Hottentottam*, nec quid unus alterve Theologus, in nostra disciplina hospes, de Jure Naturae statuat, sed quo usque perspicacissimorum virorum, tam solidiorum Theologorum, quam excellentiorum JCtorum ac subtilissimorum Philosophorum, ingenia in hoc doctrinae genere polleant. Nec videndum, quid quondam,
sed

sed quid nostri aevi temporibus egregie praestiterint; omnisque opera inpendenda, ut nobilissimae hujus totique generi humano saluiferae disciplinae pomœria longe lateque proferamus, nec ad *Pufendorffii* aliorumque *J*ctorum, raro philosophantium, metam haereamus.

Quod reliquum est, an ad notionem Legis in genere et sic etiam Legis Naturalis requiratur *jussus superioris*; quaestio est, a *Pufendorffio* ejusque adseculis acriter quidem contra perspicaciorem *Grotium* defensa, sed nostris temporibus post *Wolffii* fata ab omnibus, qui ultra vulgus sapiunt, merito neganda. Haec autem quaestio eodem redit, quam quo famosissima illa, quae ventilatur de *moralitate* actionum nostrarum *interna*, cujus prolixiorẽ interpretationem in sequentibus dabo. Hoc igitur loco me ab aliis meditationibus continebo, tantum notionem *superioris* sive *jussus superioris* delineaturus.

Superior autem vel est *physice* vel *moraliter*, sive *potentia* vel *Jure* talis. Quodsi jam *physice* sumamus *superioritatem*, tum ipsa *Natura* nobis est *superior*, cum consecutaria mala, quae ex actionibus nostris malis consequuntur, impedire haud valeamus. V. gr. si quis nimio potu et vino utitur, non potest impedire debilitatem stomachi aliaque mala physica inde consecutura. Hic nexus physicus cum actionibus moralibus est indissolubilis. Ex hisce bonis et malis, quae ex actionibus nostris liberis consequuntur, status noster vel perfectior vel imperfectior redditur. Unde saltem motivum desumitur hoc vel alio modo agendi, quae connexio motivi cum

cum actione nostra libera constituit nobis normam agendi ac proinde Legem Naturae, quoniam hoc motivum cum nostris actionibus liberis connectitur per ipsam rerum hominisque Naturam.

Et quod ad superioritatem *moralē* attinet, ea dicitur, cui jus competit *perfectum*, nostras determinandi actiones liberas; et haec superioritas vel est *Divina* vel est *humana*. *Humana* autem superioritas in hac quaestione in censum venire nequit. Ergo quaestio ventilatur de *superioritate Divina*; hanc autem nemo, nisi sit *Atheus*, negavit unquam; sed de eo solummodo disceptatur: Num Lex Naturae dependeat a *jussu* superioris DEI? In qua quaestione definienda distinguendum est inter *existentiam* et *essentiam* Juris Naturae; etenim *existentiam* Legis Naturae respectu hominum, non autem intuitu DEI; a liberrima DEI voluntate et jussu dependere, nemo iterum negavit unquam, nisi sit *Atheus*: at *essentiam* Legis Naturae non a libera DEI voluntate, pendere, sed radicatam esse in ipso perfectissimo intellectu Divino, defendunt saniores Philosophi, omnes et Theologi quoque solidiores, quotquot hypothesein *idearum arbitrariarum Cartesianam* rejiciunt; ut adeo *jussus* DEI superioris ad *essentiam* Legis Naturae non requiratur, sed in eo consistat potius differentia Legis Divinae *positivae* et *naturalis*; ut illa lex *jussu* DEI derivetur, haec autem per ipsas hominis rerumque *essentias* sanciat; alioquin si *jussus* superioris DEI Legem Naturae efficeret, hanc aequae ac Legem positivam summus Legislator Divinus iterum mutare et abrogare, no-
vas-

vasque condere possit; et ita Jus Naturale aequè mutabile foret, quàm jus illud positivum; quod vero adserere, quàm absurdum sit, nemo non videt: veruntamen in posterum adhuc late de hac materia differendi dabitur occasio.

Interea hoc loco adhuc breviter agendum est de obligatione *passiva*, quae ex Lege fluit. Praecedente Lectione IV. autem demonstravi, quod obligatio *moralis activa* supponat possibilitatem *physicam*, quoniam nemo ultra vires suas tenetur. Quodcumque igitur agenti *in concreto* physice impossibile est, ad illud *moraliter* obligari nequit, licet *in abstracto* physica possibilitas adsit. Etenim impossibile dicitur, quod contradictionem involvit, ideoque possibile nuncupatur, quod a contradictione liberum est. Actio autem debet convenire naturae agentis; si vero naturae agentis repugnat, tunc contradictionem *in concreto* involvit. Homo autem est ens *mixtum*, cujus natura conglutinatur ex natura *animali* et natura *rationali*; huic utrique aut alterutri naturae igitur si actio repugnat, contradictio adest cum natura *humana*. Praeterèa et *animalis* et quoque *rationalis* natura hominis varias subit mutationes, nec natura facit saltum; infans enim recens natus, nec easdem vires Naturae *animalis* habet, nec etiam eodem usu facultatum animae superiorum, ideoque nec iisdem facultatibus Naturae *rationalis* gaudet, quam quidem perfectae aetatis homo; infantes quippe aptitudine tantum gaudent, successive perveniendi ad usum membrorum corporis facultatumque animae. Ergo infantis Naturae repugnat saepius id, quod hominis, qui perfectae est aetatis, Na-

Naturae maxime convenit. Infantes lacte nutriuntur, Viri autem robusti solidiori cibo: in moralibus hoc idem obtinet. Unde concludo, possibilitatem et impossibilitatem agendi semper *in concreto*, et non *in abstracto* spectari debere, si inde *necessitatem moralem* eruere velimus.

Jus enim, quod semper ex obligatione nascitur, inane nomen est, nisi *exercitium Juris* accedat. Quodsi itaque physica impossibilitas agentis obstat, sive si agenti vires deficient, quominus Jus in exercitium deducere possit, nulla quoque *obligatio* ad agendum adest. V. gr. infanti vi Naturae *animalis* potentia deficit, procreandi sobolem, immo etiam *usu rationis* destituitur, educandi sobolem secundum Legem Naturae *humanae*; ergo et infans ob deficientes *vires physicas* et ob defectum quoque *aptitudinis moralis* obligari per Naturam suam nequit, ut matrimonium contrahat, quoniam *Jus* suum, licet *connatum*, quoad matrimonium ineundum in *exercitium* deducere non valet: quae autem impedimenta dum successu temporis per incrementem aetatem majoremque usum rationis remouentur, mox obligatio Naturalis connata vim suam exerit, ut Jus inde oriundum *actu* existat, quod antea tantum *potentia* aderat.

In necessitate igitur morali agendi vel non agendi semper ad *vires agentis* respiciendum est, et quid in potestate fuerit agentis, accurate disquirendum, ne in imputatione actionis iniqui fiamus iudices.

Est vero *moraliter necessarium*, cujus oppositum

E

Le

Legibus repugnat. Multos equidem offendit terminus *necessarii moralis*, quasi cum eo libertas stare non posset; at meo judicio confundunt necessarium *morale* cum necessario *physico*, et praeterea libertatem cum licentia. Vellem, ut *necessitatem moralem* alio termino exprimere possem, quo inbecillioribus ingeniis, quae inde offenduntur, succurrerem, sed haec mihi tam felici esse non licuit, ut aptiori termino *obligationem moralem passivam* definirem. Hanc autem definitionem ut clarius intelligatis, ex *Grotio* memorasse juvabit, quod *bonitas actionis* consistat *in convenientia*, et *pravitas actionis in repugnantia cum Natura agentis*. Quam primum itaque *Ratio* et *Libertas* agentis accedunt, actio ejus *physica* statim fit *moralis*. Libertas autem non est *licentia* sive facultas pro arbitratu vivendi, quae facultas si daretur, profecto non esset *moralis*, sed mera potius *potentia physica* sive coeca facultas absque ratione. Ergo Naturae libere, id est, cum ratione agentis repugnat, ut vitam agat Legibus Rationis contrariam. Quapropter *moraliter impossibile* habetur, quod cum Natura hominis, tamquam agentis Rationalis, contradictionem involvit. *Moraliter* proinde *necessarium* dicitur, cujus oppositum est impossibile; ita tamen ut oppositum actionis *physice* semper possibile spectetur, quae moraliter impossibilis est. V. gr. Contemptus Juris Naturae est actio *physice* possibilis, quotidie enim hunc supinum Juris Naturae contemptum in maleferiatis hominibus experimur, sed hic actus tamen *moraliter est impossibilis*, cum nihil Naturae hominis Rationali magis repugnet, quam Leges rectae Rationis contemnere, ideoque contradictionem involvit,

ho-

hominem Rationalem haberi velle et Legem Rationis vilipendere. Contemptus igitur Juris Naturae cum actus fit *moraliter impossibilis*; hinc ejus oppositum fit *moraliter necessarium*; ut adeo moraliter necesse sit; abstinere a contemptu disciplinae Juris Naturae et hanc Divam potius magni facere. Theologorum autem quorundam mores; quorum meminisse me caedet, hac in re nihil quicquam nos excusare possunt; cum nos aequae homines simus et; quae Naturae nostrae humanae *rationali* conveniunt; omnino expendere non solum inter privatos nostros patrias, sed et quavis data occasione longe lateque promovenda generis humani dignitate ejusdemque promovenda salute, et amplificanda Gentis et Academiae nostrae gloria pandere teneamur.

Unde nunc mecum facile rationes subducentis, eousque cujusvis necessitatem moralem agendi vel non agendi sese extendere, quousque nimirum *vires agentis physicae* et usus facultatum animae *Legi Naturae convenienter* sese exferere possunt, et non ultra; nam si daretur obligatio *passiva* ad impossibilia sive *physice* sive *moraliter* talia; tum moraliter necesse foret, ut homo faceret ea; quae tamen abs homine fieri nequeunt, aut non debent; quae autem obligatio; cum *contradictionem* involveret cum Natura agentis, prorsus absurda et otiosa foret, cum nulla motiva ad actiones impossibiles perpetrandas aliquid efficere possint; ideoque obligatio *activa* plane deficeret, qua deficiente obligatio *passiva* nulla est.

Quae cum ita sint, prout vobis verissima videbuntur, facile mihi veniam dabit, si vestram attentionem exci-

tare sustineam ad nonnullorum Jctorum opiniones, qui obligationem civium *passivam* ex receptione, si Diis placuerit, Juris Romani tradunt, licet obligationem *activam* inde neququam commonstrare valeant. Ex Legibus enim civilibus peregrina lingua conscriptis non datur, nec dari unquam potest repraesentatio mali *arbitrarii*, ex legum istarum transgressione oriundi, nec repraesentatio boni *positivi* cum earundem custodia conjuncti. Ergo connexio *praemii et poenae* positivae cum civium actionibus perpetrandis aut omittendis deficit; in hac autem connexione, quam Legislato humanus civium animis per promulgatam Legem insinuat, motivum agendi vel non agendi sive ipsa obligatio *civilis* consistit *activa*: et hanc Legislato humanus non aliter, quam per distinctam boni malique *arbitrarii* seu *positivi* repraesentationem in subditorum animis efficere potest: quae vero repraesentatio mali bonique *arbitrarii* aliter fieri nequit, nisi per signa externa aut verba, quibus voluntatem suam Legislato subditis declarat, ut iis auditis aut lectis eadem notiones eorundem animis insinuentur, quas loquens aut legens cum verbis connexit. At hoc impossibile est, ut id fiat per linguam peregrinam a subditis non intellectam. Ergo obligatio *activa civilis* sive connexio motivi per repraesentationem boni malique *arbitrarii* prorsus deficit. Hac autem obligatione *activa* deficiente, non video, qua unquam iusta ratione obligatio civium *passiva* ex ejusmodi Legge *positiva* locum habere possit. Plura non addam, ne mea dicta, ut saepius proh dolor! fieri solet, in odium trahantur.

Quod reliquum est, paucula etiam, sed magis timidiuscule, de quibusdam Theologis addere lubet, qui sibi et aliis

aliis persuadere conantur, corruptam esse humanam rationem; ut ea, quae sunt Revelationis, perspicere non valeat. At, quaeso, ubi tunc obligatio *activa* sive connectio motivi cum nostris actionibus liberis quoad haec sacra invenitur? Num itaque crederemus, DEUM hominibus per Revelationem remedium salutis manifestare voluisse, et tamen nulla bona ex amplexu illius remedii salutis speranda, nec ulla mala ex contemptu Revelationis metuenda nobis repraesentasse? Aut repraesentasse quidem, sed ita obscure, ut nemo, nisi Spiritu Sancto illuminatus, mentem Revelationis intelligere posset? Tum sane obligatio *activa* ad amplectendam Divinam Revelationem eamque pervestigandam deficeret, qua deficiente etiam obligatio *passiva* sive necessitas moralis, secundum praescriptam Revelationem agendi, nulla foret, et sic nemini *defectus fidei*, quamvis sub praedicatione Evangelii vixisset, imputari posset; quod autem cum *S. Litteris* repugnet, dicendum est, in cujusvis viribus naturalibus positum esse, de Veritate et Divinitate Revelationis convinci, ut de ea convictus DEUM frequenter inploret pro Gratia sibi inpartienda: quod si hoc fecerit et tantum ex viribus licet naturalibus recta media adhibuerit, legendo et meditando *S. Scripturam* absque ullis auctoritatis humanae praesudiciis, ut Gratiae particeps fiat Divinae, ego sane adferere non ausim, DEUM unquam homini facienti, quod in se est, Gratiarum suam et Divinum auxilium denegaturum esse. At praestat forsitan tacere et secum securius habitare, quam mentem suam aliis incautius, licet candidè, exponere. Quamobrem reliqua vestris lubenter relinquo meditationibus.

LECTIO VI,

De principio cognoscendi Legem Naturae.

De Juris Naturae principio multae sunt Eruditorum logomachiae: *Scholastici* quondam tria distinguebant principia; principium videlicet *essendi*, *fiendi* et *cognoscendi*. Barbare quidem haec audiunt, sed in veritatibus investigandis non adeo delicatuli esse debemus, quin aliquando ex stercore aurum colligamus. Rem ipsam igitur si examinemus, utique dicendum est, DEI *intellektum* prout omnium essentiarum veritatumque universalium, sic etiam ipsius Juris Naturae principium *essendi* recte nuncupari; DEIque *voluntatem*, prout omnium rerum existentium, sic quoque existentiae Juris Naturae inter homines aliasque creaturas principium esse *fiendi*. De hoc autem *essendi* et *fiendi* principio Juris Naturae jam non quaeritur, sed disceptatio instituitur; quodnam in nostra disciplina sit principium *cognoscendi*, unde scilicet definire liceat generalem agendi normam, secundum quam singulas actiones liberas recte instituamus, aut ceteras agendi regulas eidem ita subordinemus, ut principium illud spectetur, tamquam propositio Universalis, ex qua Leges Naturae omnes mediante ratione evidenter demonstrari queant?

Circa tale autem principium Juris Naturae mirifice inter se discrepant Eruditi, adeo, ut nulla doctrina sit in nostra disciplina, quae tantis obnoxia est disceptationi-

nibus, rixis et cavillationibus, quam quidem ea est, quae de principio Juris Naturae agit. Et hae infaustae Eru- ditorum controversae vitiligatoribus ansam dederunt, ut totum Jus Naturae *incertum* esse clamitent; cum enim de primo Jurisprudenticæ Naturalis principio nequidem inter se conveniant optimi hujus disciplinae interpretes, quid, ajunt, certitudinis sperandum esset in hoc studio- rum genere?

At vero, ut mihi videtur res in vado erit, dummodo diversa diversorum Juris Naturae systemata, prout par est, attentius perlustraverimus, nec eorundem principia ultra terminos, quos sibi illorum quisque praestituit, ex- tendamus. Nimis autem prolixum foret, si hoc loco singula singulorum principia ad incudem referre vellem; nonnulla tantum levi brachio tangam, ut inde conspi- ciatis, notiones Juris Naturae, ex quibus diversi diverse argumentari videntur, esse tamen easdem, et nonnisi ver- bis, quibus exprimuntur, discrepantes; nam alioquin vix fieri potuisse reor, ut illorum dogmata ita inter se cohaereant, si prima eorundem principia, unde conclu- siones firmant, revera secum tantopere pugnarent.

Aequitas igitur, humanitas et bene interpretandi regulæ postulant, ut quorumvis Juris Naturae principia non ul- tra terminos, ab ipsis Auctoribus sibi praefixos, temere provehamus. Sic *Pufendorfius* sibi praestituit, Jus Na- turæ praecipue *externum* sive *juridicum*, quod vocant, explanare aut saltem ultra officia erga alios, sive *huma- nitatis*, sive *necessitatis* fuerint, metam suam haud por- rigere. Huic itaque viro illustri jam sufficiebat princi-
E 4 pium

plum *Socialitatis*, ita ut ex convenientia actionum nostrarum cum socialitate humana rectitudinem actionis judicaret. Quapropter officia erga DEUM ad *Theologiam moralem* et officia erga se ipsum ad *Ethicam* retulit, et saltem eo respectu ad Juris Naturae disciplinam pertinere putavit, quatenus Religio *societatibus* hominum efficacissimum praebeat vinculum et observatio officiorum erga se ipsum homines reddat *societati* aptiores. Ita enim ipsemet *Pufendorffius* praefat., majori J. N. et G. *Operi* praemissa, suam hac de re mentem explicuit: *Cum Religio*, inquit, *quatenus ad disciplinam Juris Naturalis pertinet, intra sphaeram hujus vitae terminetur; eo quoque intuitu ad socialitatem referri potest, quatenus illa societatibus hominum efficacissimum vinculum praebeat. Et quae adversus se ipsum homini observanda sunt, eundem utique societati commodiorem reddunt.*

Non equidem est hujus loci, naevos istiusmodi arctissimis circumscriptae jurisprudentiae Naturalis terminis indicare, sed tantum animus mihi fuit, ut ostenderem, istud principium *Socialitatis* latius sumi non debere, quam ipse Auctor illud coarctavit, et sic solummodo ad officia erga alios restringendum esse; ideoque nimis inhumanum fore, si quis ex citatis verbis argumentari vellet, *Pufendorffium* omnem ejurasse Religionem, eamque solummodo ad vinculum *Socialitatis humanae* arctius constringendum necessariam duxisse. At non ita more haereticum censuram agimus in *Pufendorffii* hypothesis.

Eodem fere modo, quo *Pufendorffius*, etiam *Gundlingius* officia erga se ipsum ad *Esbicen*, et officia erga Deum ad *Theologiam moralem* ex disciplina Juris Naturae ablegavit; ideoque primum Jurisprudentiae Naturalis principium in *pace externa* statuit, hisce verbis: *pacem externam ante omnia sectare et serva, ubi haberi potest, ne prorsus ad vitam cum aliis traducendam virtutemque acquirendam inutilis fias.*

Thomasius vero officia erga se ipsum ad Jus Naturae recensuit, sed officia tamen erga DEUM *interiora* ad *Theologiam* amandavit, et hinc ex principio felicitatis *temporalis* Jus Naturale concinnavit; absurde autem exinde quis concluderet, ac si et *Thomasius* et *Gundlingius* nullam *aeternam* hominis felicitatem statuissent aut cultum DEI propter pacem inter homines *externam* sive felicitatem *temporariam* inventum esse credidissent, cum potius hanc doctrinam tamquam extra limites Juris Naturae, ut opinantur, positam ad *Theologiam* pertinere censuerint.

Prout igitur isti multique alii, qui cum ipsis sentiunt, viri egregii Jus Naturae arctius, quam par est, interpretantur; sic quoque illorum principia, quamvis suo respectu vera, nimis tamen *angusta* sunt, quam ut ex iis omnia nostra Juris Naturae officia rite deduci queant.

Sunt tamen et alii Viri Celeberrimi, qui et officia erga DEUM Jure Naturali, prout ratio jubet, simul complectuntur; ideoque *latiora* equidem principia statuunt,

sed quae saepius non satis *domestica* aut *soli* Jurisprudentiae Naturali propria videntur, utpote principium illud, quod viri illustres, uterque et *Henricus* et *Samuel de Cocceji*, in *voluntate* DEI ponit; hoc enim quam maxime etiam Legibus Divinis *positivis* congruit, ut adeo differentia inter hasce et Naturales Leges cessaret.

Taceo, quod *Cartesianismum* sive hypothesin *idearum arbitrariarum* sapiat, Jus Naturae quoad *essentiam* ex *voluntate* DEI derivare velle; libera quippe DEI voluntas est quidem principium *existentiae*, sed non *essentiae* Juris Naturalis sive; ut *Scholastici* loquebantur, est principium *fiendi*, non *essendi*. Praeterea principium *cognoscendi* voluntatem DEI aliunde adhuc repetere debemus, ut certi simus, quid voluntati Divinae conveniat, et quid eidem repugnet; ergo non est primum Juris Naturae *cognoscendi* principium.

Ceterum dantur et alii, qui officia Juris Naturae cum principio *cognoscendi* Legem confundunt, quos inter est *Heineccius*, qui in *Elem. Jur. Nat. et Gent.* §. 79. *amorem* pro Juris Naturae principio venditat atque mirificum hac in re Legis Divinae Revelatae et Naturalis consensum deprehendisse sibi videtur: at S. Scripturae loca, quae cit. §. allegavit vir illustris, amorem quidem erga DEUM et proximum graviter inculcant eumque *Legis inpletionem* et *vinculum perfectionis* vocant, sed neutiquam innuunt, amorem esse primum Juris Naturae *cognoscendi* principium.

Noa

Nos vero alios in hisce delictis suo sensu abundare facile patimur, cum in his tamquam pro ara et focis propugnandis non consistat dignitas et praestantia Juris Naturae. Ut vero aliorum logomachias in hac materia evitemus, semper attendendum est, quia significatione *Jus Naturae* ab aliis sumatur, videlicet num 1. jus vel pro ipsa actionis bonitate seu attributo ipsius actionis, utrum vero 2. pro facultate agendi id, quod justum seu bonum est sive pro attributo personae, an denique 3. pro forma agendi seu ipsa Lege accipiatur. Hanc triplicem Juris Naturae significationem si ex *Grotii Lib. 1. de J. B. et P. §§. 3. 4-9.* bene intellexeritis, de quibusvis aliorum Juris Naturae systematibus illorumque iis accommodatis *cognoscendi principii* rectum ubique judicium ferre poteritis.

Sic quando quis systema *Juris Naturae externi* conscripserit eique nonnihil ex *Jure Naturae interno* addiderit, quemadmodum *Pufendorffio* ejusque sequacibus, *Thomaso*, *Gundlingio* et aliis placuit, jus sumunt *pro facultate agendi* seu *pro attributo personae*, ideoque integrum *Legum naturalium* systema minime exhausserunt, sed partem tantum eamque ignobiliorem *Divinae Jurisprudentiae Naturalis* excoluerunt; facultas enim agendi, si in *mero Jure Naturae externo* fundatur, in potentiam degenerat *physicam*, nisi ista facultas per ipsam *Naturae legem* agenti concessa fuerit. V. gr. ex jure domini mihi competit facultas, res meas perdendi, quoniam quilibet dominus est liber arbiter rerum suarum, nec ulli alii jus perfectum competit, dominum in exerci-

citio sui juris inpediendi, sed quilibet externe obligatur, eum in eodem jure externo non turbare. Jus dehortandi quidem cuius Legum Naturalium cultori competit, ut rectum rerum suarum usum domino suadeat, sed hoc jus non involvit jus cogendi eum, si consiliis auscultare nolit. Nihilominus tamen hoc jus, perdendi res suas, est tantum externum, quod externos inter homines producit effectus; at si illud jus secundum Naturae Legem dijudicemus, revera non est jus seu facultas per ipsam legem concessa, cum potius Legi Naturae repugnet, rebus suis abuti; est igitur *mera potentia physica*, cujus exercitium, cum nemo inde laedatur in suo jure perfecto, quilibet pati tenetur propter *aequalitatem* et *libertatem*, qua quisque gaudet in dirigendis actionibus et usurpandis rebus suis, quamdiu nemini injuriam infert. Quod si igitur Jus Naturae in hac rerum schesi spectemus, Pufendorffii *socialitatis*, Gundlingii *pacis externae* ac Thomassii *felicitatis temporariae* principia satis abunde sufficient; veruntamen si ad ipsam Naturae legem, per quam solam, et non ex defectu juris alterius perfecti, facultatem agendi adquirimus, si, inquam, ad sanctissimam Legem respiciamus, nunquam nobis *facultas moralis* seu *jus* competere potest, aliquid contra legem agendi, sed non alia facultas agendi nobis per Naturae Legem concessa est, quam quae bonitati actionis convenit. Ergo ut integrum et completum Juris Naturae systema nobis formemus, necesse est, ut *Jura Naturae* non solum pro facultatibus agendi sumta, praeserrim *externa*, ob oculos ponamus, sed et quam maxime requiritur, ut jura etiam quaecunque in-

interna, ac praesertim ipsam veram obligationis *activae* et *Legum* Naturalium indolem plenius pensitemus, ne obligationem *passivam* et inde oriundam facultatem agendi *moralem* somniemus absque Lege.

Jura proinde *connata*, quae ex obligationibus hominum *connatis* fluunt, primam rationem sufficientem continent jurium *adquisitorum* et obligationum *contractarum*. Horum autem omnium naturam satis perspicere non *valemus*, nisi et verae *Libertatis* notio nobis perspecta sit. Haec Libertas tamen vim suam satis exferere nequit absque perspicentia *Rationis* in rerum nexum. Eousque igitur sese extendit *obligatio* nostra *Naturalis*, quousque nostra Libertas agendi vim suam exferere potest, ut adeo pro gradu libertatis differat gradus obligationis. Et gradus libertatis actionis iterum dependent a gradibus *Rationis* sive intelligentiae nexus possibilem, quae *possibilia contingentiam* actionis supponunt. Innumerae vero dantur actiones, ad quas suscipiendas homo aptus est: *motivis* tamen homo semper utitur ad agendum vel non agendum, quae motiva consistunt in *repraesentationibus boni malive* ex actione suscipienda vel omittenda consecuturi. Non autem omnes homines iisdem utuntur *motivis*, sed plerique agunt ex *spuriis* et plane *falsis* *motivis*, sibi que bonum sub specie mali malumque sub specie boni repraesentant, quae connexio *fallacis* *motivi* cum actionibus liberis non per ipsam hominis rerumque *Naturam* constituitur, sed ex confusa boni malique repraesentatione temere arripitur, unde norma agendi sive *Lex Naturae*, quae *rationalis* est, sancti nequit, nisi vel-

vellemus, immutabilem et aeternam Naturae Legem à vanis mortalium *arbitriis* derivare. Non ita autem cum *Carnade* aliisque vitio creatis censoribus sanctissimam Naturae Legem profanamus aut stultitiae nomine hanc omnis *verae* et *perpetuae* iustitiae originem traducimus.

Quamobrem longe aliud *cognoscendi principium* in Divina Jurisprudencia Naturali quaeremus oportet, quam ut ram lubrica nostrae verae felicitatis ponamus fundamenta. Et cur, quaeso, in nostra Juris Naturae disciplina, quae est actionum bonarum atque malarum scientia, aliunde *principium cognoscendi* quaeramus, quam ex ipsa hominis rerumque Natura? Natura cognita nobis esse debet, ne ab ejus placitis aberremus; in distincta igitur cognitione convenientiae actionis cum natura agentis, *principium cognoscendi* Legem Naturae consistit.

Bonum in genere dicitur, quod essentiae suae convenit; bona itaque actio nominatur, quae essentiae agentis congruit. Stimuli Naturales brutorum sunt essentialis; bona proinde actio bruti nuncupari potest, quae hisce determinationibus brutorum essentialibus est attemperata. At in homine *Ratio* et *Libertas* in agendo concurrunt, quapropter actio hominis Naturae ejus *rationali* consentanea esse debet, si bonitas actionis *humanae* conspiciatur.

Quodsi porro deprehenderimus, hominem non in solitudine, sed *Socialitatis* vivere, eamque hominis naturam esse, cognoverimus, ut homo absque hominis
auxi-

auxilio se perficere nequeat, facile intelligemus, actiones humanas etiam cum natura *Sociali* consentire debere.

Homo praeterea est *creatura DEI*, bonitas itaque actionis humanae postulat, ut adfit ejus convenientia cum ipsis *DEI* perfectionibus atque perfecti simus, quemadmodum *DEUS*, pater noster Coelestis, perfectus est.

Si denique varios hominum status *adventitios* nobis ob oculos repraesentemus, ubique *principium cognoscendi* Legem Naturae in convenientia actionum cum natura agentis statuere licebit. V. gr. *Maritus* qui est, convenientia tum naturae *maritalis* jubet, ut uxorem diligat et cum ea prolem procreet, nec uxorem deserat aut adulterium committat, et quae sunt plura mariti officia, ex hocce principio cognoscendi Legem Naturae facili negotio eruenda.

Sic quoque si quis *Civis* est, convenientia tum adesse debet actionis cum Natura *Civitatis*, quae secum fert, ne quis rebellem agat, sed potestates humanas veneretur eisque obedientiam praestet in omnibus, quae ad communem Reip. salutem pertinent, atque tantundem boni in commune conferat, quantum salvis officiis erga *DEUM* et erga se ipsum conferre potest.

Denique quis *Christianus* est vel saltem sub statu Christianismi vivit, etiam ex hac relatione *principium cognoscendi* Legem Naturae obtinebit in convenientia actionis cum *Natura agentis Christiani*, qui ex novis
mo-

motivis ab *opere redemptionis* oriundis fortius adstringitur, officia *rationalis* non solum, sed et *socialis* hominis atque fidissimi mariti, benigni patrisfamilias, boni Civis, immo quaecunquæ alia Legis Naturae debita alacritus adimplere.

Unde nunc, ut spero, clarissime percipietis, *principium cognoscendi* Legem Naturae, quaerendum esse in *distincta cognitione convenientiae actionum cum Natura agentis*.

Idem hoc principium perspicacissimus *Grotius* de *J. B. et P. Lib. I. cap. I. §. §. x. n. i. et xii. n. i. coll. §. 7. Proleg.* optime defendit, licet alii viro illustri unice principium *socialitatis*, sed perperam, adscribant; *socialitatis custodiam* equidem humanae Naturae congruentem esse tradidit, ideoque omnia, quae cum Natura *sociali* conveniunt, Juris Naturalis esse docuit, sed neutiquam tamen omnia, quae Juris Naturalis sunt, ex hoc *socialitatis* principio recte deduci posse dixit, quemadmodum *Pufendorffio* visum fuit; at dari etiam quaedam humanae Naturae congruentia, quae potius ex Natura *rationali* deriventur, acutius perspexit *Grotius*.

Cum igitur Natura cujusvis agentis diversa sit vel saltem esse possit, mecum inde conclusionem elicietis, Legem Naturae differre pro diversitate Naturae agentis; Naturae enim dum *vis* est ad agendum per rei, cui inest, *essentiam* determinata, necesse est, ut antea cujusvis agentis *vires* perquiramus, priusquam Legem Na-

ur

turae inde definire possumus. Non par intelligentia et non pares vires omnibus datae a Naturae Auctore. Animantes etiam suâ natura ferri ad sui conservationem videmus. Idem de infantibus hominum quadantenus dicendum est, in quibus ante omnem disciplinam Natura se ostendit sui quidem conservatricem, sed non rationis compotem, prout in hominibus perfectae aetatis; atamen bonitas aut pravitas actionum cujusvis agentis quaerenda est in convenientia aut repugnantia illarum actionum cum ipsa natura agentis, ut adeo hoc *principium cognoscendi Legem Naturae* per omnem naturam tam *animalem*, quam *rationalem* et *socialem* sese diffundat.

Natura autem cum semper agat *propter fines*, quos Auctor Naturae cuique rei in hoc universi ordine existenti adsignavit, nobisque vero *facultas* concessa sit, perspicendi *hosce fines*, et *media* iisdem subordinata perquirendi, totumque rerum nexum nobis repraesentandi, atque non *praesentia* tantum, sed et *futura* pensitandi; ac ex *viribus* agentis Lex Naturae determinetur: hinc *humanae* omnino conveniens est Naturae, ut ubique in hisce *judicium recte conformatum sequatur*, et, ut Grotius in *proleg. de J. B. et P. § 9.* ait, *neque mesu, aut voluptatis praesentis illecebra corrumpatur, aut temerario rapiatur impetu*, sed ubique rerum omnium *finibus* convenienter vivat; et, qui hoc fecerit, is etiam secundum *Universi ordinem* vivit. Principium igitur *cognoscendi Legem Naturae*, quod in *rerum convenientiis et repugnantis* a GROTIUS statuitur, idem est ac principium, quod ab aliis in convenientia cum *re-*
F *rum*

rum finibus ponitur, aut a nobis in convenientia actionis cum *universi ordine* quondam cum Cl. WIELINGIO publice propugnatum fuit. Immo et hoc mire congruit principio *Perfectionis* WOLFFIANO; nam ubi sunt *rerum convenientiae*, ibi est *ordo*, et ibi quoque *perfectio*; sed ubi sunt *rerum disconvenientiae* aut repugnantiae, ibi est *confusio ordinis*, et ibi quoque *disensus variorum* seu ipsa *imperfectio*, ut adeo haecce Juris Naturae principia revera nihil inter se differant.

At, ut verum fatear, tunc post iteratas meditationes sublimis GROTHII *principium cognoscendi Legem Naturae*, quod ex *convenientia aut disconvenientia actionis cum natura agentis* desumfit, omnibus aliis praefendum esse censeo, tum ob veritatis *simplicitatem*, quod ab omnibus etiam minus Eruditis facilius intelligi queat; tum etiam ob ejus *amplitudinem* et *generalitatem*, quod cujusvis agentis naturae adplicari possit, in quocumque etiam statu, ne Christianismi quidem statu excepto, homo deprehendatur; ac praeterea, quod sub hoc cetera principia cognoscendi Legem Naturae omnia, quaecumque ab aliis formantur, dummodo vera sint, comprehendantur.

Ponamus enim ex aliorum hypothese, *Voluntatem Divinam* esse principium cognoscendi Legem Naturae; unde tum, obsecro, voluntatem Divinam ex rerum natura cognoscamus, nisi ex convenientia actionis cum natura agentis. V. gr. Homo est ens ratione praeditum, conveniens igitur naturae rationali est, ut iudicium recte
for-

matum sequatur. Ergo voluntas DEI inde cognoscitur, ut nostra ratione recte utamur. Et quae sunt plura inde demonstranda officia naturalia.

Si autem *quarumvis rerum fines* pro principio cognoscendi Legem Naturae adoptemus, res eodem recidit; unde enim cognoscamus singulos singularum rerum fines, quos Naturae Auctor cuique rei adaptavit, nisi ex ipsis rerum hominisque essentialis atque eorundem *viribus* agendi sive usibus, quos agendo habere possunt, ut perfectionem, quam habent, *essentialem* conservent, et *accidentalem*, quam acquirere valent, augeant. Et quid, quaeso, hoc aliud est, quam principium cognoscendi Legem Naturae in ipsa convenientia actionis cum natura agentis statuere?

Immo ipsum elegantissimum et foecundissimum *Ordinis Universi* principium nihil quoque aliud est, quam cum *Grotio* rerum convenientias et disconvenientias disquirere, ut inde bonitatem pravitatemque actionis ex eisdem consensu aut repugnantia cum natura cujusvis agentis iudicemus. At vero, quod nunc ingenue confiteor, non adeo singulis et semidoctis intellectu facile est, cum acumen Philosophicum ad id requiratur, ut *Ordinem Universi* penitus perspiciamus: quod idemtidem de principio *perfectionis* WOLFFIANO dicendum esse reor, praeterquam, quod hoc: *Perfice te*; magis argumentum Legis vel officium Naturae, quam principium *cognoscendi* Legem Naturae indicare videatur.

Plura adhuc alia aliorum principia *cognoscendi Legem Naturae* proferre eaque examinare possem, sed haec jam sufficient, ut inde evidentiter intelligatis, nihil ineptius esse, quam ob diversitatem *principiorum cognoscendi Legem Naturae*, quae diversi quidem diversis verbis efformant, sed quae tamen re ipsa, ut audivistis, inter se conveniunt, ideo ad *incertitudinem ipsius Divini Juris Naturae* argumentari. Eodem modo ex Theologorum rixis de controversiis fidei Christianae tunc quoque liceret contra Divinitatem et evidentiam S. Scripturae in doctrina salutis argumenta petere, praesertim cum illae longe plures sint, quam quae in principiis Juris Naturae ventilantur. Divinae autem Jurisprudentialis naturalis dignitas postulat, ut ejusmodi naenias a nostrae sanctioris disciplinae pomoeriis graviter repellamus.

Praesertim vero nimis infrunitum est, quod ob *incertitudinem principiorum cognoscendi Legem Naturae*, concludant etiam ad incertitudinem Juris Naturae *externi* et quidem *acquisiti*; nam hoc non *immediate* ex Legem fuit, sed ex *voluntate* alterius quoad translationem Juris in alium factam sufficienter declarata; ideoque *incertitudo*, si quae daretur, principii *cognoscendi Legem* jus illud ab uno translatum et ab altero acquisitum, cujus principium cognoscendi est *voluntas* ab uno sufficienter declarata et ab altero acceptata, minime *incertum* reddere potest. Nec etiam in modo acquirendi rerum dominia *originario incertitudo* principiorum cognoscendi Legem Naturae quicquam quoad ipsum Jus Naturae *externum*, solummodo pro facultate agendi inter homines

nes sumtum, immutare valet, cum hoc jus, quamdiu alteri nulla inde injuria infertur, ex *sola voluntate adquirentis* pendeat, prout pluribus patebit in posterum, quando de *principio Juris cogendi* aut de *vera indole Juris Naturae externi vel perfecti ac interni vel imperfecti* peculiari Lectione tractavero. Mirum profecto est, quod aliquando amplissimi ceteroquin Viri, si Juris Romani auctoritatem, praestantiam et certitudinem commonstrent, ut causam suam belle scilicet! perorare sibi et aliis minus perspicacibus videantur, etiam ex *incertitudine*, quam putant, principii *cognoscendi* Legem Naturae haud raro ansam sumant cavillandi de *cerebrina aequitate Naturali*, de *incerto Jure Naturae* similibusque quaestiunculis, quae etiam tironibus in nostra disciplina risum extorquent; at jamjam, de quo DEO immortali, Juris Naturae Auctori, sint grates, hisce vociferationibus non amplius fidem tribuunt, qui generosiora et sanctitate Legis Naturae Jurisque Naturalis *externi*, cum *interno* conjuncti, decocta pectora fovent. De quibus autem in praesenti plura non addam.

LECTIO VII.

De moralitate interna.

Omnes, quos quidem ego novi, saniores Philosophi juxta ac solidiores Christianorum Theologi, uno quasi ore profitentur consummatam Legum Naturalium Sanctitatem et summam earundem Sapientiam; ideoque et agnoscere debent, DEUM hisce Legibus nihil jussisse aut vetuisse ex sola jubendi aut vetandi potestate; nam immensa quamvis sit DEI potentia, non agit tamen DEUS ex mero arbitrio absque ulla justitiae et injustitiae, boni malique habita ratione, solummodo ut potentiam suam ostendat. Potentia quippe non facit Jus, sed ea potius ad *exercitium Juris* requiritur, ut Jus in actum deducatur; alias enim DEO tribueremus Jus Naturae *Hobbesianum* et *Spinosificum*, quo illud Jus Naturae ex potentia viribusque et cupiditate sive *mero arbitrio* cujusvis entis agentis dimetiendum esse profane docetur. Veruntamen id DEI perfectionibus manifesto repugnat, qui sua potentia nunquam abutitur, nec, quae summa est Divina perfectio, unquam abuti potest, sed agit semper suae sanctitati et sapientiae ac bonitati convenientissime. Ergo lex datur aeterna secundum quam DEUS agit, quae nihil aliud est, nisi summa Ratio, qua supremum Numen nexum mediorum cum finibus optimis eorundemque convenientias cum suis perfectionibus distinctissime perspicit.

Et secundum hanc Legem aeternae Rationis Naturam
pro-

produxit, ut omnia ordinatissima sint, nullumque vagum in ordine occurrat, sed hoc universum plenum sit finibus a supremo Governatore intentis; bonum proinde est, quod hisce finibus convenit, malumque, quod eisdem repugnat. Fines autem a Creatore intentos perspicere nobis datur ex aptitudine facultatum mentis nostrae atque functionum corporis nostri et usu rerum creatarum, sive ex ipsis hominis rerumque Naturis, per earundem essentias determinatis; quae igitur Naturae agentis conveniunt, ea etiam finibus a DEO intentis congruunt, et ea quoque aeternae Legi sive ipsi Rationi Divinae, sapientiae, sanctissimaeque DEI voluntati, qua omnia secundum optimas rerum convenientias ad exemplar perfectionum suarum inter se coordinavit, bene respondent. Et haec ideo quoque *in se* bona sunt, non quia DEUS jussit, sed quoniam aeternis suis convenientiae rationibus constant, quae utique ab aeterno in perfectissimo intellectu Divino sunt repraesentatae, et secundum hasce Divinas rerum repraesentationes, in *intellectu* DEI infalibili radicatae, *voluntas* DEI easdem produxit, ut adeo bonae sint actiones et justae, non quia DEUS easdem *jussit*, sed DEUS easdem imperavit, quoniam, *per se* bonae et justae erant antecedenter ad Decretum Divinum; DEI enim potestas Legislatoria non est mere arbitraria, ut omne boni malique discrimen ex ejus *voluntate* derivandum sit, sed jam adfuit aliquid, quod DEI voluntatem permovit ad vetandum hoc et praecipendum illud.

Et quid hoc aliud esse potuit, quam aeterna DEI Ratio, qua boni malique ideas ab aeterno sibi repraesentavit?

vit? Nec tamen ideo, ut *Pufendorffius* quidem in J. N. et G. L. 1. cap. 2. §. 6. existimat, DEO adjungimus principium aliquod coaeternum *extrinsecum*, sed potius principium *internum*, in ipso DEI intellectu radicatum, DEOque proinde essenziale, defendimus, ut voluntas cum Ratione agat, nec coeca in DEO fingatur voluntas, aut horribile quoddam immensae potentiae arbitrium, ratione et sapientia cassum.

Pufendorffius autem *cit. loc.* omnem honestatem et turpitudinem actionis liberae citra *inpositionem et beneplacitum superioris* intelligi posse negat, ideoque omnem moralitatem ex *jussu superioris* derivandam esse contendit, nihilque *per se* citra omnem *inpositionem* turpe aut honestum esse adfirmat. Haec sententia, quam *Pufendorffius* ex hypothese *Cartesiana idearum arbitrariarum* hausit, subsequenter temporibus inter JCTos, raro acute philosophantes, multos invenit adsecelas, quos memorare nihil juvat; sed id meminisse expedit, lites, quae in controversiis *Wolfianis* tantos de *moralitate actionum humanarum intrinseca* fluctus excitarunt, originem suam debere huic *Pufendorffianae* opinioni, qua tempore controversiae cum *Wolffio* acriter agitatae adhuc infecti erant minus perspicacium Eruditorum virorum animi. At nunc post has controversias cum subtilissimo Philosopho ventilatas et Theologi et JCTi infaustra *Pufendorffii* castra dereliquerunt, et iterum cum sublimiori *Grosio* hac in re rectius sapere didicerunt. Is vero vir summus in *Proleg.* §. 12. de J. B. et P. originem Juris Naturalis quoad *existentiam* respectu nostri ex libera

bera quidem DEI *voluntate* repetit, sed profluere tamen illud ex principiis homini *internis* tradidit, DEO-que tantum et voluntati Divinae, quod talia principia in nobis *existent*, adscripsit; et hinc Lib. 1. cap. 1. §. 10. n. 5. dict. tr. de J. B. et P. adseruit, nec imensa DEI potentia effici posse, *ut, quod intrinseca ratione malum est, malum non sit.*

Antequam vero rationes pro disciplinae moralis fundamento magis magisque stabiliendo seorsim adferam, monet me argumenti tractandi sanctitas, ut vos commoneam, ne putetis, ac si per doctrinam *moralitatis intrinsecae* obligatio nostra Naturalis *externa*, quam ex promulgata nobis DEI seu summi omnium Legislatoris voluntate deducamus, inde labefactetur; qui enim ita sentiunt, illi mentem *Grotianam* non perspiciunt; nam voluntati Divinae, inquit *Grotius* in proleg. de J. B. et P. §. 12. *nos subjici debere intellectus ipse noster nobis irrefragabiliter dictas.* Quamprimum igitur cognoscimus, voluntatem DEI Juris Naturae inter nos *existens* esse causam efficientem sive principium, ut Scholae loquuntur, *fiendi*; tum ex ipsa moralitate intrinseca sive ex ipsis creaturarum rationalium essentiis consequitur, ut nobis conveniat, venerari Creatorem, Naturae Auctorem Jurisque Naturalis sanctissimum statorem; ideoque omnes, qui non sunt Athei, conjungunt cum moralitate intrinseca etiam ipsam moralitatem extrinsecam, quae a voluntate Legislatoris originem ducit. At vero hanc citra illam locum habere posse negamus, et praeterea adserimus, si fieri posset, quod autem fieri nequit,

dari hunc universi ordinem, etiamsi non dato DEO, Jus tamen Naturae, quod ex actus convenientia aut inconvenientia cum Natura Rationali ac Sociali per se fluit, in hac Atheorum hypòthesi impossibili locum aliquem habiturum esse, licet non tanto lumine splenderet, nec tam multis, quae nunc a perfectionibus Divinis recte desumuntur, motivis adstringeretur.

Haec *Grosii Wolffique* et nostra sententia tantum abest, ut aliquid impietatis secum ferat, ut potius inde convincamur, nihil esse per liberam DEI *inpositionem*, ut termino *Pufendorffiano* utar, nobis in hoc rerum ordine adsignatum, quod non essentiae nostrae apprime conveniat, internaesque proinde moralitati attemperatum fuerit, ut nostra inde promoveatur vera felicitas. Fontes igitur, unde moralitas *intrinseca* probetur, ex ipsis DEI perfectionibus promanant.

Etenim pensiteris velim, quod rectitudo voluntatis Divinae consistat in eo, ut nihil velit, nisi quod bonum est: bonum autem est, quod essentiae suae convenit. Ergo DEUS de actionibus creaturarum nihil constituit, nisi quod essentiae cujusvis creaturae agentis convenit. Et hae ideae essentiales in objectis creaturarum a DEO sibi ab aeterno repraesentatae, dicuntur *rationes objectivae*, et moralitas actionum liberarum, quae in hisce rationibus *objectivis* sive in ipsis rerum hominisque essentis immutabilibus fundatur, nec a sola DEI voluntate pendula est, nuncupatur *intrinseca*. Quam si quis negaverit, is concedere debet, DEI voluntatem sine motivo, id est, sine boni malique in *objecto* praevia repraesentatione

sentatione, ideoque sine ulla causa ex mero tantum arbitrio egisse, nec ullam rationem habuisse, cur potius jam ita voluerit, quam si nolisset, quando ipsi hoc placuisset. Merum beneplacitum non est ratio sufficiens volendi aut nolendi; nam alia volendi aut nolendi causa in creando mundo esse non potuit, quam quod res repraesentatae in eandem inter se nexu DEO placeant aut displiceant. DEO autem placet, quod bonum in re est, et displicet, si in eadem malum deprehenditur. Ergo DEUS ex hoc suo beneplacito, quod non merum arbitrium, sed plenum aeterna infallibilique Ratione et Sapientia est, secundum verissimam et certissimam rerum repraesentationem ex rationibus *objectivis* universum produxit, ut id rationibus *subjectivis* conveniret sive ipsas perfectiones Divinas fulgentissime manifestaret. Et quale hoc esset bonum, quod inde consequeretur, nisi enti cuicumque tantundem boni conferret, quantum rationibus *objectivis*, id est, essentiae cujusvis entis, et simul rationibus *subjectivis*; id est, perfectionibus divinis convenienter fieri potuit. DEUS itaque secundum hunc perfectissimum omnis boni intuitum omnia produxit atque tales liberis creaturarum actionibus leges dedit, quae agentium Naturis conveniunt, ideoque *in se* bonae et salutiferae sunt, quae proinde moralitatem actionum *intrinsicam* involvunt.

Hanc doctrinam si ita paulo altius pensitarent dissentientes, mihi persuaderem, illos nihil habere, quod nostrae sententiae objicerent. At Natura voluntatis in ente rationali, et indoles liberi arbitrii quondam ab Eruditis
non

non satis perpendebatur, unde Theologi, Jurisconfulti et Philosophi multas superficialias hypotheses in disciplinam moralem invehebant. Sed nostris laetioribus temporibus, ubi longe majores progressus tum in sublimiore Metaphysica, tum praesertim in solidiore doctrina Morali fecerunt viri per totam Europam, Celebrissimi, vix excusari possunt tenebrionum mores, quod hanc moralitatis intrinsecae sententiam *beterodoxiae* suspectam reddere conentur et quasi ex orco abs me in disciplinam Juris Naturae reductam esse censeant. Veruntamen ad ejusmodi haereticum clamores cachinnum tollunt doctiores viri aequae Theologi, ac Philosophi.

Missã igitur haereticum turba hanc moralitatis intrinsecae doctrinam, non tamquam futilem Scholasticorum hypothesin, sed tamquam aeternam veritatem, quae per integrum Juris Naturalis systema maximum habet momentum, libere profiteamur. Leges quippe Naturae nihil aliud sunt, quam media, quibus DEUS in creando, conservando et gubernando universo mundo, finem, quem inde sibi praestituit, adsequi voluit. Hic ultimus creationis finis, prout in praecedentibus jam explicavi, est felicitas creaturarum rationalium; ideoque eas nobis dedit Naturae Leges, quae non possunt non ad nostram salutem utiles et per se sufficientes esse; connexuit proinde summus Legislator cum earum custodia veram nostram felicitatem et cum earundem transgressione veram infelicitatem, tanquam motiva agendi ex distincta cognitione veri boni verique mali nobis repraesentata. Qui indivulsus Naturae nexus cum ipsis DEI perfectionibus

con-

convenit, qui se ipsum abnegare nequit, sed creaturas suas rationales, quas felices reddere voluit, ad se ipsum, tanquam fontem omnis veri et boni, per hasce saluberrimas Naturae Leges ducere debuit, ut in hac *moralis* conformatione creaturarum cum sanctissimo Creatore gauderent summi boni perfruitione, eaque autem privarentur, si ad hocce perfectionum Divinarum exemplar sese non conformarent. Atque ex hocce indivulso Naturae nexu sive ex ipsa moralitate *intrinsicca*, in immutabilibus DEI perfectionibus radicata, fluit jam post statum generis humani moraliter corruptum, si homines iterum felices reddantur, *necessitas Satisfactionis* sive *Redemptionis* et *Sanctificationis* generis humani, quam si quis solidioribus argumentis commonstrare velit, is omnino *moralitatem intrinsiccam* fundamenti loco supponere debet; nam si a libera DEI voluntate seu mero Ejus arbitrio penderet essentia Juris Naturae, tum DEUS velle posset, ut homo transgressor Legis Naturae, crimine licet non expiato, felix fieret. Hoc autem si fieri potuisset, crudelitatis speciem haberet factum DEI Patris, quo Filium suum unicum pro instauranda generis humani salute immolandum tradidit; nec etiam factum Filii DEI, quo morti se tradidit, ab *avroχυσις* macula liberari posset, nisi factum hoc tamquam unicum recuperandae generis humani salutis remedium, ideoque *moraliter necessarium* ponamus, et per consequens *intrinsiccae moralitatis* doctrinam propugnemus. Unde nunc mecum convincemini, quem momentosum sit dogma de *moralitate intrinsicca*, quo ipsa Religionis nostrae sanctitudo contra meri arbitrij patronos stabiliatur.

Fa-

Falluntur autem mirifice, qui *essentias* atque *existentias* creaturarum inter se maxime confundunt. Quod *Natura* existat, id utique beneplaciti Divini est sive a libera DEI voluntate pender, ideoque etiam a liberrimo DEI decreto repetendum est, quod existant haec bona et haec mala cum actionibus hominum liberis tanquam consecretaria naturaliter connexa; at si perpendamus, hanc Naturam hominis rerumque jam existere, non est res meri arbitrii, ut posita hac hominis rerumque Natura inde, salvis earundem essentiis, alia cum iisdem non connexa consecretaria fluere. Quapropter defendamus oportet *Leges Naturales*, quae in ipsis hominis rerumque essentiis fundantur, non arbitrio Divino omnipotenti sic constitutas esse per *inpositionem* quandam, sed in intellectu Divino ab aeterno fuisse et adhuc hodie esse atque in aeternum fore radicatae, ideoque absolute necessarias et semper immutabiles, nec ullo modo ab arbitrio Divino pendentes.

Nec verendum est, ne quis objiciat, ita nos Naturam ipsam absolute necessariam statuere; nam Naturam *contingentem* si defendamus, Naturam spectamus non qua *Essentiam*, sed qua *Existentiam*: et hanc duplicem Naturae considerationem, ut jam monui, dissidentes mire confundunt. Ipse *Puffendorffius*, acerrimus ceteroquin moralitatis intrinsecae oppugnator, in J. N. et G. L. 2. C. 3. §. 4. hoc jam agnovisse videtur, dum scripsit: *Est nulla necessitas Deum adegerit, ut omnino hominem crearet, tamen postquam ipsum destinasset creare animal Rationale ac Sociale, non poterat non*
Lex

Lex Naturalis ipsi congruere, non ex necessitate absoluta, sed hypothetica. Si enim is ad contraria officia fuisset adstrictus, non Sociale animal, sed alia feri et horridi species animalis fuisset producta. Ex quibus *Pufendorffii* verbis satis liquet, Virum illustrem jam concessisse, creationem hominis quidem a libera DEI voluntate dependere, sed Leges Naturae, quibus homo adstringatur, ab eadem libera DEI voluntate non pependisse; nihilominus tamen laudatus *Pufendorffius* eod. cit. §. ad suum tantopere deamatum de omni boni malique discrimine a voluntate Divina derivando systema revertitur, manifesto indicio, Virum per totam Europam Celeberrimum suum proprium systema aut statum quaestionis cum ipso ventilatae non satis profunde perspexisse. Quod num etiam *Barbeyracio* nostro in animadversionibus Gallicis ad iudicium Anonymi sive Ill. *Leibnizii* de hac *Pufendorffii* controversia contigerit, id ex acutissimi et amicissimi *Basotii* nostri Dissert. I. de *propaganda Fide* pag. 45. et seqq. ac praesertim pag. 50. vis attento Lectori facile patebit.

Quod reliquum est, adhuc monendum esse duco, quod jam in Lectione praecedente V. verbulo monui, non omnes Leges Naturae esse *absolutae necessitatis* seu iuris Naturae absoluti, quae posito homine ponuntur, sed quasdam etiam dari, quae magis sunt *convenientiae* regulae et quae ad jus naturae *perfectivum*, quod vocant, referri debent, quae igitur non fiunt ex hominis rerumque essentiali et magis sunt *ordinis*, quam *necessitatis*. V. gr. Posita sexus utriusque masculini et foeminiq
inter

inter homines paritate, consequitur inde, polygyniam Naturaliter esse illicitam sive generaliter inter homines non esse admittendam, cum non possit singulis masculis permitti sine laesione juris illorum, qui ita a matrimonio ineundo ob quorundam polygyniam ex inopia foeminarum excluderentur. Polygynia igitur generaliter introduci nequit, id enim repugnaret juri omnium masculorum *connato* et sic foret contra jus tertii perfectum. At haec obligatio ad monogamiam polygyniae praefendam non adeo fluit ex ipsa hominis essentia, sed sublata hujus numeri paritate, ita ut sexus foemini capita numerum masculorum in triplum vel quadruplum excederent, tum polygyniam Juri Naturae convenire et monogamiae praefendam esse censerem. Non tamen sine summa sapientia et benignitate Divina hanc paritatem numeri masculos inter et foeminas constitutam esse existimo; nam alioquin masculi obligati fuissent, plures simul ducere uxores et sic oneribus matrimonii ferendis, nec non curae liberis in multum numerum procreatis recte educandis impendendae impates forent, immo ob rixas inter plures uxores pluriumque uxorum liberos in una domo viventes facile suboriundas matrimonia, aequo respectu masculorum, quam foeminarum, plena essent *aerumnarum*, et molestiis foecunda. Summum itaque Numen promovendae bonae prolis procreatae educationi, ideoque saluti generis humani inde sperandae optime consulens, paritatem constituit numeri masculos inter et foeminas, ut monogamiam praeferrerent homines polygyniae, quo majorem prolis educationi curam impendere possent, quae bona educatio cum matrimonii

fines

finis sit, monogamia eidem magis inservit, quam polygynia, ut adeo sapientissimus Divinus Legislator nec hac in re paritatem utriusque sexus numeri constituendo ex mero quodam arbitrio, sed ex bonitate sapientiae regulis attemperata cum genere humano instar benigni patris egerit. Quas rationes Legum Naturalium si moralitatis intrinsecae oppugnatores ubique, prout par est, acutius perquirerent, tum Jurisprudentia Divina Naturalis longe majorem inde nancisceretur inter homines splendorem: sed jam nobilissimam hanc disciplinam cavillationibus deturpant et inde quasi re bene gesta adhuc apud indoctum vulgus gloriantur, quorum mores prudentior quisque odit et arcet.

LECTIO VIII.

*De limitibus Jurisprudentiae Naturalis per
Philosophiam Practicam et Theologiam
Christianorum moralem proferendis.*

Philosophia practica late sumpta, recte definitur per *Scientiam, quae regit mentem in prosecutione boni et fuga mali.* Scientia autem subjective sumpta, quae in homine datur, est habitus demonstrandi ea, quae affirmamus vel negamus; ideoque rerum cognitionem certam supponit; nam quae non cognoscimus, ea demonstrare haud valemus, ut adeo eadem neque affirmemus, nec negemus, sed in dubio relinquamus.

G

Qui-

Quilibet autem cognoscere tenetur, quid bonum quidve malum sit, ut certam vivendi rationem sequatur; ideoque et quilibet philosophiam practicam sive scientiam boni malique sibi adquirere obligatur. Non equidem omnibus omnis scientia opus est, quia non idem agendum est omnibus hominibus in hoc mundi theatro, sed eam tamen scientiam quisque adquirere tenetur, quae omnibus aequae est necessaria. Haec autem philosophia practica omnes omnium regit actus in *prosecutione boni et fuga mali*, quae obligatio in prosequendo bono fugiendoque malo omnibus hominibus per Legem Naturae incumbit, a qua naturali obligatione nemo mortalium se ipsum liberare, immo nec ipse DEUS rationalem creaturam hac obligatione solvere valet. Ergo et quisque, quantum in sua potestate est, operam dare tenetur, ut habitum adquireret demonstrandi ea, quae nobis bona, quaeve mala sunt.

Dantur tamen scientiae gradus: paucissimis vero hominibus contingit summum attingere scientiae gradum, neque etiam ad eundem obligantur omnes, cum is non sit in omnium viribus, ad impossibilia vero nemo obligari possit. At qui non summum attingere valet boni malique scientiae gradum, ita ut consummatas eorum, quae adfirmantur et negantur, dare queat demonstrationes, is in inferiori saltem subsistere debet hujus necessariae cognitionis gradu, ut aliquam potius, quam nullam habeat boni malique cognitionem.

Feliciores autem procul dubio ille est, qui ex consummatas boni malique demonstrationibus, totius doctrinae

mo-

moralis exasctam sibi adquisivit scientiam, ut omni tempore et in quovis casu dato certus sit, quid sibi aliisque conveniat in agendo, quo vitam perfectam vivere studeat secundum sanctissimam Naturae Legem; hoc tamen fieri nequit, nisi nobis evidentius perspectae sint boni malique regulae seu ipsae Naturae Leges, cum virtutes morales non dentur absque virtutibus intellectualibus. Ergo danda est opera, ut solidissimam, quantum fieri potest, adquiramus ipsius Juris Naturalis scientiam sive ut philosophiam practicam penitius perspiciamus.

At scientia in disciplinis moralibus practicis nihil juvat sive scientem non reddit feliciorum, nisi ejus cognitio *viva* sit, quae voluntatem movet ad agendum, prout ipsae Leges Naturae postulant. Theologi autem nonnulli clamitant, omnem philosophicam doctrinae moralis cognitionem esse *mortuam*, nisi accedat auxilium Divinum, quo nostra permoveatur voluntas ad bene agendum fugiendumque malum; ut adeo supervacaneum videatur, philosophiam practicam tradere sive scientiam boni malique profiteri, aliisque inculcare. Veruntamen absurda haec est et profana quorundam Theologorum opinio; nam si haec objectio aliquid in recessu haberet, valete quoque deberet contra ipsam Divinam Revelationem, quae etiam nisi ejus cognitio *viva* sit, non vitam, sed mortem nobis praenuntiat, nec praedicatio Evangelii nobis salutem adfert, nisi nos, in peccatis mortui, inde moveamur, ut iterum reviviscamus. An igitur inde concludamus, otiosum esse, Verbum DEI perquirere, quod nobis per S. Scripturam manifestavit, quodque no-

bis peccatoribus tamquam remedium salutis proposuit? Aequè etiam ineptum est, homines a contemplatione Legum Naturalium, quae Divinae sunt, dehortari, quasi harum cognitio *mortua* esset; *viva* enim esse potest, adjuvante auxilio Divino. Ad hoc autem auxilium supremi Numinis implorandum, si per abusum libertatis nostrae defectum virium, servandi Legem Naturae nobis contraximus, atque sic nostra doctrinae moralis cognitio ex dominatu appetitus sensitivi per propriam culpam *mortua* fuerit, ut inde voluntas nostra ad recte agendum sese non determinet, sed in quaevis devia abeat; tum, inquam, ad implorandum auxilium Divinum per ipsam Naturam Legem obligamur, ut nos in cognitione veritatum moralium sanctiores reddat, ne ipsam Legem Naturalium veritatem in injusticia detineamus.

Interea haec severior Legum Divino-Naturalium cognitio *per se* non est *mortua*, sed quoniam nos mortui, id est, per appetitum sensitivum ita inescati sumus, ut rectae rationi, quae nobis carior esse deberet, vix ac ne vix quidem amplius obtemperemus; hinc eo diligentius, eo severius culturam Juris Naturae instituamus, ut per hanc vocem Naturae, quae vox DEI est, ex somno nostro morali expergiscamur atque sic demum, auxiliante DEO, reviviscamus et fructus feramus omnibus bonis operibus abundantissimos. Quis enim aegrotanti, quamvis ex diaeta male instituta aegrotet, unquam tam ineptum dedit consilium, ut nulla medicina a prudenti Medico praescripta utatur? Potius ideo Medici auxilio ipsi opus est, quoniam per proprias vires pristinam sanitatem, li-
cet

et culpa sua amissam, recuperare nequit. Sic etiam in moralibus, licet aegrotemus, remediis uti licet, quae ipse DEUS, salutem generis humani consulens, efficacissime praescripsit. Inter haecce autem media, acquirendi et promovendi veram generis humani salutem, aequae emendatior Juris Naturae disciplina censeretur debet, quam prior doctrina Verbi Divini sive praedicatio Evangelii. Hiulcum quidem pro nostro statu corrupto est Jus Naturae, si summum ejus finem spectemus, absque Revelatione Divina: at vero ipsa quoque Revelatio Divina absque Jure Naturae subsistere nequit. Conjungendae igitur sunt artissime hae disciplinae, Theologiae scilicet Revelatae et Philosophiae practicae, quae ambae sororio vinculo inter se copulantur. Hanc autem viam, si vos ingrediemini, prout ipsa emendatior philosophia practica exigit, tunc confidenter adseverare ausim, doctrinam moralem sive scientiam, quae regit mentem in prosecutione boni et in fuga mali, non solum pietati non nocere, sed et ad ipsam pietatem Christianam omnino necessariam esse.

Nec est, quod quis objiciat, fideles homines, licet hac Legum Naturalium scientia haud inbutos antea, post *Regenerationem* tamen *viam* et efficacissimam Legis Naturalis Divinae cognitionem acquirere, ut adeo haud opus sit, huic disciplinae multam impendere operam: At, quaeso, quis nostris temporibus, ubi tanta doctrinae moralis lux ex diligentiore Legum Naturalium cultura adfulsit hominibus, saltem doctis omnibus, tam infulsam vitio creati censoris opinionem defenderet unquam? Pro tuenda igitur et amplificanda Legum Natu-

ralium dignitate, praestantia earundemque scientiae necessitate hoc loco admonere volui, ne aliquando per ejusmodi *Fanaticorum* deliria in errores prolabamini gravissimos; nam per *Regenerationem* non adquirimus, quasi per habitum quendam *infusum*, scientiam Legum Naturalium, sed tantum voluntas nostra inde generaliter determinatur, ad obediendum DEO; *bona* itaque efficitur quidem inde nostra voluntas, ut *adpetitu sensitivo* posthabito magis obtemperemus *rectae rationi* et sanctius vivere gestiamus; sed ideo tamen nondum est *perfecta* voluntas, ut in quovis casu dato determinata sit, secundum Legem Naturae agere: id enim fieri nequit absque Juris Naturae scientia; virtutes quippe morales, ut dixi, non dantur absque virtutibus intellectualibus: hasce autem non adquirimus per *Regenerationem*, alias *Regeneratio* non esset opus sapientiae Divinae, sed solius potentiae. Id vero in omnibus fidelibus post jam consummatum *Revelationis* opus, quod S. Scriptura continetur, adferre, mihi quidem videtur, Divinis repugnare perfectionibus,

Noluerunt, egregie inquit immortalis noster *Barbeyracius* in Orat. de Dignitate et utilitate Juris ac Historiarum et utriusque disciplinae amica conjunctione, *noluerunt*, ait, *scilicet Divini Scriptores pigrissimas et socordiae humanae favere, ea singillatim persequendo, quae aliunde potest fieri et diduci poterant, ideoque fontes indicare satis habentes reliqua utplurimum sedulae cujusque investigationi permiserunt; nec opus est sane, postquam iter rectum ostenderit, et errantem comitem in illud deduxeris, comitem usque te dante*

homini, qui, modo pedibus et oculis uti velis, ad ultimum finem sine duce pergere potest. Uno verbo, heic demum incipit Revelatio Divina, ubi desinit humana cognitio. Nisi igitur Theologus aut Orator Sacer, satis magna et adcurata Juris Naturalis et Gentium, Juris item Publici notitia instructus sit, ad quam minimi erunt momenti Loci Communes, Commentarii, aliaque id genus adminicula; ubi in exponendis locis, cum Veteris, tum Novi Testamenti, quae ad istas Disciplinas referuntur, periculum faciet, vaga admodum et confusa, adeoque parum utilia, balbutientem animadvertes.

Quapropter omnem potius operam dare tenemur, ut rectius sciamus, quid Legi Naturae conveniat aut eidem repugnet, atque secundum hanc sanctissimam voluntatis Divinae normam etiam nostram componamus in agendo voluntatem, quo voluntas nostra cum ipsa DEI voluntate conformetur, sive, ut ita cum Philosophis loquar, *identificetur*, quae unio autem voluntatum, humanae cum Divina, adesse nequit, nisi et adsit unio intellectuum, ut intelligamus in actionibus nostris liberis idem, quod DEUS intelligit, sive quod per rerum essentias existentes in hoc Universi ordine nobis manifestavit. Id vero fieri nequit absque scientia Legum Naturalium. Quamobrem *perfecta* unio hominis cum DEO, in qua vera nostra consistit felicitas, quaeque unio *moralis*, non *physica* est, omnino postulat, ut mentem Legis Naturae ex contemplatione Universi et eorum, quae in eo sunt, atque fiunt, altius persequamur, quo nostram generisque humani veram promoveamus feli-

citatem, sapientiamque libere profiteamur non fucatam, fugatis omnibus in re Divina humanae auctoritatis praejudiciis,

Licet igitur hanc Philosophiam, quae regit mentem nostram in prosecutione boni et in fuga mali, recte definiverimus per *scientiam*, cum *docentis* tantum fit, regulas explanare, quibus bonum prosequamur malumque fugiamus; *agentis* tamen est, *scientiae* non solum *sapientiam*, sed et *prudenciam* adjungere; *sapientia* quippe optima media ad finem suum in agendo eligit, habita ratione illarum rerum, quae solummodo ad statum nostrum proprium spectant, sed *prudencia* etiam *alienas* circumstantias perquirat, ut iisdem in rem nostram utamur. V. gr. Qui injuriam in Academia a Collega suo sibi factam dissimulat, ne inde rixae oriantur atque publica tranquillitas conturbetur, is *prudens* est, cum minus damnum damno majori praeferat, respectu circumstantiarum *alienarum*, etsi vi juris sibi competentis, et sic intuitu circumstantiarum *proprietarum*, *sapienter* facere possit, si ideo actionem injuriarum institueret. At, ut dixi, prudentia cum sapientia semper est connectenda.

Prudentia autem, cum qua fororio vinculo connectitur sapientia, exigit, ut mentis nostrae decreta, sapienter expensa, prompte et rite exequamur. Nihil igitur juvat, *scientiam* habere de prosecutione boni et de fuga mali, nisi et hanc scientiam in praxin deducamus ac prompte et rite exequamur, quae Leges Naturae praescribunt. Sic demum *viva* nostra evadet cognitio, unde voluntas moveretur.

Do

Docenda igitur est philosophia practica non frigide per definitiones quasdam aut divisiones, subtilesque nonnullas quaestiunculas nimium abstrusas, quasi in meris Logicis aut Metaphysicis solummodo versaremur, sed propensiori animo tradenda est nostra disciplina, ut inde hominum mores; adspirante aura Divina, magis magisque emendentur ac futuri Ecclesiarum antistites Rerumque publicarum moderatores ad veram generis humani felicitatem promovendam aliquando efficiantur aptissimi.

In hoc tamen doctrinae genere saepius infaustae occurrunt Theologorum Philosophorumque logomachiae, Ecclesiis et Civitatibus noxiae. Hinc saltem a vobis omnibus hanc expeto animorum generositate, ne unquam mea dicta et dicenda in malum detorqueatis sensum. Qua spe fretus sinceram cordatius profitebor veritatem, nec inde per malevolorum machinationes me dimoveri patiar, sed, rectae rationis regulis adstrictus, bene composito gradu incedam. Hac vero hora breviter commonstrabo, *limites Jurisprudētiaē Naturalis per philosophiaē practicaē et Theologiaē Christianorum moralis campum proferendos esse.* Hoc ut rite fiat, omnino *amplitudinem Juris Naturae* nobis ob oculos ponere debemus.

Wolffius autem in *discursu praelim.* quem *Logicæ* praemisit, ibique §. 68. Jus Naturae definivit per *Scientiam actionum bonarum atque malarum.* Cum autem ad bonas actiones committendas malasque omittendas per Naturam obligemur atque inde jus habeamus,

ut huic nostrae obligationi satisfaciamus, ad omnes actus, sine quibus obligationi naturali satisfieri nequit: hinc ultro inde sequitur, ut systema Juris Naturae completum omnes regulas, secundum quas actiones nostrae in boni prosecutione et in fuga mali dirigendae sunt, praescribere debeat; adeoque Jus Naturae, hoc sensu sumtum, nunquam differat ab ipsa philosophicae practicae parte, quam *Theoreticam* vocant.

Et quod ad partem *Practicam* attinet, quae possibilitatem executionis harum regularum in casibus specialioribus docet, ea *Wolffio* dicitur *ethica* sive *philosophia moralis*, docens modum, quo homo in statu mere Naturali libere actiones suas ad Legem Naturae componere possit. *Oeconomica* vero eadem vocatur *Wolffio*, si docet modum dirigendi actiones suas in societatibus *minoribus*, utpote conjugali, paterna, herili, quae etiam societates *simplices* nuncupantur. Quodsi vero pars *practica* philosophiae practicae ad statum *Civitatis* refertur, ea *politica* audit, quae docet modum dirigendi actiones in societate Civili *maxima*.

Ceterum partem philosophiae practicae *Theoreticam* dividunt in *Generalem* et *Specialem*; illa docet generalia principia moralitatis, quae flectunt voluntatem ad adpetendum vel averfandum, traditque notiones *legis*, *obligationis*, *bonitatis* *pravitatisque actionum*, *libertatis*, *imputativitatis* aliorumque principiorum *universalium*, sine quibus jus Naturae demonstrari nequit: pars autem *specialis* exponit ipsum Jus Naturae sive officia *Hominis et Civis*.

Quod

Quod si jam haec diversas philosophiae practicae partes, tam *theoreticas*, quam *practicas* pensitemus; sane omnes simul sumtae integram Jurisprudendiae Naturalis disciplinam constituunt. Hinc et *Wolffius* prudentius fecit, quod suis *Institutionibus Juris Nat. et Gent.* cunctas haec philosophiae practicae partes connexuerit et non solum *Jus Naturae strictae sic dictum*, sed et *philosophiam practicam universalem*, immo et *eticam* sive *philosophiam moralem*, nec non *oeconomicam*, tum etiam *politicam* uno suo compendio strictim explicuerit, quas disciplinas omnes separatim multis voluminibus antea prolixè exposuerat.

Nisi igitur solis vocabulis deludamur, dicendum est, philosophiam practicam nihil aliud, quam ipsum Jus Naturae continere; ut adeo nemo mihi vitio vertere possit, me, quamvis *JCtum*, hujus philosophiae practicae interpretationem suscepisse.

Etenim completum Jus Naturae ita cohaeret, ut philosophia practica universalis principia generalia sistat, unde Jus Naturae, strictius sumtum, demonstrari debet, et sic illa hujus *theoriam* exhibeat; jus vero Naturae, strictè sumtum, iterum *theoriam* philosophiae *moralis*, et quatenus ad societates *simplices* applicatur, theoriam *Oeconomicas*, quando autem ad societatem *Civitatis* refertur, theoriam *Politicas* contineat; ideoque *Oeconomica* et *Politica* delineent *praxin* ipsius Juris Naturae, strictè sumti, et ipsius Juris publici universalis, quod nobilissimam Jurisprudendiae Naturalis, latè acceptae

ceptae, partem comprehendit. Cum autem Professoris Juris Naturae officium sit, non solum *theoriam*, sed et *praxin* suae disciplinae auditoribus exponere, id est, non solum scientiam actionum bonarum et malarum aut doctrinam obligationum atque jussum naturalium enucleare, sed et *modum* docere, quo homines actiones suas hisce Naturae regulis convenienter instituant, sive possibilitatem harum regularum in casibus specialioribus indicare; hinc ultro patet, me munere mihi demandato recte defungi, si *integram philosophiam practicam* docuero.

Immo, quod magis est, totus existimo, doctrinam moralem Evangelicam etiam ad ipsam Juris Naturae disciplinam commode referri posse et debere; nam cum ex Lege Naturae obligati simus, contemplari non solum ea, quae ordini universi per essentias existentes insunt, eorundemque fines pensitare, ut agendi regulas inde formemus, sed et ea, quae in hoc Universo fiunt atque facta sunt, attentius observare, quatenus ad nostrum statum relationem habent, ut inde *officia* in perficiendo statu nostro eruamus: hinc plane evidens mihi videtur, Historiam Lapsum primorum nostrorum parentum, nec non subsecutae Redemptionis operis, divinitus manifestatam, a Juris Naturae cultoribus negligi non debere.

Equidem ea, quae in Universo facta sunt, proprie ad ipsum Jus non pertinent, sed potius exhibent Historiam juris: attamen cum status noster *physicus* et *moralis* ex Lapso Adami in pejus mutatus atque per Redem-

to-

orem generis humani. remedium Salutis contra illas miseras nobis manifestatum fuerit, quae facta, et humana et Divina, maximam ad nos relationem habent; nullum profecto dubium esse potest, quin inde naturaliter obligemur, hanc oeconomiam Salutis generi humano divinitus revelatam ad promovendam nostram perfectionem aeternamque inde acquirendam felicitatem altius perquirere: nam ceteroquin Lex Naturae, cujus transgressores facti sumus, suo verae et perpetuae felicitatis fine, quem agendo intendimus aut saltem intendere debemus, nos destitueret, et paene totus moralis ordo pro hac corrupti humani generis facie absque Divina Revelatione evanesceret.

CHRISTUS autem est Legatus Divinus ad genus humanum è coelo missus, ut sublimiorem nobis traderet doctrinam moralem, atque Jus Naturae Divinum, ab hominibus adeo deturpatum, pristino suo nitore restitueret. Poenas praeterea subiit, quibus mortalium progenies ob Legum Divinarum transgressiones indivulso Naturae nexu alioquin obnoxia fuisset, suumque denique promisit auxilium Divinum omnibus, qui viam salutis, quam ostendit, ingrediuntur. An igitur haec Legatio divinitus facta nullam apud nos homines relationem haberet, nec ullam nobis inponeret obligationem naturalem, ut hanc viam recuperandae salutis, quam per abusum Libertatis nostrae turpiter amisimus, ingrediamur? Tunc sane ego quidem nescio, qua ratione aliam definiamus verae obligationis Naturalis indolem. Obligatio quippe Naturalis oritur ex repraesentationibus boni malique, quo

quo status noster aut perfectior aut imperfectior reddatur; status autem noster praesens cum praeterito et uterque cum futuro connectendus est, si ordinem Naturae *physicum* et *moraalem* inde perspiciamus.

At, quaeso, qualis foret status noster futurus, si statum generis humani praesentem cum praeterito, omnibus Naturae Legibus contrarium, deprehenderimus. Interim tamen Natura ferimur ad felicitatem nostram obtinendam et promovendam, non solum temporalem, sed et aeternam; hanc enim mens immortalis anhelat Tatisque cognoscit, absque unione cum DEO, omnis veri bonique fonte, hominis felicitatem nullam esse posse. Haec unio autem hominis cum DEO est *moralis*, ita ut nostras actiones liberas, quae intelligentia et spontaneitate ducuntur cum voluntate et intellectu DEI ex perspicua Legis Naturae componamus. Hoc autem fieri nequit, nisi motiva agendi ex mente Legis Naturalis ab ipsis perfectionibus Divinis desumamus, ut perfecti simus, quemadmodum DEUS, pater noster coelestis, perfectus est. *Matth. 5. vs. 48.* ideoque actionibus liberis gloriam DEI illustremus, nec nostris factis, Legi Naturae contrariis, mundum, opus DEI, deformemus unquam, ne Ordo Universi, cujus suprema Naturae Lex est *gloria DEI T. O. M.* inde conturbetur.

At jamjam transgrediendo Legem Naturae hunc summum Naturae finem imprudenter et turpiter frustratur, destituti omnes *gloria DEI Rom. 3. vs. 24.* ut adeo supremam Naturae Legem non amplius observemus. Na-
turae

turae igitur Auctor, felicitati generis humani consulens, cum Legibus Naturae connexuit Revelationem remedii salutis, quo modus conspiciatur, qua ratione haec maxima ordinis confusio, ex transgressionibus Legum Naturae oriunda, iterum tollatur et cuncta in moralibus pristino suo ordini restituantur. Ordo itaque universi postulat et proinde Lex Naturae jubet, ut incolae universi, ad quos haec Revelatio Divina pervenerit, hoc remedium salutis divinitus manifestatum pie amplectantur; nam si nulla obligatio Naturalis hac in re nobis incumberet, tum etiam neglectus et contemptus hujus Divinae Revelationis nemini mortalium imputari posset. Contrarium vero cum in foro Divino obtineat, manifesto inde sequitur, nos per Legem Naturae obligari, ut cum philosophia practica jungamus ipsam doctrinam Evangelicam sive Theologiam Christianorum moralem.

Etenim philosophia practica ad illud fastigium evehere debemus, ad quod cognitio humana pervenire potest, sive propriis viribus stabilita, sive alieno auxilio, tam Divino, quam humano adjuta; DEUS autem, Auctor Naturae, nostras inbecillitates perspicuens, cum motivis ex hominis rerumque essentiis per rationem nostram erendis atque finibus inde conspicuis, connexuit praeterea motiva ad agendum fortissima ab opere Redemptionis nobis divinitus Revelato desumenda. Jam vero, quo plura motiva inter se connectuntur, eo fortior fit nostra obligatio Naturalis, et eo quoque perfectior redditur philosophia practica. Philosophus igitur, qui rerum causas, fines et ordinem contempletur, non solum ea, quae uni-

versi

verſi ordini per rerum eſſentias inſunt, ſed et ea, quae iſi univerſo fiunt atque facta ſunt, penſtat, eaque omnia ad uſum ſuum accommodat, quo dignus univerſi incola evadat. Inter ea vero, quae in hoc univerſo facta ſunt, omnem attentionem meretur Divina Legatio SALVATORIS generis humani, qui nobis fuit optimus Juris Naturae interpres et infallibilis philoſophiae practicae Doctor. Unde nunc, quaefo, emendatiorem morum diſciplinam ejusque meliorem interpretationem hauriamus, quam ex ipſo ore Divino?

At jamjam barbam mihi vellere videntur alii, quod ita diverſas diſciplinas inter ſe commiſceam; philoſophiam enim practicam ex ſola ratione ſibi relicta inveſtigandam, ideoque Revelationis auxilium ad eam illuſtrandam minime adhibendum eſſe exiſtimabunt forſan. Veruntamen qualis, obſecro, noſtra foret philoſophia, niſi alieno auxilio, utpote philoſophorum Gentilium aliorumque eruditorum virorum induſtria, per longum ſaeculorum decurſum exculta fuiſſet? Horum itaque commentarios poſteritati ſerisque nepotibus relictos jam noſtra aetate diligenter in uſum convertere, quis vetat? Non alia proinde ratio eſt, quare non aequae liceret, immo fas eſſet, Divinum Codicem pro illuſtranda philoſophia practica ſaepeſ evolveſcere, quam quod nonnulli e re ſua eſſe putent, ne Laici Sacra illa tangant.

Equidem haud neſcius ſum, *Factum* Redemptionis Divinum ex ſola ratione humana, ſibi relicta, deduci non poſſe; at nos in noſtra diſciplina minime ex *factis*, ſive Di-

Divinis sive humanis, obligationes et Jura Naturalia derivamus, sed ex ipsis rerum *essentiis*, quae per *facta*, sive Divina sive humana; ad sui *existentias* perducuntur. Quod si autem *facta*, quae ex sola ratione non demonstrantur, sed demum per experientiam cognoscuntur, a nostrae disciplinae pomoeriis removeamus, unde tunc Jura Civitatis aliarumque societatum *contractarum* Naturalia unquam demonstremus? Hae quippe absque *factis* non existunt. Solum tunc Jus Naturae *absolutum* et nullum *hypotheticum* ad nostram disciplinam referri deberet.

Nesciunt proinde, quid dicunt, veramque Jurisprudentiae Divinae Naturalis indolem ignorant, sed nihilominus tamen illius limites ab homine non coarctandos pro vano suo arbitrio temere definire student, qui ideo, quoniam *facta* Divina ex ratione humana sibi relicta non cognoscuntur aut satis apte a priori demonstrari nequeunt, inde argumenta petunt de eliminanda doctrina mortali Evangelica a circumscriptis philosophiae practicae terminis; nam revera Divinae Revelationis argumento, per sacrum Codicem nobis exhibito, factis humanis jam percipit aut percipere valet, quae nostra sunt circa eandem officia; haec enim si percipere non valeret, in eorundem omissione nullum tunc foret peccatum. Quae autem Ratio humana; licet supposito facto Divino, cujus tamen veritatem *historicam* cognoscit, de actionibus nostris liberis committendis vel omittendis rite demonstrare potest, ea regulis philosophiae practicae merito accensentur, ut adeo illae hujus partem faciant, et per consequens

H

quens

quens doctrina moralis Evangelica ad perficiendam philosophiam practicam recte adhibenda sit; prout integro tractatu eleganter et acute nuper ostendit subtilissimus Genevensium Philosophus C. BONNET dans *Recherches philosophiques sur les preuves du Christianisme.*

Et eum *Metaphysices* scientia, praesertim Theologia Naturalis, multum lucis acceperit ex ipsa Divina Revelatione, ita ut principium *emanationis* et hypothesis *fatalis necessitatis*, haec, inquam, duo *Metaphysices* Gentilium principia a Christianis Philosophis, Divina Revelatione collustratis, dudum rejecta fuerint; quid, quaeso, rationis esse posset, quod non aequae disciplinam philosophiae *Moralis* per Divinam Revelationem emendare liceret? Nostra Ratio, si homo sapiat, omnibus utitur adminiculis, ad sublimiorem perveniendi gradum, quae Divina providentia homini in hac rerum serie constituto benigne suppeditat. Mensura, ut itaque loquar, *moralis* officiorum nostrorum non omnibus eadem, nec sibi omni tempore et loco semper aequalis est. *Hottentotta* in hac rerum serie bruto similior, quam homini videtur, et *Newtonus* ac *Leibnizius*, Angelis potius, quam vulgaribus hominibus aequiparari possunt; quis igitur, rerum moralium gradus, eadem mensura eorundem officia dimetiatur? *Ordo* quidem universi, in quo DEUS ipsos constituit, manet manebitque in aeternum generalis actionum humanarum regula; sed *ordo* hicce pro varia rerum circumstantiarum, quibus innexi sumus, varietate temporis et locorum diversitate maximopere variat, ut status noster *moralis* a statu hominis *physica* multum

tum pendeat, nec proinde omnium individuum quoad status eorundem *accidentales* perficiendos eadem Lex Naturæ esse possit, cum ultra vires suas nemo mortaliū obligetur. *Hottentotta* equidem eandem essentiam humanam habet, qua præditi fuerunt *Newtonus* et *Leibnitius*, sed diversæ rerum determinationes *accidentales*, diversæque ingeniorum corporumque vires summam inter eos effecerunt dissimilitudinem, ut adeo Lex Naturæ in agendo cuius individuo propria maneat, secundum quam DEUS, qui ordinem universi singularumque rerum seriem optime perspectum habet, aliquando rationes a nobis exiget, hisce determinationibus *essentialibus* et *accidentalibus* convenientissimas.

Nos autem, qui a CHRISTO, generis humani Redemptore, nomen accepimus, Divina Revelatione ditati, sub aliis iisque faustissimis collocati sumus rerum circumstantium conditionibus. Quapropter ex ordine universi rerumque, quibus implicamur, serie etiam aliæ nos tenent obligationes Naturales, quam quibus quondam *Gentiles philosophi* aut nunc quoque *Hottentottæ* adstringuntur. Pro hac igitur lætiore rerum facie etiam majora nobis incumbunt officia, ut motiva agendi ex opere Redemptionis, divinitus nobis revelatæ, oriunda conjungamus cum ipsis rationibus etiam *Gentiles philosophos*, immo et ipsos *Atheos*, moventibus, quo nostra philosophia practica inde longe perfectior evadat et sublimior, in hac enim plurimorum, quæ demonstrari possunt, motivorum conjunctione eorundemque concatenati inter se nexus perspicientia consistit perfectio philosophiæ practi-

cae sive solidissima scientia, quae mentem regat in prosecutione boni et fuga mali.

Dabo exemplum, ut inde mentem meam clarius percipiatis. V. gr. *Dilige inimicos tuos*, est praeceptum Naturae, quod et Atheus agnoscit. Natura quippe ipsi est DEUS, mundumque aeternum non solum esse statuit; sed et omnia fatali necessitati subesse cum *Stoicis* facile credit; ideoque hominem homini insidiari et odio eum habere, nefas esse existimat, quoniam Natura cognationem quandam inter homines et aequalitatem constituit. Omnes nos partes universae Naturae esse, Atheus pro vero habet; universi itaque incolae sibi invicem adversari, maxime iniquum putat. Promovendam esse, universi perfectionem, etiam Atheus docet; huic autem inimicorum dilectionem summopere convenire opinatur. Inimicus vero manet homo, licet officia humanitatis non adimpleat, nec ideo alteri licitum est, ab officiis, quae homini incumbunt, recedere, quoniam inimicus ab iisdem recessit. Atheus proinde etiam Naturalem obligationem, diligendi inimicos suos, ex hisce motivis adesse confitetur. Sed qui *pius* est, licet sit Naturalista, si *philosophice* ratiocinatur, motiva praeterea agendi a *perfectioribus Divinis* desumit, DEUMque imitari studet, qui solem suum exoriri sinit super malos aequae ac bonos et pluviam mittit super injustos aequae ac justos Matth. 5. vs. 45. Qui denique *Theologice* sive *Christiane* pius est, hisce omnibus nova adhuc addit motiva, ab *Opere Redemptionis* desumpta; is igitur diligit etiam inimicos suos non solum ob motiva Naturae, strictius sumtae, sed et ex motivis

Gra.

Gratiae, quoniam scilicet DEUS dilexit nos in CHRISTO, antequam Eum dilexerimus, dum adhuc peccatores seu Legis Naturae transgressores, id est, DEI inimici eramus, 1. Joh. 4 vs. 10 et 11. et 19.

Unde nunc ex dato exemplo, cui plura adhuc addere possem, satis intelligetis, quibus rationibus motiva agendi inter se connectantur et multa cumulentur, ut magis practice philosophari discamus. In eo quippe benignitas Supremi Numinis, nostrae felicitati optime consulentis, luculentissime conspicitur, quod tam multa agendi motiva per instinctus non solum naturales, quibus ferimur ad nostri generis humani conservationem, sed et per rectam rationem, ex tot tamque variis, nihilominus tamen inter se conspirantibus rerum finibus, regulas agendi formantem, immo denique per Divinam Revelationem nobis suppeditaverit, ac praeterea suam speciale auxilium, cunctis eum sincero animo inplorantibus clementissime promiserit. Ex quibus omnibus conjunctim sumtis quivis perspicacior ordinis universi indagator argumentum ducit certissimum, DEUM T. O. M. intendisse omnium nostri salutem et tantundem boni in nos contulisse, quantum salvis suis perfectionibus fieri potuit. Et haec sententia, rectae rationis tibicine suffulta et Divina Revelatione corroborata, non potest non ad indefessum philosophiae practicae Jurisque Naturalis studium nos impellere, quo tandem, ejurato *Fanaticismo*, et depulso *Libertinismo*, ad rationalem pertingamus Religionem. Quod faxit supremum Numen!

LECTIO IX.

De Conscientia.

De bona et recta *conscientia practica* quoad actiones jam perpetratas *consequente* gloriantur plurimi, eam vero habent mortalium paucissimi; immo, si **CHRISTUM**, generis humani Salvatorem, exceperimus, nulli. Etenim conscientia est species imputationis, qua quis de propriis suis actionibus liberis iudicium fert, utrum et quatenus Legibus Naturae consentaneae, an vero et quatenus iisdem contrariae fuerint? In habitu autem actiones suas Legi Naturae conformandi, consistit nostra *virtus*, et in habitu contrario *vitium* conspicitur. Virtus semper sibi ipsi vivida merces et vitium poena naturaliter sequitur. Merces five *meritum* virtutis denotat ipsum actionis moraliter bonae consecrarium, quod veram voluptatem et gaudium perenne secum ducit, ex conscientia bona et recta oriundum; privatio autem perfectionis, cuius quis compos fieri potuisset, et consecraria mala cum vitiis connexa, tristitiam, poenitentiam, aedium et perpetuam conscientiae carnificinam post se trahunt, quae sunt *demerita* actionum, quibus Leges Naturae violavimus.

Vir *civiliter* honestus audire, nihil juvat in foro conscientiae *interno*; is enim *externe* honestus est, qui officia erga alios non solum, quae dicuntur, *necessitatis*, sed et ea quae *humanitatis* sunt, secundum Legem *Sacra-*
cia.

cialitatis adimplere studet. Et nequidem hoc sensu multi reperiuntur, qui inter *bonestos* recenferi mereantur; *bonestatis* quippe officium Naturale est, diligere inimicos suos et benedicere non solum, sed et benefacere maledicentibus atque calumniatoribus suis; at, proh pudor! quis nunc inter nos Christianos vir *externae bonestus* audiat, ubi lividae infensissimaeque calumniae, immo, paene dixerim, et dirae haeretificinae et fora et templa personant? Sin igitur de *externa bonestate*, quae tantum officiis *Socialitatis* absolvitur, non multum habemus, cur de bonitate actionum nostrarum, et nequidem in medio Christianismo, gloriemur, quae tunc, obsecro, causa esse potest, cur de *bonestate* actionum *interna*, etiam nostri aevi Christianorum, mitius et benignius sentiamus? Nolo jam exempla allegare, haec enim nimis odiosa forent.

Id tantum generaliter admonendum esse censeo, ignorantiam Juris Naturae inter plura tristissima mala etiam hoc mortalium mentibus advexisse, ut plerique bona et recta conscientia consequente *practica* se gaudere posse existiment, qui tamen conscientiam *theoreticam* habent plane erroneam et falsam. Haec inter se pugnant; bona enim actionum nostrarum praxis esse nequit, si theoria earundem erronea fuerit; nam tunc conscientia sive imputatio propriae actionis susceptae aut omiffae spuria est et falsa. Ex gr. si quis haeretifex existimaverit, jure gladii puniendos esse haereticos, aliumque a se dissentientem tamquam haeticum atro carbone notaverit atque Magistratui civili suasor fuerit, ut haeticum illum

puniat, si non gladio, saltem relegatione, sibi que postea persuaserit, se hoc consilio causam DEI egisse; ideoque se bonam inde habere conscientiam; is ex falsa theoria Legis Naturae erroneam et spuriam fecit actionis suae inputationem et quidem in meritum sive in bonam partem, cum tamen haec inputatio in demeritum sive in malam partem fieri debuisset.

Inputatio enim ratiocinio nititur, sive est applicatio Legis ad factum, in qua applicatione *Lex majorem* syllogismi propositionem; *factum autem minorem*, et *inputatio conclusionem* ex praemissis involvit. Quodsi igitur majoris propositionis veritas nobis non fuerit perspecta, tunc de rectitudine inputationis facti proprii aut de conscientia *practica* sive in bonam sive in malam partem nunquam certi esse possumus. At, quaeso, qua ratione de veritate majoris propositionis in hoc nostro ratiocinio sive in judicio de moralitate actionum propriarum et proinde de bonitate aut pravitate earundem, unde nostra conscientia de actionibus commissis aut omissis consequitur, unquam certi reddamur, nisi Leges Naturae penitus introspiciamus?

Etenim Leges Naturae sunt ipsae Leges, secundum quas facta nostra et non-facta, sive actiones nostras positivas aut privativas, dijudicare debemus, et per consequens haec Leges Naturae sunt ipsae Leges conscientiae, quae ex dictamine rationis respectu propriarum actionum vel adhuc suscipiendarum et omittendarum vel jam susceptarum et omissarum indicantur, ut et *antecedens* et *con-*

sequens nostra de iis conscientia recte sese habeat. DEUS autem per hanc conscientiam nos ad bonas actiones exequendas et ad malas omittendas obligat per repraesentationem voluptatis, ex bona conscientia de perpetrata aut omissa actione oriundae, atque taedii, ex mala conscientia de actione commissa aut omissa consecuturi, ut adeo haec vox conscientiae non solum fit vox Naturae rationalis, sed et vox ipsius Sanctissimi DEI.

Hanc vocem Divinam ut distinctius audiamus, omnino Rationali nostrae et Sociali convenit Naturae, ut Leges Naturae in omni statu, quo vivimus, et qui proinde ad nos relationem habet, diligentius perquiramus, ne iudicium de propriis actionibus deproperemus et falsam sententiam de iis ex male intellecta Naturae Lege oscitanter feramus, atque sic nostram aliorumque perfectionem promovendam infauste impediamus. Vivimus autem omnes in statu hominis *originario*, quo tamquam entia ratione praedita, et praeterea tamquam incolae Universi ac denique tamquam creaturae DEI spectamur, quibus determinationibus hominis *essentialibus* omnes status *adventitii* seu determinationes hominis *accidentales* convenire debent, si voci Conscientiae, voci Naturae, voci proinde ipsius DEI obsequamur.

Hi status vero *adventitii*, qui per varia jura variasque obligationes determinantur, sunt admodum multifarii, in quibus plerosque homines constitutos deprehendimus, utpote status *conjugalis*, *paternus*, *Civilis*, *Ecclesiasticus* alique; horum igitur Leges Naturales quis-

que perferuari debet, si ubique dictamina conscientiae, quae sunt ipsae Leges Naturae studiose observare velit. Non excusabit proinde in Conscientiae tribunali filium familias si ob statum paternum, nec Civem si ob statum Civitatis, nec Latum si ob statum Ecclesiasticum, Religionem aut Parentum, aut Civitatis, aut Ecclesiae suae, in quo statu quisque ex accidenti tantum constitutus est, profiteatur, quoniam in Religionis negotio quisque vivit in statu *Originario*, in statu *Naturali*, in statu proinde *Libertatis* et *Aequalitatis*, ubi quilibet suum proprium et non alienum iudicium sequi Lege Naturae tenetur.

Et prout singuli homines vocem Naturae, tamquam vocem Conscientiae, immo tamquam vocem DEI sequi obligantur, sic multo magis integrae Societates, quae tamquam personae singulares in moralibus spectari possunt et debent, hanc vocem Conscientiae, tamquam vocem DEI, audiant et sequantur, necesse est. Quamobrem et ipsa Civitas atque ipsa quoque Ecclesia Christianorum externa, quae Societas *contracta* est, voci Conscientiae obtemperare debent, nisi vellemus statuere, Civitati et Ecclesiae cum Conscientia nullum esse negotium, ut quidvis licere iis integrum esset, tunc autem Civitas in speluncam latronum et Ecclesia in tyrannidem sacram degenerarent.

Qui igitur me vellicant, quod aliquando in doctrina Juris Publici aut Ecclesiastici soloecismos politicos, utpote quoad abusum Juris Romani in nostris foris, publice

blicè indicaverim, aut etiam naevos Ecclesiae Christianae, tamquam Societatis *contractae*, ob oculos posuerim; illi profecto palam produnt, se Conscientiae regulas minime pensasse; quivis enim bonus civis ex Conscientia teneretur, abusus regiminis Civilis, si qui sunt, detegere et meliora suppeditare consilia, quae si Rectores Civitatis audire nolint, non ideo tamen resistendum est Principi, sed adquiescendum in eo, quod sic satis suo officio fecisse sibi videatur Civis. Nec hoc benigni Civitatis Rectores unquam aegre tulerunt. At non ita benigni sunt multi Ecclesiae antistites, qui dira quaevis precantur Laicis, si hi sibi sumunt, naevos regiminis Ecclesiastici aut abusum formularum fidei seu Legum Ecclesiasticarum vitia palam monstrare, quasi Ecclesia aut Societas Ecclesiae contracta ab erroribus esset immunis, Quisque potius Ecclesiae Socius, cui vires intellectus concessae fuerint, ex Conscientia obligatur, soloecismos Ecclesiasticos ante oculos exponere, non ideo tamen teneretur, ab Ecclesia discedere, et in aliam transire, aequo minus ac si quis e Civitate, ubi quis vitia deprehenderit, discedere et in aliam Rempublicam ideo transire vellet; nulla enim Societas contracta; ideoque nec ulla Civitas, nec ulla Ecclesia externa tam perfecta est, quin in eadem ubique offendamus mali regiminis indicia. Sic tandem ex famosissimi *Roussaei* consilio in statum segregem et in statum mere naturalem redire deberemus, si mala non ferenda essent in Societatibus contractis. Haec mala autem toleranda sunt ob majora, quae ex statu civili omnibusque societatibus contractis *compa-*
ssis, utpote ex Ecclesia externa, eveniunt bo-

na. Praestat enim sub malo, quam sub nullo vivere regimine.

Vox tamen Conscientiae, vox Naturae, vox proinde Dei a nobis postulat, ne ejusmodi malorum unquam participes reddamur, ideoque dissensum nostrum ab illis malis modeste indicemus, relinquendo tamen iis, penes quos est, eadem emendare, plenam libertatem, utrum nostris monitionibus auscultare velint, nec ne; Sic V. gr. Ecclesiae Socius aliquando egregie facit, si publice ostendit, formulas fidei Ecclesiae nostrae nimium esse dilatatas, et tamen simul profitetur, se iisdem formulis fidei adfentiri. Hoc inter se conciliare nequeunt fidei *formulariae* patroni; veruntamen hi non perspicunt Leges Naturae; Legesque proinde conscientiae parum attendunt; nam Ecclesia externa non est exlex, sed aequae secundum obligationem *internam* suae Societatis Leges condere debet, ac reliquae Societates omnes humanae. Ex hypothese autem *Tolerantium*, quos vocant, Ecclesia nullos a sua Societate excludere debet, quos DEUS in Sui communionem per fidem in CHRISTUM recipit, quoniam fideles omnes in unam Sanctorum communionem sive in unam Ecclesiam Catholicam externam, cujus Symbolum est S. S. Coena, divinitus instituta, coalescant.

Potestates igitur Ecclesiasticae, quae hanc desideratissimam omnium piorum unionem impediunt, potentia tantum utuntur *externa*, legibus Ecclesiae suae *conventionalibus* fundata quidem, sed moralitate Christianismi

in-

interna et sic Lege secundum Conscientiam agendi destituta; ideoque *vim* cum *Hobbefio* pro *jure* habent, sive *verum jus externum* sibi imaginantur dari posse absque Jure Naturae *interno*. Hoc iniquum Ecclesiae cujusdam externae factum quilibet Ecclesiae socius, qui de hac iniquitate ex intimis Naturae Christianismi principiis convictus est, etiam publice indicere ex Conscientia tenetur, licet in ipsis dogmatibus fidei cum eadem Ecclesia consentiat; non enim omnes fideles eandem doctrinae amplitudinem eademque intricatissimas saepius Theologorum quaestiunculas, ob quas unio fidelium rumpitur, et corpus CHRISTI, Capitis sui, in partes secatur, perspicere valent; et tamen ex Conscientia tenentur, uni alterive Ecclesiae *externae* se adjungere: Ergo aut coeere credere debent, quicquid pars major Ecclesiae aut potius solius Cleri edixit, et, si hoc facere nolint, excluduntur ab omni Ecclesia externa aut saltem a jure utendi S. S. Coena. Sic hoc institutum Divinum, quod quilibet fidelis cum fidelibus participandi Jus habet, nunc nimium dilatatis Ecclesiasticae fidei formulis coarctatur et vario hominum arbitrio subjicitur. Num vero tales Ecclesiarum externarum mores voci Conscientiae, cui Divinae voci ante omnes Ecclesia Christiana auscultare deberet, satis respondeant, id vestris dijudicandum relinquo piis meditationibus.

Longe autem sublimius et sanctius est forum illud conscientiae *internum*, quam quod in judicio externi tantum Juris acquiescamus. Multo quoque alia est inputandi ratio in foro illo interno, quam in hoc externo. In exter-

terno quippe foro tantum ratio habetur Juris perfecti, alteri in nostras actiones aut competentis aut non competentis; priori casu nostra agendi facultas per jus alterius perfectum restringitur, at posteriori casu nostra libertas plena est, nec dependet agendi facultas ab ullo alterius hominis arbitrio. Veruntamen quamvis haec Libertas in foro externo humano exlex sit, ut *Licentia* etiam nomen *Juris* accipiat; non autem in foro conscientiae interno ejusmodi *licensiosum Jus* obtinet, sed potius hoc Jus in sanctiori conscientiae foro est mera potentia *physica*, omni facultate agendi *moralis* destituta, quae si vires suas exserit, inde violatur Lex Naturae humanae, violatur Jus DEI et injuria se ipsum afficit agens; qui ita *Licentiam* cum *Libertate* confundit. Non equidem hostis est generis humani, qui ita pro suo arbitrato vivit, dum Jus alterius perfectum inde non laedit, sed tamen hostis est sui ipsius et quidem sub specie amici, et hostis est DEI, benignissimi patris sui coelestis, cujus Jus *externum* quammaxime violat.

Ut vero diversam imputandi rationem in foro externo humano et in foro conscientiae interno adhuc ulterius pensitemus; attendendum est, quod in foro *externo* alius sit *judex*, qui *Legem* ad factum adplicat sive imputationem facit, alius sit *testis*, qui facti existentiam ejusque singulares circumstantias judici exponit, alius autem sit *actor*, qui imputationem poscit, alius denique sit *reus*, qui per sententiam causa libera declaratur actionis suae et ejus, quod ex ea sequitur: at in foro conscientiae *interno* idem est *judex*, idem *testis*, idem *actor*, idem *reus*,

reus, idem denique, qui sententiam executioni dat, vigilante enim nostra conscientia ratio nosmet convincit de convenientia aut disconvenientia actionis perpetratae aut supine omittae; iudices sumus in propria causa; re-
stes sumus, facti nostri proprii aut non-facti optime nobis conscii; dictamen rationis nostrae nos accusat et excusat, ideoque actoris et rei munere simul fungitur; sententia denique in tribunali conscientiae lata mox eadem per morsus conscientiae executioni datur. In hanc causam aut nunc descendimus, aut aliquando post hanc vitam certo ingrediemur; semel enim satisfaciendum est immutabilibus Naturae et per consequens ipsius Conscientiae Legibus. Et quo plures dilationes et longiores moras in hoc Conscientiae iudicio nectimus, eo magis nostra debita tacitis augescunt incrementis. Felix igitur ille est, qui jam in prima juventute ex *somno conscientiae* expergiscitur, nec conscientiam iterum *sopire* studet; nam is in posterum Legum conscientiae seu ipsarum Legum Naturalium fit observantior, ne morsus conscientiae ipsis taedium creant.

Sopire autem *conscientiam* ii quoque merito dicuntur, qui mentes mortalium a studio Legum Naturalium, quae sunt Leges ipsius Conscientiae, avocare adlaborant; hi enim, licet ex somno morali eorundem conscientia per Verbum DEI *evigilaverit*, non habent tamen certam mensuram, qua quantitatem imputationis sive gradus moralitatis seu minorem aut majorem convenientiam aut disconvenientiam actionis cum ipsis Naturae Legibus, et proinde minorem aut majorem bonitatem pravitatemque actio-

actionis liberae recte dimetiantur: unde in facili est; ut erronea agitentur conscientia ex male Intellectis conscientiae Legibus: V. gr. Quam multi sunt Ecclesiae antistites, qui id sibi datum esse falso sibi persuadent, Magistratus e suggestu sacro ob male administratam, ut somniant, Rempublicam traducere, et hoc facto se causam DEI egisse existimant atque de eo tamquam heroico et praeclaro facinore gloriantur; at miselli morum magistri propriam hujus facti pravitatem non introspiciunt ob defectum perspicientiae in nexum Legum Naturalium, et sic, dum aliorum conscientiam expergefacerere student; ipsimet conscientiam habent ex ignorantia Legum Conscientiae hac in re adhuc *dormientem*. Cum itaque Leges Naturae omnes, ut audivistis, sint Leges ipsius conscientiae, quae vocem DEI per usum rationis edunt, ut *evigilemus ex somno morali*, in quo per adpetitum sensitivum *indormivimus*; hinc Ecclesiae Ministris, quorum officium praecipuum est, expergefaciendi mortalium mentes ex conscientiae sopore; nihil magis indecorum est; quam quod non solum ipsimet negligentius tractent Conscientiae Leges sive ipsas Leges Naturales, sed et praeterea, ne futura generosior progenies Ecclesiastica jamjam per ampliores Legum Naturae seu ipsius Conscientiae culturam in eximiam Ecclesiae spem educanda, illorum hac in re supinam ignorantiam rideat postea aut deploret, ipsimet publici Ecclesiae Doctores eo impudentiae prolabantur, ut in progressum hujus Divinae Jurisprudentialis Naturalis ultra angustos *Pufendorffii* limites nostris temporibus jam longe prolatae infaustis clamoribus detonare soleant; quo enim magis Divinae excolen-

CUR

atque Leges Naturae, eo vigilantior erit hominibus conscientia; et eo severior cura, nihil agendi, nisi quod hinc conscientiae Legibus conveniat; et eo quoque major animi sollicitudo, devitandi lamentabiles conscientiae morsus; immo eo denique felicior et, ut ita loquar, *tolerantior* erit Ecclesiae status, quo magis Ecclesiae antistites ex hisce Naturae seu conscientiae Legibus didicerint, Ecclesiam *externam* subordinandam esse uni Ecclesiae *internae*, sive societatem Ecclesiae cujusvis *contractam* convenire debere societati fidelium *Naturali*, quae sola *Divina* est, cui igitur illa *humana*, utpote contracta societas, congruenter institui debet, si secundum Leges *rectae* conscientiae dijudicetur, nullaeque veritates *Divinae* humano arbitrio impie subjiciantur.

Ad bonam autem conscientiam tam integram Ecclesiae, quam singulorum hominum sedulo servandam nullum expeditius remedium est, quam AMOR VERITATIS. Hic est fons omnium virtutum moralium. Hoc amore veritatis si homines magis imbuti essent, tot in studium veritatis propenderent, quo fieret, ne unquam solis adfectibus aliquid tribuerent, sed verum bonum verumque malum a bono malove adparenti cautius discernere, ita ut veritas in actionibus suscipiendis aut omitendis semper praecesset, eamque continuo sequendam firmiter sibi proponerent mortales. Hic veritatis amor est optima bonam conscientiam servandi Lex Naturalis, quae a parentibus, praeceptoribus et Ecclesiae doctoribus, nunquam satis liberis, discipulis et cujusvis Ecclesiae focus inculcari potest, ut tandem homines generosior

ris in solis sunt; nec variis aliorum opinionibus deludantur; nescii, utrum in recta, an vero in erronea versentur conscientia. Sic hominum animi deplorandum in modum suspendantur sola expectatione, quam alii eorum, demerentibus insinuant per Sectarum studia, secum incerti, num opinio, cui inhaerent, vera, an autem falsa sit. Veritas Divina est, sed opinio est humana: opinio itaque ad rectam conscientiam servandam nihil quicquam adferre potest, nam opinio aequae falsa, ac vera esse potest; Ideoque fautores suos saepe deludit, ut tandem cum Phrygibus nimis sero sapere discant.

Ad hasce opiniones omni sua injusta auctoritate pri-
mandas, conscientiae nostrae sectitudo efflagitat, ne unquam in Religione formulis fidei pertinaciter inhaereamus, sed unicam Religionis Christianae normam statuamus *Sacram Scripturam*, et *Jus Naturae immutabile*; nec nobis persuadeamus, dari Ecclesiam quandam externam ab omnibus erroribus immunem; una quippe Ecclesia in hoc, alia in alio dogmate errare potest, ut ita nulli earum tuto credere queamus. Investiganda proinde est veritas libere et absque ullis praeeconceptae opinionis de orthodoxia uni Ecclesiae soli propria praesudiciis. Laudat *Grotius* et recte quidem laudat in *proleg. de J. B. et P. n. 42. veterum Christianorum libertatem*, qui in nullius Sectam juraverant, non quod Scepticis aut *Libertinicitatis*, sive quos hodie *Losbandige* vocare sueverunt, adfensissent; sed quod nullam esse Sectam putarent, quae omne verum vidisset, et nullam, quae non aliquid ex vera. Ita-
que

que veritatem sparsam per singulos per sectasque diffusam, in corpus colligere, id vero existimabans, nihil esse aliud, quam vere Christianam tradere disciplinam.

In Jure quoque Naturae excolendo nemini adhaerendum. DEUS enim nobis omnibus rationis usum dedit, ut proprium et non alienum judicium sequeremur. Soli veritati lisandum, non in verba Magistri jurandum. Leges Naturae sunt Leges conscientiae, quid autem pro tranquillanda vestra conscientia juvaret, si Leges meae conscientiae ex mea opinione adoptaveritis; mea enim opinio absque examine veritatis vos in errores seducere posset. Ergo, si secundum conscientiam agatis, mihi nihil credatis, veritati autem omnia. Quod ut rite instituat, omnino regulas Logices vobis familiares reddatis, ut habitum demonstrandi veritatem inde adquiratis, nihilque absque principiis certis et evidentibus adfirmeris aut negetis. Et quo momentosior est veritas investiganda, eo majorem operam et severiorem curam adhibeat in ea diligentius examinanda. Momentum autem veritatis aut majus aut minus est pro majoris aut minoris felicitatis inde acquirendae gradu. Veritates proinde, quae sanitatem corporis intendunt, non tanti sunt ponderis, quam quae sanitatem mentis curant, et quae felicitatem tantum temporalem promovent, postponendae sunt iis, quae felicitatem aeternam acquirendam tradunt. In hisce vero Leges Naturae cum Religione Christiana arctissime sunt conjunctae, adeo ut Religio Christiana fundamento suo destitueretur finemque suum frustraretur, nisi Legum Naturalium scientia accederet,

dat, non qualem *Pufendorffius* aut alius quidam eandem docuit, sed qualem ipse DEUS per hominis rerumque essentias ex contemplatione universi et eorum, quae in eo sunt, fiunt atque facta sunt, nobis inquirendam proposuit. Qua de re plenius agam in posterum.

LECTIO X.

De Historia Jurisprudentiae Naturalis quoad officia erga DEUM.

Officia Hominis erga DEUM secundum disciplinam Juris Naturae explicaturus, haud inconveniens esse ducō, paucis historiam hujus praestantissimae Juris Naturae partis, antequam rem ipsam aggredior, enarrare, ut inde constet, quam levi brachio ante magnum *Wolfium* haec gravissima Jurisprudentiae Naturalis pars, quae officia Hominis erga DEUM inculcat, hactenus tractata fuerit.

Equidem si antiquissimum Juris Naturae statum retractemus, nemo Christianorum inficias ire poterit, hanc Juris Naturae partem, quae de *officiis Hominis erga DEUM* agit, cum ipso genere humano a mundo condito per universi ordinem tamquam praecipuam Naturae Legem constitutam fuisse; *Adamus* quippe in statu integritatis, nondum creata *Eva*, officiorum erga alios ignarus, Legi tamen Naturae subiectus erat; non aliam
vero

vero potuit observare Legem Naturae, quam quae officia erga se ipsum et erga DEUM praescribat; officia autem erga se ipsum, dum in statu integritatis adhuc vivebat, et terra sponte fructus, ipsius conservationi sufficientes, proferebat, non tam multifaria esse poterant; quam quidem nostris temporibus multiplicato genere humano et introductis rerum dominiis ac constitutis civitatibus.

Et licet post creatam *Evam* homo sociam haberet; ne sic quidem cessabat status communionis primaevae, sed par hominum Legi mutuae charitatis Naturali satisfaciebat; ideoque in hoc statu jus cogendi aut saltem exercitium hujus juris non obtinebat; et per consequens totum Jus Naturae *externum* nullam adhuc vim exerebat; nulli proinde contractus et nulla rerum dominia inter homines locum habere poterant. Immo et Jus Naturae *internum*, quod in praestandis officiis *humanitatis* erga alios versatur, non tanta amplitudine, etiam post creatam *Evam*, longe lateque erat diffusum, quam quidem nunc est, ubi multiplicato genere humano nemo absque aliorum auxilio vitam transigere potest. At in statu integritatis et communionis primaevae par hominum morbis non erat obnoxium, nec indigebat rebus, quae ad vitae necessitatem, commoditatem ac jucunditatem requirebantur, terra quippe sponte fructus proferente; nec opus erat, ut se contra aëris injurias in moderatiori climate vestibus tegerent primi illi homines; nec denique metuendum ipsis erat ab insultationibus bestiarum, cum omnes bestiae agri omnesque volucres coeli *Adamo*

sponte parentem; suamque mansuetudinem ipsa exhiberent.

Nihil igitur deerat *Adamo*, in quo alterius hominis ope indigeret; non creavit itaque DEUS *Evam*, ut *Adamo* auxilium praestaret in procurandis rebus domesticis, ceu nonnulli perperam existimant, sed potius quia non bonum erat, ut homo solus maneret; hinc DEUS commodum auxilium *Adamo* fecit ad propagandum nimium genus humanum, ut multiplicarentur homines, ne homo in statu solitudinis observaretur. Etenim in textu originali Hebraico, *Genes.* cap. 2: x. 18, 20, dicitur וַיִּבְרָא אֱלֹהִים אֶת-הָאִשָּׁה מֵעֵצֵי הַגָּדִל בַּגַּן, quae verba Nostrates recte translulerunt: *eene bulpe, die als tegeu Hem over zy; sive prout vir summus, Linguarum orientalium peritissimus Abb. Schultensius in Animadv. Philol. et critic. observavit, auxilium viro commodum seu propagationi aptum.* Neatiquam igitur ex hoc textu defendi potest, quasi inter fines matrimonii referri quoque deberet *mutuum auxilium*, quo nihil est ineptius; non enim hoc est auxilium *domesticum*, sed tale auxilium foeminae, quod marito ad propagandum genus humanum inserviat. Sacros autem hicce conjugalis inter *Adamum* et *Evam* non ex eorundem pacto aut contractu exoriebatur, sed ab ipso DEO erat constitutus, et sic primum hoc institutum matrimonium magis ad Jus Naturae absolutum, quam *hypotheticum* pertinebat, quia tantum unus erat mas et una foemina, quique proinde per suam essentiam determinabantur, ut matrimonium haberent, quo genus humanum ad manifestandam gloriam DEI multiplicaretur.

placaretur. Quapropter hi primi parentes nostri, matrimonium non iniverunt, quasi sibimet ipsis non sufficerent, aut quasi aliorum hominum auxilio indigerent; hoc enim notioni status integritatis repugnat: sed unice, ideo matrimonio se junxerunt, ut ex voluntate DEI finis creationis universi gloria scilicet DEI ter opt. max. per multiplicationem generis humani obtineatur. Hic supremus universi finis ipsis summa Lex Naturae erat, ut ex operibus divinis summas summi Numinis perfectiones agnoscerent. Officiis igitur erga DEUM fere totum Jus Naturae apud primos nostros parentes, in statu integritatis adhuc constitutos, absolvebatur.

At nunc, postquam homines a Lege mutuae charitatis abierunt, fallaciae, fraudes, perfidiae, insidiae et desidiae alicuquae foedissimae Legum Naturalium transgressiones locum fecerunt exercitio Juris Naturae *exteriori*. Quam enim nemo amplius obligationi suae Naturali, etiam in officiis erga alios praestandis, satisfaciat, quilibet tamen per stimulos Naturales feratur, ut seipsum, quantum fieri potest, conservet; hinc a statu communionis primaevae recesserunt homines et res factae sunt singulorum. Rebus autem singulorum factis, necesse est, ut et operae singulis sint propriae, ne amplius gratis in alterius utilitatem aliquid facere teneamur, quamdiu alter habet, quod in compensationem operae nostrae nobis det aut vicissim faciat. Introductis igitur rebus, dominis omnino quoque necesse fuit, ut jus partium inter homines obtineat, quo de

faciendo aut dando inter se conveniant homines, sibi-
que invicem promittant.

Et hoc jus, quod ex dominio et pacto oritur, JCtis
vulgo audit *Jus Naturae*: est quam male, mox per-
cipietis; jus enim quod ex dominio aut ex pacto quo-
dam oritur, est tantummodo *facultas agendi*, et sic
non est *Lex ipsa Naturae*, sed potius est *attributum*
personae, quod vel domino vel paciscenti competit ex
voluntate alterius sufficienter declarata, ut inde *jus co-*
gendi alios, qui ideo perfecte obligantur, competat.
Jus autem Naturae dum vocamus, intelligimus inde to-
tum complexum Legum Naturalium; ideoque ut Jus
Naturae, pro *attributo personae* sumtum, recte cog-
noscamus, ante omnia ipsas *Leges Naturae*, quae no-
bis dant hanc *facultatem agendi* sive, unde oritur ip-
sum *jus*, pro *attributo personae* sumtum, cognoscere
debemus. Haec vero facultas agendi vel est conjuncta
eum jure cogendi alios, ut alii scilicet obligationi suae
naturali, quae ex jure nostro oritur, satisficiant, sive ne
nos in agendo turbent, vel ut nobis aliquid praestent;
aut haec agendi facultas non est conjuncta cum jure co-
gendi alios, obligationi suae Naturali satisfacere nolen-
tes: priori casu jus nostrum, quod nobis competit, *per-*
fectum audit et obligatio alterius passiva, quae inde na-
scitur, *perfecta* quoque dicitur, quoniam perfectum
meum jus est et perfecta alterius obligatio, si alterum
ad illud praestandum cogere possum; posteriori autem
casu jus nostrum tantum *imperfectum* est, quoniam al-
terius *conscientiae* relinquitur, an nobis illud praestare
velit,

velit, nec ne; alterius proinde obligatio tantum *internis* est, quoniam *externis* inter homines non producit effectus; quapropter et hoc Jus nostrum imperfectum quodque *internum* vocatur, atque illud perfectum Jus, quod conjunctum est cum Jure cogendi, praestare id nolentem, ideo quoque *externum* nuncupatur, quia *externis* inter homines producit effectus.

Hanc distinctam juris Naturae *externi* et *interni* sine *perfecti* et *imperfecti* notionem praemittere debui, quia in officiis Hominis erga DEUM demonstrandis hujus divisionis Juris Naturae quare maxime habenda est ratio, tum quoque, quia in recensenda *historia* jurisprudentiae Naturalis mox intelligeris, quare in hac disciplina officiorum erga DEUM apud plerosque aut plane nulla mentio facta, aut apud nonnullos tantum translatio et superficialia de iis tractatio instituta fuerit.

Antiquis equidem temporibus non ita occitanter cum Sanctissimo Naturae Jure vixerunt homines. Et ne iterum cum *Adamo* et *Eoa* exordiar, vobis ob oculos ponatis *Enochum*, *Noachum*, *Abrahamum*, *Isaacum* aliosque viros pios, qui ante legem *Mosaicam* vixerunt; hi sane, dum leges DEI positivas nondum habuerunt, secundum Jus Naturae vivere debuerunt; ideoque et officia erga DEUM maxime tamquam praecepta Juris Naturae pensitarunt. Ast non habemus systema tam antiquum Legum Naturalium, quo veterum opiniones perspicere nobis liceat. Jus Naturae quidem tam antiquum est, ac ipsum genus humanum, sed non ideo tamen in

Systematis formam edachit est quilibet Juris Naturae
 disciplina. Multa equidem *Jov. Seldonus* nobis narravit
 de *Jure Nat. et Gent. secundum disciplinam Hebraeo-*
rum sed parum fidei merentur illae, ex quibus librum
 contextit, Judaeorum traditiones.
 Inter Gentiles autem primo loco occurrunt *Pythagoras*
 et ejus discipulus *Socrates*, qui primato Juris Naturae fun-
 damentum posuerunt in *opinionibus* seu in *conformatione*
 hominis cum DEO. Hanc *opinionem* habent tamquam principium
 Juris Naturae *Plato* quoque in libris suis de *Legibus* defec-
 dit. Et cum hoc principium, sui extensis verbis creda-
 stus, magnam speciem habeat, quasi cum *S. Litteris* sa-
 tis conveniret; hinc non mirandum, quod *Panes* Ecclē-
 siae *conies* *Platonem*, praeferebant *Plato* in *Sancti-*
tate, *Merito* sic in *Sanctitate* et *Justitia* hanc confor-
 mationem hominis cum DEO, quaerent. *Plato* au-
 tem successit ejus discipulus *Aristoteles*, qui magis in
 vita contemplativa, quam in Sanctitate et Justitia beati-
 tudinem humanam statuit, et sic in *operatione intellectus*
 potius quam in *sanctitate* et *voluntate* *con-*
formacionem hominis cum DEO, quaesivit. *Epicu-*
rus vero haec principia *Platonis* et *Aristotelis*, prout
 erat, conjunxit et sic emendationem facultatis adpe-
 cendi ex emendatione facultatis cognoscendi deduxit; ut
 de tunc *veram animi voluptatem* oriri putavit, quam
 pro fundamento statuit doctrinae moralis; in eo tamen
 maxime stravit, quod existimaverit, DEUM non
 curare res humanas, neq. etiam post *hanc* tempora-
 rem vitam superesse aliam aeternam, sed animam non
 suam cum corpore perire. Sic parum aut omnino ab *histe-*

Philosophis, saltem quoad officia erga DEUM, addiscoi
re nobis licet.

Nunc adhuc quaedam dicenda sunt de Stoicis, qui fere
soli disciplinam Juris Naturae exceperunt, sed plerique
tamen eorundem commentarii perierunt, et nulli fere
superfunt, nisi Ciceronis, *Plutarchi*, *Senecae*, *Epicteti*
et *Marci Antonini* libri. Sed quis vestrum inde offi-
cia Hominis erga DEUM naturalia ruminabitur? Stoici
quippe ipsam *Naturam* tamquam DEUM credebant; et
sic DEUM ab universo non distinguebant, sed foede
creatorem, cum creaturis miscebant, prout omnes norunt,
qui leviter tantum in historia philosophiae critica versati
sunt. Equidem, praesertim *Seneca*, *Antoninus* et *Epictet-
us*, aliquando tam splendide de *providentia* locuti sunt
et tam egregia verborum pompa docuerunt, *omnibus
esse DEUM sequi*, et quae sunt plura admodum specio-
sa Stoicorum dogmata, ut ejusmodi vocibus nonnunquam
ipsos Christianos in pudorem conjicere videantur. Sed
ne fucō decipiamur, omnino commendanda sunt, quae
de Stoicorum doctrina morali notavit *Cl. Bruckerus* in
Miscellaneis historiae Philos. Litterariae Criticae,
Obs. v. de *Providentia stoica* et Obs. ix. de *Stoicis
subdolis Christianorum imitatoribus*.

Nullis igitur Gentilium philosophis historiam Jurispru-
dentiae Naturalis quoad officia erga DEUM praestanda
quaeramus apud ipsos Christianos Doctores. Sed unde
incipiamus? A patribus forsan Ecclesiae? Ast merito cum
Cl. Barbeyracio nostro in *praef.* Editioni Gallicae ma-
joris

jocis systematis *Pufendorffiani* praemissa ibique §. 9. vehementer doleo, neminem ex Patribus Ecclesiae Christianae fuisse, qui disciplinam Juris Naturae ex veris et genuinis principiis excoluit. *Ambrosius* equidem de *Officiis* libellum edidit, sed multa hic desiderantur, prout ex citata laudati *Barbeyracii* praefatione facile patet. Quod si autem huic praefationi *Barbeyracianae* adjungamus ejusdem Viri Celeberrimi tractatum *de la morale des Peres de l'Eglise* ipsosque Patrum Ecclesiae editos commentarios conferamus; tunc inde suspicari licebit, disciplinam Juris Naturae a Patribus Ecclesiae non magnopere emendatam esse. Qui sane neglectus, si verum fateri fas est, amplificandae Religioni Christianae plurimum obfuit.

Post Patres tamen Ecclesiae, praesertim a saeculo septimo post CHRISTUM natum horrida barbaries mundum invasit, postquam nimirum gentes barbarae, velut diluvium quoddam, imperium Romanum inundarunt. Redit vero lux aliqua litteris, aut saltem philosophiae studio, sub fine saeculi XI. aut initio saeculi XII. ubi occasione expeditionum *sacrarum* ad terram sanctam recuperandam, quae et expeditiones *cruciatæ* vocantur, *Aristotelis* libri quadamtenus iterum innotuerunt. Sed sic turba *Scholasticorum* hominum successit, a quibus sanior philosophia Moralis, unice principis Juris Naturae innixa, parum aut nihil profecit; dum enim ignavia et luxu Laicorum ad solos Clericos redierat philosophiae studium, hi velut ancillam habuerunt philosophiam, quae suae Theologiae inserviret. Philosophiam itaque Mora-

lem

lent pro nutu suo effinxerunt Clerici, et prout eorundem rationes flagitabant, scripserunt ubique *casus conscientiae*, neglectis tamen veris Juris Naturae principia. Immo Laicis in excolenda genuina doctrina Morali multum quoque obstabat Jus *Pontificium* seu *Canonicum*, cujus Doctores etiam Protestantes adhuc hodie magnifice creari, gloriosum sibi ducunt. Hoc Jus Pontificium jam tum temporis in Germania innotuerat; quod Jus *Divinum* putabant; unde non alio Jure *Naturae* ipsis opus videbatur, quam quod hauriebatur ex impurissimo hoc fonte, cui postea, dum Laici ex Jure quoque *Romano* nonnulli sapere ceperunt, addebant etiam hanc Juris Civilis disciplinam, tamquam *optimam*, ut ipsis videbatur, *morum magistram*.

Nonne obstupescitis, AA. quod per tot saecula post CHRISTUM natum inter homines, qui a CHRISTO nomen ducunt, ipsam Jus Naturae purissimum, cujus tamen optimus interpretes est sanctissimus noster SALVATOR, tamquam vile et fere profanum studium incultum jacuerit? Et tanta occaecaverit mentes humanas Juris Naturae caligo, ut ea, quae divina sunt jura, ex constitutis humanis aut ex vagis hominum opinionibus, utpote a *Gentium Philosophis* aut ex jure *Canonicis et Romano* addiscere studuerint homines? Nonne obstupescitis mecum, AA. quod Laici adeo vesani esse potuerint, ut Jura Naturae connata, utpote Jura Religionis et Libertatis philosophandi, in quorum exercitio tamen omnes homines perfecta gaudent *aequalitate*, unice a Clericorum nutu et ex ipsorum fictis casibus conscientiae pendere autumaverint?

At

modum; de quo DEO immortali sint grates, jam in-
 quirit, in disciplina, quae communem totius generis ho-
 mini salubrem intendit, longe felicitiora vivimus tempora.
 Postquam enim insignis nostras *Grotius* libros de J. B.
 et P. primus edidit Parisiis, omnium Eruditorum in se
 convertit attentionem et admirationem. Sic plenior lux
 effulsit praestantissimae Juris Naturae disciplinae.

Non autem in praesenti memorabo, quanam sint exi-
 mii hujus operis *Grotiani* merita et quot, ac quales tum
 inter Philosophis; tum ex Theologis quoque et JCtis, im-
 mo ex ipsis Litteratoribus aut Criticis nactus fuerit *Gro-
 tium* Commentatores et Antagonistas; id enim memo-
 rare, non esset hujus loci, cum neutiquam plenior
 Jurisprudentiae Naturalis historiam generalem dare con-
 stiterim, sed tantum historiam Juris Naturae Specialem,
 quoad eam scilicet partem, quam de Officiis Hominis er-
 ga DEUM explicabo, breviter recensere in animum ir-
 duxerim. Quoad hanc autem Juris Naturae partem,
 quae officia Hominis erga DEUM comprehendit, pa-
 rum aut nihil nobis reulit vir ceteroquin sine dubio per-
 spicacissimus. Rotius ex systemate *Grotiano* ubique ad-
 pareret, quod Jus Naturae *internum*, cujus pars est alte-
 rius Religio, tractare noluerit vir illustris, quoniam, ut
 ipsemet Lib. 2. cap. 10. §. 2. in fin de J. B. et P. aper-
 te confitetur, *Theologi internum animi tribunal in-
 struere solent*. Sed notandum est, *Grotium* Parisiis
 scripsisse, ubi sane Theologi *internum* animi tribunal
 instruere solebant. Ratio igitur singularis prudentiae
Grotium permovebat, ne hanc Juris Naturae partem,
 quae

quæ *internum animi tribunal* consistit, accuratius explicandum sibi sumeret. Quod hæc inque officia Hominis erga DEUM ex Jure Naturæ demonstranda nihil proficere possumus ex *Grotiano*, licet ceteroquin pereximio, opere, quin potius aliquando *Grotius* errores systemati suo infante adperserit, dum CHRISTUM ubique novum Legislatorem vendicavit, Legesque Evangelicas a Jure Naturæ diversas easque Jure Naturæ longe perfectiores statuerit, immo non solum hanc hypothesein defenderit, sed et ex nimia forsitan erga Clericos pontificios facilitate, dum Parisiis, ut dixi, scriberet, eo prolapsus fuerit, ut bella punitive gentium contra gentes, quæ *delicta* in DEUM committunt, iustissima dicerit, ceu patet ex Ejus Lib. 2. cap. 20. §. 44. et seqq. Manifestissimo argumento, *Grotium* quoad officia Hominis erga DEUM ex Jure Naturæ demonstranda gravissimis obnoxium fuisse erroribus.

Mittimus proinde *Grotium* quoad hanc Juris Naturæ partem præstantissimam, quæ officia Hominis erga DEUM comprehendit, et transitus ad *Hobbesianum*, qui *Grotio* coætanus fuit. At quam mirifice etiam multis placuerit systema *Hobbesianum*, quod de *Cive* conscripsit, profanus tamen fuit philosophus et Jura divina atque humana ubique confudit ipsamque Religionem arbitrio humano submisit et sic omnem Religionis Libertatem, quæ ex Jure Naturæ omnium connato oritur, penitus sustulit, immo præcepta Juris Naturæ proprio *Leges* non esse, sed omnem Justitiam a *civilibus institutis* pendere docuit, ut adeo, quam ingeniose, et non sine mag-

no acumine etiam confiatum fuerit *Hobbesi* systema, in demonstrandis tamen officiis Hominis erga DEUM nemo est periculofior.

Interea autem per aliorum errores aliquando ad interiorē veritatis cognitionem perducimur. Quapropter etiam *Hobbesianum* systema silentio praeterire non potui, ut inde conspiciamus historiam Jurisprudētiaē Naturalis circa officia erga DEUM simulque inde suspicemur, haec *Hobbesi* dogmata fere ad nostram aetatem inter Juris Naturae Commentatores quoad Religionem propugnata fuisse, si non eadem temeritate, saltem sub involucro boni publici.

Etenim prodierat *Hobbesi* liber *de Cive* anno 1646. Post haec tempora edidit Ill. *Sam. Pufendorffius* Hagae Comitum anno 1660. *Elementa Jurisprudētiaē Universalis*, ubi in praef. confitetur Auctor, se quidem multa desumpsisse ex viri incomparabilis H. Grotii libris de J. B. et P. sed etiam nec parum se debere *Thomae Hobbeso*, *cujus hypothesis* in Lib. *de Cive*, ut ait *Pufendorffius*, *etsi nescio quid profani sapiat, pleraque tamen cetera satis arguta ac sana*. Haec propria *Pufendorffii* verba ideo allegare volui, quoniam ex ipsius mai. systemate J. N. et G. nec non ex Eiusd. Libris de *Off. Hom. et Civ.* mihi in nonnullis visum fuit, *Pufendorffium* aliquando *Hobbesi* principia tum quoad moralitatem actionum nostrarum liberarum *insertam* evertendam, tum quoad Jus puniendi inter homines a *superioritate humana*, ut putat, derivandum, tum denique quoad Jus Na-

Na-

Naturæ internum delumbandum, nimis præcipitanter secutum esse. Saltem ad Officia Hominis erga DEUM quod attinet, ea *Pufendorffius* ad disciplinam Juris Naturæ referre non potuit, cum finem hujus disciplinæ tantum ambitu hujus vitæ temporalis includi aperte locuerit de *Off. Hom. et Civ.* in præf. §. 8. Quapropter §. 9. dictæ præf. statuit, Jus Naturale tantum circa formandas hominis *exteriore*s actiones versari, internasque hominis actiones et proinde quoque officia Hominis erga DEUM ad Theologiam moralem pertinere. *Pufendorffius* quippe in maj. suo Oper. J. N. et G. plane omiserat officia erga DEUM; hinc graviter culpatus fuit ab adversariis suis; *Pufendorffius* itaque, ut hanc maculam abstergeret, officia erga DEUM quoad actiones hominum *internas* ex Jure Naturæ ablegavit ad disciplinam Theologiæ moralis, atque postea compendio suo de *Off. Hom. et Civ.* etiam quaedam inseruit de officiis hominis erga DEUM, ubi tamen Lib. 1. cap. 4. §. 8. iterum profiteretur, effectum hujus Religionis Naturalis *intra sphaeram hujus vitæ terminari*, ad aeternam autem salutem nanciscendam nequaquam valere, simulque addidit, Rationem humanam sibi relictam ignorare, pravitatem humanam DEL. offensam aeternumque exitum mereri, ideoque et eandem rationem humanam latere necessitatem SALVATORIS seu remedium salutis per Divinam Revelationem necessarium esse. Quamobrem §. seq. 9. *Pufendorffius* usum Religionis in disciplina Juris Naturæ tantummodo ut firmissimum humanæ societatis vinculum spectavit. Revera igitur *Pufendorffius* officia erga DEUM tamquam officia *Socialista-*

K

its

tis erga hominem in disciplina Juris Naturae tra-
ctavit.

Quas lubricas *Pufendorffii* hypotheses in posterum
examinabimus easque refutabimus; interim hoc loco eas
memorare necesse fuit, ut inde historiam Jurisprudentiae
Naturalis quoad hanc praestantissimam Juris Naturae par-
tem, quae de Officiis Hominis erga DEUM agit, cog-
noscamus. Antequam vero ulterius progrediar in enar-
randa hac historia, pro excusando *Pufendorffio* perpen-
dere juvabit, quod *Pufendorffius* primus fuit Pro-
fessor *Juris Naturae et Gentium*, dum enim, ut jam
antea, memoravi, *Pufendorffius* lectis et relectis *Grœ-
li* et *Hobbesii* operibus *Elementa Jurisprudentiae*
Universalis in lucem emiserat, eaque CAROLO LU-
DOVICO, Electori Palatino dedicaverat, Principi sane
eruditissimo et in discernendis veris principiis politici-
cae salutis generis humani videbatur, Professionem Juris
Naturae et Gentium Ordinariam in Academiis constitue-
re; quapropter *Pufendorffium* Heidelbergam laetis con-
ditionibus evocavit eumque primum Juris Naturae et
Gentium *Professorem* ibidem designavit et quidem in
Facultate, quam dicunt, *Juridica*. *Pufendorffius*
itaque, forsitan ne terminos Jurisprudentiae excederet aut
Theologos aut Philosophos ob terminos *Jurisprudentiae*
motos in se excitaret, pro ea, qua pollebat, prudentia
solummodo Jus Naturae *externum* ex principio *Sociali-
tatis* humanae docuit; nequaquam vero ideo rectitudinem
actionis humanae, secundum hancce normam instituae,

in

in foro Divino asseruit, prout hæc mens *Pufendorffii* manifeste constat ex *Ejus Syll. Maj. J. N. et G. Lib. 1. cap. 8. §. 2.* ubi ita scripsit: *Porro cum ad actionis bonitatem requiratur non solum, ut fiat id, quod Lex jubet, sed etiam, ut fiat ea intentione, quæ eidem Legi est conformis: inde adparet, ad hoc, ut actio aliqua perfecte bona habeatur, requiri, tum ut quod Lege præscribitur, juxta omnes partes impleatur, tum ut agentis animum unctæ excuset studium, Legislatori promptum obsequium exhibendâ. Inde cum Lege Divina jubeamur, DEUM diligere ex toto corde, ex tota anima et ex omnibus viribus, ac proximum nostrum sicut nos ipsos, manifestum est, nullam actionem posse DEO approbari tanquam perfecte bonam, nisi quæ cum plenissima intentione fuerit suscepta, et ubi agens nihil aliud propositum sibi habuit, quam ut creatoris Optimi Maximi voluntati satisfaceret. *Pufendorffius* igitur Jus Naturæ in strictiori sensu sumit et ambitum Juris Naturæ non perspexit aut saltem docere noluit, ne novo suo J. N. instituto, quod primus suscepserat, alios forsan offenderet. Nihilominus tamen hoc prudens institutum male ipsi successit, cum J. U. DDiæ ægre ferrent novatoris illius, ut putabant, molimina, quibus *Utriusque Juris* auctoritas nimium delumbaretur; Theologi quoque, ob rationes mox dicendas, *Pufendorffiam* limis adspiciébant oculis.*

Et cum præterea *Pufendorffius* suadente, et prout III. *Petrus de Ludwig* in *Germ. Principe* L. 5. cap. 1. §. 30. refert, ipso cooperante Electore literatissimo, sub

ficto nomine *Severini de Mozambano* libellum edidisset ad *Laelium*, quem dixit, fratrem, Dominum, quem nominavit, *Trezolani, de statu Imperii Germanici*; hicce ingeniose conscriptus liber, quo naevos regiminis Germaniae false notavit, tam varios eosque sat malignos concitavit rumores, ut *Pufendorffius* sub ipso tutelari suo Principe se contra densissimas suspicionum et invidiarum nebulas non amplius satis securum haberet; hinc Heidelbergam dereliquit et sub auspicio Regis Sueciae, CAROLI XI. in Academiam Lundinensem Scanorum noviter erectam secessit, ibique anno 1672. edidit majus Systema J. N. et G. Erant autem inter Collegas ipsius *Josua* quidam *Swarizius*, ex ordine Theologorum, et *Nicolaus Becmannus* Jctus, qui consilium ceperunt *Pufendorffium* collabefaciendi. *Josua* itaque *Swarizius* S. S. Theol. Professor contra *Pufendorffium* *indicem novitatum* compilavit, *Nicolaus* autem *Becmannus* Jur. Utr. Antecessor atrocissimum scriptum in lucem protulit, quo *Pufendorffium* tamquam *carneum diabolum* et *singularem mendaciorum artificem* depinxit, qui *fictitia sua entia moralia et diabolica*, ut *Becmannus* ait, *erudito orbi malisiose ac ignaminiose exponere voluit. Naturalis sive brutalis et Gensilis Pufendorffii spiritus*, inquit *Becmannus*, *usque adeo enormiter se exserit et perversa operatur, ut nec diabolum, nec infernum, nec vitam aeternam dari impie credat.*

Hoc scriptum *Becmannianum* acerbissime conflatum postquam inpressum fuerat, dirum inde exarsit bellum

lit-

litterarium, praesertim cum aciem quoque instruxisset Cl. Lipsiensium Theologus, *Valentinus Alberti*, isque anno 1678. *Pufendorffio* opposuisset *Jus Naturae Orthodoxum*. Sic magnae inde Eruditorum lites exortae sunt; interea Theologi Lipsienses eo rem redigerant, ut *Pufendorffii* Systema J. N. et G. inter libros prohibitos in Electoratu Saxoniae publice censeretur. Sed *Pufendorffius* constante Regis Suecorum gratia subnixus, intrepide omnem invidiam despexit suosque antagonistas dentato stilo egregie depexos dedit. Specimen harum controversiarum edidit ipse *Pufendorffius* in *Eride Scandica*, quae juncta est editioni operis *Pufendorffiani*, a Cl. *Godfrido Mascovio*, nuper anno 1744. animadversionibus illustrati; quaeque *Eris Scandica* a *Pufendorffio* satyricè conscripta, lectu est dignissima, cum magnam partem historiae Jurisprudentiae Naturalis quoad mutatae per *Pufendorffium* in hac disciplina scenam, praesertim quoad *moralitatis intrinsecae* principia contineat. Ita demum *Pufendorffius* gloriose triumphavit, publice postea relegato *Becmanno*, sed ideo tamen nondum deseruit Theologorum aestus. Nec mirum; nam, ut Cl. *Mascovii* verbis utar, *quae ante Grotium*, inquit in praef. ad *Pufend.* pag. ix., *de doctrina morum solliciti fuerunt, ad unum fere omnes Theologi erant, qui sua interesse putabant, banc artem in recondito haberi, ut in doctrina morum a se, tanquam e Tripode Apollinis, decisiones omnes peterentur. Quod regnum eorum morale in Germania a Pufendorffio hac nova arte eversum fuit.* Et revera Cl. *Mascovius*, ut mihi videtur, rem acu te-

tigit; nam alias nulla ratio esset, cur Theologi, ut fit, disciplinam Juris Naturae ferre non possent; et cur in-
bentius viderent, unice Jus Romanum a JCtis doceri.

At obstrepentibus quamvis Theologis et obnitentibus etiam nimis *Utriusque Juris* admiratoribus studium tamen Juris Naturalis post haec *Pufendorffii* fata ubique per Germaniam lacertos suos movere coepit. Principes enim Germaniae, praesertim Protestantium Religionis addicti, e re sua ducebant tum in Academiis tum in Aulis suis alere praesertim eos JCtos, qui hac Juris Naturae doctrina oppido instructi erant. Hinc fieri aliter non potuit, quin JCti relicta trita illa et haecenus usitata *Juris Utriusque* via aliam Jurisprudendiae addiscendae methodum sibi praefigerent omnesque nervos intenderent, ut Jus Naturae sedulo excolerent. Sed quoniam tum temporis Philosophiae studium paene intricis *Scholasticorum* consistebat aut saltem Metaphysices doctrina ante *Wolffium* nil nisi horridam barbariem spirabat, ita ut ipse *Pufendorffius* in *Eride Scandica* p. 244. Edit. Mascov. confiteatur, „ *se juvenilibus annis in*
 „ *Scholasticorum philosophia non paucas bonas horas*
 „ *perdidisse et atomos quasdam distinctionum et ter-*
 „ *minorum Metaphysicorum deglutivisse, quibus aër*
 „ *in Academia Jeneasi pertinacissime infectus erat.*
 „ *Postea autem, ita pergit Pufendorffius, diversum*
 „ *coelum pulveres istos ultra discussit et ex tota illa*
 „ *scientia id praecipuum remansit, quod sciam, eum,*
 „ *qui istam solam scit, nihil scire; hinc pro isthac*
 Philosophiae facie et pro istis rerum circumstantium con-

di-

ditionibus facile suspicari licet, Jus Naturae à *Pufendorffio* neutiquam ad summam evehi potuisse fastigium, dum, si sanior Philosophia deficiat, etiam in scientia Juris Naturae amplificanda inanes operae sumuntur.

Interea prodit *Christ. Thomafius*, philosophiae Scholasticae acerrimus hostis, qui primum *Pufendorffii* partibus in excolendo Jure Naturae publice accessit, edendo *Institutiones Jurisprudentiae Divinae* in Academia, ubi privatim docebat, Lipsiensi anno 1688. primum in forma, quam dicunt, 8^{va} postea autem hic tractatus *Thomafii* in 4^{to} editus ac multo auctus est. *Thomafius* praeterea praxi forensi operam dabat et prout ipse *Dissert. Prooem. Jurispr. Div. §. 15.* narrat, Jurisprudentiam Naturalem ad forum transferebat, qua se in perorandis causis forensibus longe magis adjutum esse fateatur, quam si myriades consulentium, respondentium, decidentium Jctorum ex Germania, Gallia, Italia, Hispania et toto terrarum orbe evolisset, ut casum, quem dicunt, ip terminis inveniret. *Thomafius* itaque a communi Advocatorum consuetudine recedentem J. U. DD^{res} exosi erant, praecipuis cum novos Jurisprudentiae Justinianae aliquando nimis false perficisset; nec tamen magis Theologis placebat; hi enim, prout ipse in dict. *dissert. prooem. §. 28.* refert, censuram in publicum spargebant, quasi *Thomafius* principia doceret, quae ad *atheismum*, *heterodoxiam* omnemque impietatem viam sternerent, quaeque omnia philosophiam aliquam novaturientem cum non parvo Reip. damno spirarent. *Thomafius* proinde Lipsiae non amplius tutus, Halam Magdeburgicam petebat,

tebat, ibique anno 1690. fortunæ suæ Lares constituebat, atque Electori Brandenburgico consilium dabat, ut ibidem Academiam erigeret, quæ res ipsi adeo feliciter successit, ut non solum initio hujus seculi sub auspicio primi Regis Borussiae florentissima inde constituta fuerit Academia, sed et *Tbomasius* Regis Consiliarius intimus ac Director hujus Academiae perpetuus postea designaretur atque continuo aulæ Berolinensis favore frueretur.

Post hanc igitur ita ordinatam Academiam studium Juris Naturæ secundum *Pufendorffii* et *Tbomasii* principia longe lateque se dispersit. At si hos feliciores Jurisprudentiæ Naturalis successus pensitemus, fatendum tamen est, eam Juris Naturæ partem, quæ officia Hominiis erga DEUM complectitur, per *Pufendorffiam* ejusque defensorem *Tbomasium* ceterosque *Pufendorffii* affectas nimis negligenter tractatam fuisse. Egit equidem *Tbomasius* tum in *Instit. Jurispr. Div. Lib. 2. cap. 1.* de Officiis Hominiis erga DEUM, tum quoque postea in *Fundamentiis Juris Nat. et Gent.* quaedam adnotata emendantia ad hanc doctrinam addidit, at ubique inde patet, *Tbomasium* cum *Pufendorffio* suo in disciplina Juris Naturæ tantum respexisse felicitatem generis humani *temporalem*, ideoque ex Societatis humanæ custodia præcipue *Jus Principis circa Sacra* docuisse. Veruntamen id minime est, Officia Hominiis erga DEUM secundum Naturam explicare,

Non jam allubescit, singula singulorum systemata J. N. perlustrare, cum id nimis prolixum foret. Interca

ex

ex dictis jam patet, Juris Naturæ Commentatores ante *Wolffium* Officia Hominis erga DEUM nimis oscitanter tractasse atque inde totum fere Jus Naturæ *internum* paene neglexisse; quæ sane supina negligentia inter maximos systematis *Pufendorffiani* naevos est referenda. Et nihilominus tamen, quod miremini, *Pufendorffianum* J. Nat. Systema in Belgio fere *Wolffiano* Systemati J. Nat. et Gent. præfertur, immo *Wolffius* plerisque Belgis odio habetur ob rationes, quas ego nondum perspicere possum. Etenim licet etiam *Wolffius* in sua *Metaphysicâ* quaedam admiscuerit, quæ minus fundata forsan aliis videntur; in Jure tamen Naturæ enodando adeo planus et perspicuus est *Wolffius*, ut a quovis intelligi facile possit, et præterea adeo prudenter se gessit *Wolffius* in hac disciplina pertractanda, ut *hypotheses Metaphysicâs*, quæ aliis offendiculo esse possent, penitus omiserit; ac denique in Jure Naturæ adeo *Orthodoxus* fuit *Wolffius*, ut ne unicam quidem paragraphum inferuerit, quæ aliqualem heterodoxiam ostenderet, cum econtrario et *Græsius* Arminianismi sui aliosque errores in suo systemate de J. B. et P. admiserit et *Pufendorffius* tantum ad *exteriore*s hominum actiones respexerit, *internis* hominum actionibus insuper habitis; et sic veram hominis felicitatem in disciplina Juris Naturæ parum curaverit. Quod *Pufendorffii* institutum profecto in Jure Naturæ quodammodo periculosum foret, si quis inde contra mentem Auctoris *integrum* Juris Naturæ systema, omnibus numeris absolutum, sibi repræsentaret; nam si in *externis* actionibus custodia Legis Naturæ quaerenda esset, hypocrisis etiam Legi Naturæ haud repugnaret. Immo

si Jus Naturae *externum*, tantum inter homines obtineret, remoto Jure Naturae *interno*, conscientia hominis sane nulla aut plane imaginaria esset, ut adeo quidvis facere liceret homini, dummodo alter jure aut vi cogendi destitueretur. Sic omne Jus Naturae ex metu *aliorum hominum* oriretur, nullamque proinde esset Jus Naturae *divinum*, sed cessante metu alterius hominis, Jus Naturae *externum* quoque cessaret, cum jus *internum* nullum foret. Et nescio sane, numne *Pufendorfius* a suo *Hobbesio*, quem, ut profitemur, in deliciis habuit, aliquantisper ita delusus fuerit.

Haec autem omnia dum deliberato animo pensaverim, dubius haereo, num ante *Wolffium* completum Juris Naturae systema *veri nominis* in toto litterarum orbe unquam extiterit; nam quotquot dantur aliorum systemata, aut saltem quotquot mihi ex historia Jurisprudentiae Naturalis praeter aut ante *Wolffium* nota sunt, nullum eorum invenire potui, quod non suos habeat nevos gravissimos. Exasciatio itaque Juris Naturae scientia nostris temporibus reservata fuit. Et uinam! ut haec disciplina diligentius demum excolerent tum Theologi, tum praesertim Juri.

LECTIO XI.

*De officiis erga Deum in disciplina Juris
Naturae pertractandis.*

Quamvis ex mea sententia Lex Naturae etiam in hypothesi Atheorum impossibili subsistat; non tamen Atheus, opinor, amplitudinem Legis Naturae perspicit, sed valde incompositum sibi format Legum Naturalium Systema, suisque numeris minime consummatum, dum officia erga DEUM ab hoc systemate exulant et sic fortissima motiva, quae a perfectionibus Divinis et nostra aeterna felicitate acquirenda desumuntur, secundum legem naturae agendi deficiunt. Quo autem plura agendi motiva conjunguntur nobisque repraesentantur, eo fortior redditur nostra obligatio naturalis et eo quoque perfectior nobis observatur Lex Naturae: jam vero motiva aeternae felicitatis, quae ex immortalitate animae et ex natura erga DEUM immortalem desumuntur, infinite majora sunt, quam quae tantum ex momentanea et transitoria aut temporali felicitate Atheus sibi repraesentat: hinc et obligatio hominum naturalis infinite major et fortior, id est, maxima et fortissima fit, si motiva agendi secundum Legem Naturae ab attributis Divinis desumamus omniaque Juris Naturalis officia spectemus tamquam officia erga DEUM atque cum Legis Naturae custodia indivulso Naturae nexu veram semperque duraturam hominis felicitatem conjungamus.

Prae-

Praeprimis cum ex ordine universi evidentissime perspicere liceat, summum finem, quem universi conditor intendit, esse *gloriam ipsius*, id est, DEUM ita ordinasse totum hoc universum, ut singulae res in hoc, quem spectamus, ordine existentes per essentias earundem proprias manifestarent summas summi Numinis perfectiones. Haec autem manifestatio perfectionum Divinarum non opus erat, ut ipsi DEO fieret; DEUS quippe suarum perfectionum omnino sibi conscius non alio indigebat speculo summarum perfectionum, nisi quod intellectus Divinus infinite perfectus haec perfectiones summas sibi ipse ab omni aeternitate repraesentaret distinctissime et beatissime. Ergo haec manifestatio perfectionum Divinarum in creatione mundi fieri debuit, non ipsi creatori, sed creaturis, ratione praeditis, ut inde perspicerent summas conditoris perfectiones suasque actiones liberas dirigerent ad gloriam DEI seu summum universi finem; nam fines rerum creaturarum constituunt Leges, quas per ipsam Universi Naturam nobis manifestavit Divinus Legislato: hi autem fines quarumcunque rerum particulares cum omnes conspirent demum in summum totius finem, sequitur inde evidentissime, hunc summum universi finem nobis creaturis rationalibus esse quoque supremam Naturae Legem. Supremae igitur Legi Naturali cum ceterae Leges Naturales subordinatae sint, manifestum inde est, nulla dari officia Juris Naturalis, quae non simul sint officia erga DEUM, sive quae non praestare debeamus in honorem DEI T. O. M.

Et ex hisce porro liquet, quod, cum Systema disciplinae

plinae veri nominis sit, quo omnes veritates istius disciplinae propriae continuo nexu demonstrantur, ut demum ad summum istius disciplinae finem pertingamus, quod, inquam, admodum mancum et incompositum sit illorum Juris Naturalis systema, qui hanc summam Naturae Legem, ex qua officia erga DEUM derivemus, e nostra disciplina proscribunt, cum tamen nulla detur Lex Naturae, ex finibus quarumcunque rerum particularibus demonstranda, quae non huic Legi Naturali summae sit subordinata, et nulla proinde detur actio humana libera naturaliter recta et omnibus numeris absoluta, quae non simul conveniat huic supremae Legi Naturae: recta quippe ea demum est actio humana libera, quae non uni cuidam legi singulari seu fini cujusdam rei particulari, sed quae omnibus Naturae Legibus, quae ad agentem spectant, accuratissime convenit, ut nullus actionis defectus adsit in agente vincibilis.

Talem vero actionum nostrarum rectitudinem ipse ordo universi, cujus partes sumus, a nobis exigit, ne ceu rebelles creaturae ab ordine universi deficiamus aut ceu membra a corpore in nihilum recidamus: talem quippe actionum nostrarum rectitudinem requirit finis, quem nos intendimus in agendo, scilicet ut propriam nostram *veram* felicitatem promoveamus; *vera* enim hominis felicitas absque custodia Legis Naturae subsistere, et cum perpetua violatione summae Legis Naturae etiam summa conjuncta est hominis infelicitas.

Naturalis itaque obligatio hominis, ut in omnibus acti-
oni-

onibus huic summæ Legi Naturali convenienter vivamus, ad *gloriam* scilicet DEI, fortissima et tanta est, ut major obligatio naturalis per ordinem Universi esse nequeat; nam absque hac Lege Naturæ summa ceteræ Leges Naturales tantum fucam aut transitoriam nobis parerent voluptatem, ut sic vera et constans hominis felicitas cum ipsa Legis Naturæ custodia evanesceret, si summum Juris Naturæ finem homo destitueret. Ipse denique finis, quem DEUS per creationem Universi intendit, severe postulat et sic ipsa Dei sanctissima voluntas jubet, ut per observationem summæ Legis Naturæ veram nostram et perennem omnibus visibus quaeramus felicitatem.

Ex quibus omnibus concludo, quod totum Jus Naturæ, quantum quantum est, nos uni DEO mancipet et quod vera Religio esse nequeat, nisi quæ nos ad sanctissimam legum naturalium culturam et observantiam reducit. Complexus proinde omnium officiorum, quæ lege Naturæ jubentur aut verantur, omnino veram consistit Religionem; ideoque Scientiam Divini Juris Naturæ a Christianæ Religionis doctrina nunquam divellere; sed hanc cum illa sedulo conjungere debemus; si pilæ et vere Religiosi esse velimus; ipsa enim Theologia Christianorum moralis Scientiam Juris Naturæ supponit; immo CHRISTUS Legem Naturæ contra *Pharisæorum* corruptelas ad puriorem mentem reduxit; pristinoque suo nitore restituit, ut adeo disciplina Christianorum moralis nihil aliud sit, nisi ipsum Jus Naturæ instauratum. Agendis solummodo et Religione Christiana

filia accedunt credenda, per quae illa augentur, et in
vis motivis ab opere. Redundantia originis, unde fontis
ores adhuc sunt obligationes nostrae naturales, sed mi-
nime nova ideo introducitur doctrina moralis, ab immu-
tabilibus Naturae legibus aliena, et, audientibus naturalibus

Neutiquam vero ob hanc thesin putetis, velim, ac
si quando tenus *Tindal* ad factum esse in spiritum, qui librum,
ut nostis, Anglico sermone conscripsit sub rubro; *Christi-
anities; or Old as the Creation: or, The Gospel as
Republication of the Religion of Nature*, itaque inde,
quod Christiana Religio nihil novi contineret, sed unice
tantum Religionis naturalis principia, immutabili Legi
Naturae innixa, traderet, impie concludit, Religionem
Revelatam minime necessariam esse. Ego potius ideo
Religionem Christianam pro recuperanda generis huma-
ni salute necessariam esse profiteor, quoniam homines
Religionem Naturalem turpissime violaverunt et sic poenis
violatae Legis Naturae dignissimos se reddiderunt; immo
ideo Religionem Revelatam necessariam esse duco, quia
Lex Naturae sanctissima est et immutabilis, ejus trans-
gressio indulto Naturae nexu secum trahit poenam et
praeterea ideo necessariam esse existimo Religionem Chri-
stianam, quoniam absque conjunctione voluntatis huma-
nae cum voluntate DEI nulla datur vera et constans
hominum felicitas; haec autem conjunctio inter Sanctis-
simum DEUM et homines foede corruptos, utpote sa-
lutiferae Legis Naturae transgressores, per rerum Na-
turam adesse nequit: ideo demum Religionem Revela-
tam necessariam esse reor, ut homines ad custodiam Le-
gis

gis Naturae, mediante DEI Gratia, per hanc salutis vitam reddantur atque cum opere Redemptionis sive cum statu Gratiae statum Sanctificationis perpetuo conjungere studeant, quo, expiatis per SALVATOREM generis humani criminibus, ex hac sincera Legis Naturae observantia, cura et cultura iterum felices evadant mortales.

Non igitur per Religionem Christianam sanctitas, amplitudo, immutabilitas et sufficientia Religionis Naturalis evēritur, sed potius inde palam ostenditur, quam turpes sint Legum Naturalium transgressiones; quam sancta sit Lex Naturae: quam indivulso nexu cum Legis Naturae custodia ipsa hominum felicitas et eum ejusdem violatione illorum infelicitas semper cohaereat; quam maximum proinde sit SALVATORIS meritum, quo violatae Legis Naturalis poenas loco peccatorum subiit et per exactam obedientiam nostra vice Legi Naturae praestitam nobis sufficientiam salutis adquisivit: quam gratia idcirco memoria hoc beneficium divinitus nobis exhibitum prosequi teneamur. Non itaque, si *Naturalitas* refutare volumus, sanctitatem, amplitudinem, immutabilitatem, sufficientiam et perfectionem Legum Naturalium negare, sed ipsis potius ambabus manibus eandem concedere debemus, ut inde tanto evidentius commonstremus, neminem mortalium amplissimam Naturae Legem observare et proinde omnes poenis transgressionum obnoxios, ideoque in perpetuum infelices fore, nisi per gratiam Divinam via nobis pandatur, qua iterum auxiliante Numine, expiatis nostris criminibus, ad sanctiorem vitam, quae absque custodia Legis Naturae non datur,

datur, et sic ad veram nostram salutem, positis fluxarum rerum curis, pie convertamus. Hoc autem fieri non potuit, nisi nobis Divina data fuisset Revelatio; prout egregie commonstravit Consultiff. C. M. Merkelbach in in Dissert. de Jure Naturae, optimo verae Religionis Christianae praesidio, publice in hac nostra Academia, die 8 Junii 1768. defensa.

Unde ex hisce nunc iterum, ut opinor, clarissime percipietis, quam profanum sit, sanctioris Jurisprudendae Naturalis disciplinam in contemptum et heterodoxiae suspicionem adducere, quasi Religio Christiana ex ampliore Juris Naturae doctrina anxie periclitaretur, cum tamen ipsa Divina Revelatio hunc quoque in finem nobis data sit, ut Legem Naturae sollicitè custodiamus. Possent et vellem, heic longius excurrere, ut profanos quorundam mores in contemnendo sanctissimo Jure Naturae, sine quo sane dignitas Religionis nostrae Christianae subsistere nequit, ad oculos depingerem, sed vereor, ne nonnullis, qui absurdissimis et perniciosissimis contra nostram Divini Juris Naturalis disciplinam praedictis ducuntur, nimis sedulo molestus fiam. Quapropter spretis aliorum naeniis firmiter mihi persuadeo, DEUM homines ad sui cultum Rationalem Lege Naturae obligasse; ideoque *Officia hominis erga Deum* in nostra disciplina omnino petraetanda esse.

Testem pro hac mea sententia corroboranda habeo omni exceptione majorem, virum *Θεοπνευστον*, videlicet Apostolum Paulum, qui in *Epist. ad Rom. Cap. 1: 19,*

20, et 21. scripsit, quod homines *αναπολογητοι*, *inexcusabiles*, *sint*, *propterea*, *quod id*, *quod de DEO cognosci potest*, *manifestum est in illis*; *DEUS enim illis patefecit*. Et quomodo? An forsitan per universalem quandam Revelationem divinitus inspiratam? Id minime ibidem dicitur, sed unice adseritur, quod *invisibilia DEI ex creatione mundi per opera intelligantur et pervidentur*, ipsaque aeterna ejus potentia et *Θεοτης*, *Divinitas*. Quid autem inde addicerent homines? Hoc evidenter in cit. textu perhibetur, ut nimirum perfectionibus DEI cognitis *DEUM glorificarent* et erga eum *grati* essent. At quoniam id non fecerunt, sed, ut praeced. vs. 18. dicitur, *veritatem in injustitia detinuerunt*; hinc ira DEI palam facta est adversus illorum *impietatem et injustitiam*. Manifesto sane argumento, officia erga DEUM maxime esse *Naturalia*, ideoque ad nostram disciplinam *universalem* summo jure referenda.

Vehementer itaque errant *Pufendorffius* ejusque sequaces, quod officia hominis erga DEUM ex disciplina Juris Naturae ablegaverint et tantum temporalem hominis felicitatem pro fine Juris Naturae statuerint. Hunc naevum Jurisprudentiae Naturalis *Pufendorffianae* jam graviter perstrinxit Ill. *Leibnizius* in Epistola censoria, editioni Gallicae libelli *Pufendorffiani de Off. Hom. et Civ.* a Cl. *Barbeyracio* adjecta. Et revera si finis Juris Naturae termino hujus vitae terrena ineludatur, tunc nescio, qua ratione Religio constare possit et quibus demum rationibus *officia hominis erga*
DE-

DEUM doceamus aut discamus? Quid! si nulla post hanc vitam speranda felicitas, nullumque post hanc temporalem vitam metuendum esset malum, quomodo tunc vel unquam DEUS homines ad sui cultum rationalem obligare posset? Quatenam enim forent motiva Religionis? Et quomodo absque connexione motivorum cum nostris actionibus liberis obligatio concipi deberet? Ego sane nescio, quibus rationibus officia erga DEUM naturalia a *Pufendorffio* doceri potuerint, si finis Jurisprudentialis Naturalis tantum *ambitu hujus vitae* includatur.

Audiamus Cl. H. A. *Roëllium* in *Dissert. de Relig. Rat.* §. 109. ita differentem: *Quis enim, inquit, hominem ad sanctissimum Dei cultum et humile obsequium inviolabili lege obligatum esse dicat, si nulla illi cum DEO sit communitas, si nec accipere aut sperare ullum a DEI amore ac benevolentia bonum, nec ab ejus odio malum metuere ullum queat debet, et nec jurare illum DEUS, nec nocere illi possit aut velit, et omnino humana non curet aut animadvertat.* Sic etiam *Apostolus Paulus* in *Epist. ad Hebr.* cap. xi: 6. scribit: *Qui ad DEUM accedit, hunc credere oportet, esse DEUM et esse remuneratorem quaerentibus se.*

Ad me quod attinet, totus existimarem, nullum officium hominis naturale adeo manifestum esse, quam quidem erga DEUM; totum enim universum, cujus homo pars est, contingenter existit. Omnium, autem re-

rum existentium datur ratio sufficiens, cur potius sint, et cur potius hoc, quam alio modo sint. Non datur, vero progressus causarum vel rationum in infinitum. Ergo tandem subsistendum est in ratione ultima seu prima omnium rerum existentium, quae est demum ratio sufficiens totius universi, id est, in ente absolute necessario seu ipso DEO, a quo totum hoc universum, et per consequens etiam homo et anima nostra, tamquam a causa sua dependent. Haec dependentia nostra ab ente absolute necessario, ab ente perfectissimo, ab ente per consequens summe bono, sanctissimo, justissimo, omnipotente et sapientissimo, est fons omnis verae Religionis. Placet iterum laudati *Roellii* in Dissert. de Relig. Rat. §. 110. egregie differentis verba adducere, quae ita sese habent: *unicus itaque omnis Religionis omnisque pietatis fons in DEI praestantia, potentia, beneficentia, hominisque a DEO pendens indigentia atque impotentia quaerendus est. Extrahit ex animis hominum radicibus Religionem omnem, qui DEO immortali et opem et gratiam, hoc est, id quod maxime proprium est optimae praestantissimaeque Naturae, aufert. Nam neque imperii honor atque amoris meritum sine potentia ac benevolentia, neque obsequii et amoris officium ac debitum sine indigentia atque impotentia esse aut intelligi potest.*

Quodsi jam cum *Pufendorffio* statuamus, finem Juris Naturalis tantum esse temporalem nostram felicitatem, quis tum hominem immutabili Lege Naturae ad DEI cultum obligatum esse crederet? Quis DEUM tamquam

sum-

summe bonum et summe sapientem atque summe justum coleret, ubi in hoc sublunari orbe et terreno mundo inpios jurisque naturae violatores quoad statum eorundem externum saepius longe feliciores spectamus, quam pios legisque naturae strenuos cultores? Et quaenam esset status nostri interni felicitas, si felicitas tantum *temporalis* foret, non aeterna? Aut quaenam tunc Religio nostrum immortalem tranquillaret animum? Deliri fuerunt omnes Martyres, qui Religionis causa violentam subierunt mortem, si finis Juris Naturae tantum ambitu hujus vitae temporalis includatur? Talis felicitas temporalis, ubi status futurus cum statu hominis praesenti non consentit, non est vera et constans felicitas, sed tantum adparens vel imaginaria aut saltem transitoria voluptas. Et secundum hanc *Pufendorffii* hypothefin nihil lex naturae impedit, quo minus quis cum Epicuraeis in diem vivat, cum post mortem nulla voluptas.

Equidem *Pufendorffius* ad Theologiam moralem, Christianis hominibus Revelatam, nos ablegat, ut inde pietatis officia erga DEUM addiscamus: at haec bona tantum sunt verba praetereaue nihil. Dum enim *Pufendorffius* in praefat. ad tr. de Off. Hom. et Civ. §. 8. aperte docuit, *Juris Naturalis scita ad forum duntaxat humanum adaptari, quod ultra hanc vitam sese non extendit, atque haec ipsa Juris Naturalis scita multis in partibus prave ad forum Divinum applicari*; et dum *Pufendorffius* in cit. tr. Lib. 1. Cap. 4. §. 8. praeterea addidit, *rationem humanam ignorare, quod pravitas humana DEI of-*
L 3 *fen-*

offensam aeternumque exitium mereatur; ideoque et ignorare remedium salutis per Divinam Revelationem necessarium esse: hinc non video, quomodo stante hac hypothefi DEUS justitiam suam *punitivam*, quam et *vindicativam* vocant, exercere possit, aut quo sensu haec justitia DEO *naturalis* audiat, si peccata contra DEUM et transgressiones Legum Naturalium ex scitis Juris Naturae prave ad forum Divinum adplicarentur, atque nostra ratio ignoraret, pravitatem humanam DEI offensam mereri. Et haec tamen principia *Pufendorffiana*, quod miremini, in sanctiore Juris Naturae disciplina solidioribus principiis *Wolffianis* adhuc in nostro Belgio vulgo praeferrunt solent ab iis, quos minime decebat, cum ira nostrae Reformatae Religioni parum consulatur.

Potius contra *Pufendorffium* ejusque adsecclas firmiter tenendum est, quod Theologia Christianorum moralis non novas nobis praescribat leges, sed jam statum hominis corruptum et sic transgressiones Legum Naturalium supponat, nobisque peccatoribus Legumque Naturalium transgressoribus remedium salutis pandat, quo homines peccatis contaminati, omnibus criminibus expiatis iterum in sanctissimam DEI communionem pervenire et sic summo bono perfrui possint. Noxa igitur, labes et turpitudine peccatorum quam maxime in foro Divino *ex ipsis Naturae Legibus* in censum veniunt. Perfecte enim DEO obligamur, Legibus Naturae tum in praestandis officiis erga nosmet ipsos, tum erga alios, tum erga ipsum DEUM ubique convenienter vivere. Et quoniam DEO competit dominium eminentius in omnes

nes suas. creaturas atque Sanctissimus et Justissimus est; hinc non potest, quin transgressiones Legis Naturae seu ipsa peccata puniat: quod sine jus puniendi DEO competens omnino perfectum ipsique naturale est.

At ne multis morer; ipse *Pufendorffius* cit. *praefat* §. 8. ad Theologiam Christianorum moralem nos amandavit. Jam vero in *Epistola ad Rom.* cap. I. cujus verba jam supra allegavimus, evidentissime docetur, homines, qui DEUM non glorificaverunt, nec gratos se ipsi praestiterunt ideo *inexcusabiles* esse, quoniam supremum Numen ea opera autem tunc *κατασκευασμένων*, *invisibilia sua, ex operibus conspicua*, ipsis manifestavit a creatione mundi, ut homines ex contemplatione Universi agnoscerent perfectiones Divinas gloriamque conditoris illustrarent atque ob innumera bonitatis Divinae, quae super coelos et terram est, documenta quam maxime *gratitudinem* DEO exhiberent. Nam *coeli*, ut dicitur in *Psal.* 19. vs. 2, 3. et 4. *enarrant gloriam DEI fortis et opus manuum ejus indicat expansum eorum: dies ad diem eruunt sermonem et nox ad noctem ostendit scientiam: non est sermo neque verba eis, et sine his intelligitur vox eorum.* Quenam vero esset haec VOX, quae in S. Litteris universo mundo adscribitur, nisi nobis creaturis rationalibus indicaret attributa Divina sive summas Summi Numinis perfectiones, ut ex harum agnitione permoveatur nostra voluntas ad Legem Naturae etiam in praestandis DEO officiis observandam. Sic demum *viva* erit de DEO cognitio. Quapropter et *Propheta Jesajas cap. 5. vs. 12.*

graviter exprobrat hominibus, quod rebus naturalibus non utantur, nisi ad sensus delectandos, *opus vero JEQVAE non intueantur, nec opera manuum ipsius considerent.* Vox igitur Naturæ aequæ est vox DEI sanctissimi, ac verbum DEI per Revelationem nobis manifestatum, Hinc ipsa quoque S. Scriptura in officiis DEO præstandis homines adstringit ad Jus Naturæ, ex contemplatione Universi evidentissimum, ut adeo ipsa Theologiâ Christianorum moralis *Pufendorffianam* hypothesein retundat, ne Jus Naturæ Divinum tam angustis cancellis pro arbitratu circumscribamus, quasi a nostra disciplina Religio exularet, cum potius absque Lege Naturæ Religio infirmo nitatur caelo, immo in vana hominum phantasmata abeat,

Ex quibus brevissime propositis jam facile intelligitis, quam erronea sit *Pufendorffii* hypothesis, ac si Juris Naturalis scita ad forum Divinum prave adplicarentur, Eant igitur nunc et mentis suæ angustiam deplorent, qui meam dicendi scribendique libertatem intempestivo anilis superstitionis aut nimis anxie pietatis zelo redarguunt, quod saluberrimas et nunquam satis pensitandas Naturæ Leges tantopere extollere adlaboraverim. Veniet tempus et utinam! veniret subito, quo saniores Ecclesiæ Doctores pro amplificanda Legum Naturalium Scientiâ et severiore cultura omnem, quam possunt, possunt autem plurimam, impenderint operam, ut sic salus Ecclesiæ et Reipublicæ inde multum promoveretur, et Gens nostra, quæ inter cultissimas Europæ Gentes hæret, in dies adhuc morosior evadat. Quod
DEUS

DEUS Juris Naturæ, quod enucleamus; Auctor, bene vertat! nobisque cadentem fere spiritum firmet, ne ob metum calumniatorum nostro desimus officio.

LECTIO XII.

De vera vivaque DEI cognitione hominibus comparanda.

Dari DEUM, ens absolute necessarium, ens perfectissimum, est veritas omnium veritatum facile princeps, omnis veræ virtutis, omnis non fucatae pietatis omnisque Religionis primum fundamentum; nam non dato DEO, nihil possibile foret, nullæ proinde rerum essentia, nulla veritas, nullum per consequens Jus Naturæ, nulla Philosophia et nulla ne quidem Mathesis daretur. Nec cum *Scotistis* quibusdam dicendum est, quod aeternæ veritates substitutæ forent, etiamsi nullus intellectus, ne Divinus quidem, exstaret, nam, ut Ill. *Leibnizius* in *Theod.* p. 2. §. 184. rectius scripsit, *intellectus Divinus est, qui veritatum aeternarum realitatem facit, nec ullam hic partem obinet. Ejus voluntas. Omnis realitas in aliqua re existente fundari debet. Verum quidem est, Atque esse posse Geometram; sed si DEUS nullus foret, nullum esset objectum Geometriæ, et sine DEO nihil non modo justum, sed ne possibile quidem foret.* Pie proinde laudatus *Leibnizius*

cit. loc. cum Cl. *Jacobo Thomase* monuit, *consultum non esse, penitus ultra DEUM progredi.*

Quodsi igitur Atheis Jus Naturae adscribamus, loquimur tantum in hypothese eorundem impossibili: supponimus nimirum hunc, quem videmus, rerum ordinem: supponimus hasce, quas spectamus, rerum essentias existentes et abstrahimus a causa prima, cur existunt, si-ve in qua omnes res contingenter existentes ultimam suam rationem habeant sufficientem. Non enim negat Atheus, res existere; nec negat, se habere rationem; nec negat, ordinem rerum adesse: admittit proinde *principium contradictionis*; ideoque et admittere debet Jus Naturae. Liquet hoc ex *Stoicorum* Juris Naturae et Gentium Systemate, qui, quamvis Athei essent; multa tamen egregia Juris Naturae et Gentium praecepta, unde aequissimum Jus Romanum conflatum est, inculcarunt. Liquet praeterea hoc ex *Sinensium* philosophia; qui, licet Athei sint, in moralibus tamen et politicis praeclare cluent.

Veruntamen quamvis haec vera sint, Athei tamen non gaudent aptitudine, sibi repraesentandi summas summi Numinis perfectiones; ideoque Athei motiva actionum suarum desumere nequeunt ab attributis Divinis. Quapropter et summum Juris Naturae finem, illustrandi scilicet *gloriam DEI*, minime respiciunt. Qui summas finis cum summa nobis Lex Naturae sit, adeo ut plurima inde motiva cum nostris actionibus liberis per ipsas essentiales nostras determinaciones connectantur atque per consequens fortissima et maxima inde exortur

est obligatio nostra naturalis: hinc omnino fatendum est, Atheorum Systema Juris Naturae, quaecumque etiam formetur, maxime esse incompletum multisque naevis obnoxium, cum rectitudinem actionum humanarum in omnes partes, omnibus suis finibus convenientem, minime demonstrare possint Athei; nec etiam valeant, omnia et praecipua atque fortissima motiva cum quibuscunque actionibus nostris liberis, prout par est, connectere. Unde patet, quod Athei quaecumque obligationem naturalem maximopere infringant.

At non sufficit, contra Atheos statuere, DEUM esse, nisi et cognoscamus, quis et qualis DEUS sit, ne ignoto cum Atheniensibus aram ponamus DEO atque sic verum DEUM quodammodo in idolum transformemus; nam revera qui DEUM colit, et Eum non cognoscit, is non ipsum DEUM, sed idolum veneratur. Lex autem Naturae omnibus modis rectitudinem actionum nostrarum a nobis exigit, ita ut nihil desideretur ex parte intellectus voluntariaeque nostrae; ideoque ex Lege Naturae obligamur non solum ad *rectam*, sed et ad *vivam* DEI agnitionem. Etenim motiva agendi ab attributis Divinis desumere nequimus, nisi antea perfectiones DEI cognoverimus, cum ratio, per quam intelligitur, qualia sint officia erga DEUM, in agnitione attributorum Divinorum fundetur, ut sic *recta* agnitio DEI inter ipsa officia erga DEUM merito primum occupet locum, ne falsas de DEO foveamus opiniones, quae non minus impediunt veram cognitionem officiorum erga DEUM, quam eorundem debitam praestationem; vir-

tutes quippe morales dependent semper a virtutibus intellectualibus earundemque virtutum moralium gradus differunt pro gradibus harum virtutum intellectualium.

Quotidie hoc experimur in diversis Religionibus, quantopere homines e neglecta *rectae* agnitionis DEI in quaevis absurdissima mentis phantasmata abripiantur atque saepius ex studio placendi DEO actiones Legi Naturae vehementer contrarias committant sive sub specie pietatis in summam impietatem prolabantur. Persuasum sibi esse dicere de *orthodoxia* suae Religionis, nihil profecto juvat, si Religionis causam secundum sanctissimam Naturae Legem examinemus; nam ipsi etiam Turcae, qui se quoque *Muslimos* aut *Musulmanos*, id est, *orthodoxe credentes* aut *Salvatos* putant, ideo credunt, quia ita persuasum ipsis est. Quae igitur inter nos Christianos et Turcas manet differentia, si cujusque obstinata mentis persuasio sit criterium *verae* Religionis?

Immo inter ipsos Christianos etiam Pontificii se solos *orthodoxos* existimant, nosque Protestantes tamquam intolerabiles *haereticos* damnant. E contrario nos Protestantes Pontifici Romano *Anti-Christi* notam inurimus. Inter Protestantes denique variae dantur Sectae, quarum singulae certis Religionum formulis sunt discretae, ita ut quaelibet Secta se solam *orthodoxam* esse firmiter credat. Sin igitur pertinax cujusque Religionis persuasio veram Religionem efficiat, tunc sane diversissimas habemus *veras* Religiones, cum diversi de diversis sibi pertinacissime persuadeant. Tantopere itaque mortales cum sua *ima-*
gi-

ginaria orthodoxia ineptiunt, ut tam lubrica aeternae suae salutis ponant fundamenta. Et unde haec deploranda generis humani conditio evenerit, nisi ex neglectu Juris Naturae? Ab hac autem supina negligentia ut nosmet ipsos liberemus, omnem dare operam debemus, ne in sola Religionis nostrae *persuasione* aut in meris *opinionibus* subsistamus; nam opinio tam erronea, quam vera esse potest: ergo nulla datur certitudo *veritatis*, quae ex *opinionem* creditur. Qui vero DEUM agnoscere vult, is *certus* esse debet, ea DEO convenire seu ea vera esse, quae DEO tribuit, ut inde officia sua erga DEUM cognoscat suamque inde Religionem determinet. Quapropter scientiam DEI non ex opinionibus, sed ex certis et indubitatis principiis acquirere Lege Naturae obligamur.

DEUM autem cognoscere tenemur non curiositatis gratia, ita ut in meris speculationibus aut abstrusis Metaphysicorum meditationibus adquiescamus, sed recta DEI agnitio fieri debet motivum voluntatis nostrae, ut actiones nostras liberas conformemus ad exemplar perfectionum DEI agnitarum. Non enim sufficit pro vera nostra felicitate obtinenda quaedam *historica* DEI cognitio, ut ea instructi aliquid, etiam sublimius, de DEO differere discamus. Diaboli quoque DEUM agnoscunt, sed contremiscunt; nam cum malliarum suarum conscii DEUM respiciant, ex DEI perfectionibus agnitis voluptatem capere nequeunt, sed ex desperato animorum morsu confusis DEI cognitio ipsis taedium parit lamentabile. Immo et inter Gentiles fuerunt,

sunt, qui teste Apostolo *Paulo* in *Epist ad Rom. cap. 1: 21. DEUM cognoverunt, non autem glorificaverunt DEUM, neque grati fuerunt; hinc ira DEI, ut dicitur vs. 18. palam facta est adversus eos, qui veritatem in injustitia desinent.* Scilicet haec veritas de perfectionibus DEI agnitis nobis est summa Lex Naturae, quae dirigit omnes nostras actiones liberas, ut DEUM, quem ex contemplatione universi et eorum, quae in eo sunt atque fiunt, cognoscimus, etiam glorificemus. Glorificare autem DEUM non possumus nostris actionibus liberis, nisi perfectiones DEI agnitae nobis regulae fiant agendi, ut inde nostra moveatur voluntas, ne, dum DEUM ore confitemur, factis Eum abnegemus; ideoque Lege etiam Naturae tenemur ad vivam DEI cognitionem acquirendam, cum absque *viva* hac cognitione nemo mortalium felix esse possit.

Etenim DEUS ideo per creationem universi manifestavit suas perfectiones, ut creaturae rationales inde felices redderentur; felices autem DEUS creaturas suas facere nequit, nisi ex perfruitione Summi Boni *objectivi*, quae datur per unionem *rationalem* et *moralem* cum ipso DEO, tanquam fonte omnis Veri et Boni. Alius igitur fons, unde creaturae suam felicitatem derivent, per rerum Naturam, quae creatoris perfectiones ostendit, adesse nequit, quam ut per hanc *Naturam* ducamur et permoveamur ad actiones nostras liberas perfectionibus Divinis manifestatis convenienter instituendas, et sic nostra DEI agnitio fiat *viva*, qua non solum intellectus nostri, sed et voluntatis nostrae conformatio
ori-

oriatur cum intellectu voluntateque DEI; atque ita nostris factis glorificemus DEUM secundum Legem Naturae. Ipse Apostolus *Paulus*, ni fallor, hanc *Naturalem* hominum, etiam Gentilium, obligationem ad *vivam* DEI cognitionem requisivit; ideoque vires secundum hanc Naturae Legem agendi supposuit conatas; alias defectus rectitudinis actionis hac in re ipsis *moraliter* imputari non potuisset, nisi ex abusu aut non-usu libertatis suae sceleris culpam sibi contraxissent.

Omnino igitur operae pretium erit, hanc maximi momenti materiam secundum Naturae legem curatius expendere, posthabitis aliorum praejudiciis; in re enim tanti ponderis unica veritas nobis curae cordique esse debet, ne opinione, quae incautos fallit, praevaleat et a summa Naturae Lege nos etiam in devia deflectat. Rectus quippe de DEO sensus plurimum facit ad nostram veram constantemque felicitatem acquirendam; hic autem rectus de DEO sensus non solum *veram*, sed et *vivam* DEI cognitionem postulat, ut ea, quae DEO tribuuntur, clare et distincte intelligamus atque ex agnitis DEI perfectionibus voluptatem percipiamus, quae efficit, ne nostri de DEO sermones sint sine mente soni, tamquam *aes resonans* aut *cymbalum ianuens*. Datur quippe, ut mihi quidem videtur, necessarius nexus inter *vivam* et *certam* seu *veram* DEI cognitionem; nam qui de perfectionibus Divinis non est convictus ex certis et indubitatis principiis, ejus cognitio *viva* magis opinione et sola persuasionem, quam veritate nititur; hinc facile contingit, ut amor ejus in DEUM, quamprimum emer-

emergit; statim iterum suffocetur, atque motiva agendi, quae ex perfectionibus DEI minus cognitis desumit, etiam parum sint efficacia. Unde consequitur, ut saepius vivat, quasi DEUS non esset, dum relationem, quam DEI perfectiones ad nostras actiones liberas habent, non satis perspicit, sive indivulsum Naturae nexum, qui datur inter convenientiam actionum nostrarum cum perfectionibus divinis interque veram nostram felicitatem et e contrario inter repugnantiam earundem cum iisdem DEI perfectionibus, ob ignorantiam sanctissimarum et immutabilium Naturae Legum, sibi non semper animo praesentat.

Quoniam itaque nostra facultas adpetendi et averfandi pendet a nostra facultate cognoscendi, ordo exigat, ut primo loco de *recta* DEI cognitione agamus, antequam de nostra *viva* DEI cognitione sermonem instituamus; nam gradus virtutum moralium differunt pro gradibus virtutum intellectualium. Perversa ideo est methodus, *vivam* DEI cognitionem urgere, priusquam intellectus noster *vera* et *certa* DEI cognitione imbutus fuerit. Unde facile *Fanaticismus* exoritur, qui hominem *irracionalem* reddit et a vita *Sociali* abducit; ideoque Legis Naturae negligentiosem efficit: qualis tamen *imaginaria* Religio, Legi Naturae haud consentanea, DEO placere nequit; DEO enim nihil placet, nisi quod perfectum est, quodque voluntati Ejus convenit.

Interea tamen hac *imaginaria* Religione nihil est inter homines frequentius; homo enim imbecillitatis pra-

vita-

vitatisque suae conscius fundamentum verae suae felicitatis in semet ipso non deprehendit, et nihilominus immensi boni cupidus ac insatiabili quodam perduraturae felicitatis inpetu abreptus, concitato quodam cursu ruit in Religionem, quam forsitan alii tamquam unicam viam ad veram felicitatem obtinendam ostentant; nam in tota rerum contingentium serie nihilquicquam invenimus, quod nostrum immortalem tranquillaret animum: hinc homo, nisi conscientiae suae vim inferre velit, per ipsam quasi Naturam suam impellitur ad quandam Religionem, qua cum ipso DEO reconcilietur. At, dum homo de fragilitate et pravitate sua convictus certissimam sui ruinam atque miseriam sibi confuse repraesentat, vix tantum sibi temporis sumit, ut in re maximi momenti debitam attentionem mentisque reflexionem adhibeat: quilibet fere in colendo DEO, dum animo ipsius morum depravatio obversatur, quasi ex alto deorsum dejectus in summa animi perturbatione adripit ansam, quae primum sibi delapso occurrit, qua se quadantenus tenere videtur, ne citius in ima cadat.

Sic homo, qui pius esse vult, non satis mentis suae facultatibus utitur, sed in varios circa pietatem errores prolabitur, dum homo ex aliorum similitudine vivit et sic ex cognitione obscura sese determinat, ut eam, qua quisque ab incunabilis imbutus est, Religionem optimam esse obfirmata mente credat; frequenter autem ex motivis obscuris ad eosdem pietatis actus se determinando, habitum quendam acquirit; unde nascitur insignis proclivitas ad eandem Religionem eandemque Reli-

M

gio-

gionis Sectam, in qua est educatus, quae tanto difficultus ex animo iterum extirpari potest, quanto magis sibi persuadet, aeternam ex ipsa salutem dependere, et fatis esse pertinaciter credere, quoniam ipsi ita persuasum est.

Ex hisce vero abunde liquet, quam periculosum sit, ex obscura solummodo cognitione Religionem sectari et praeconceptis infantiae opinionibus inhaerere, ut revera, qui credunt, quoniam ita persuasum ipsis est, pecudum instar non qua eundum est, sed, qua itur, eant; opinio enim, quamvis pertinacissima, aequae falsae, quam vera esse potest.

Theologis proinde, qui alios ad veram certamque DEI cognitionem perducere, iisque solidam inde pietatem inculcare debent, immo omnibus, qui ultra vulgus sapere cupiunt, *persuasio* veritatis minime sufficit, sed omnem dare operam debent, ut de veritatibus quoad colendum DEUM plenissime sint *convicti* atque *certissimam* habeant DEI cognitionem, ut *την φανερωσιν της αληθειας προς πασαν συνειδησιν ανθρωπων* demonstrare aliosque erroris convincere possint. Hoc autem fieri et firmissima certitudo obtineri nequit, nisi cum Theologia Revelata amplissimam et solidissimam Juris Naturae Scientiam jungamus. Equidem in hebetioribus quodammodo toleranda est *persuasio* veritatis, quatenus ex solidioribus certissimisque principiis, quae non perspicunt, convinci nequeunt: at in iis, qui Scientiam in DEO colendo profitentur, minime condonanda est ignorantia Juris Naturae; pietas enim, quam fervida etiam sit, defectum

Etum Scientiae Legis Naturae non supplet, sed saltem appetitum nostrum fortius stimulat voluntatemque proinde nostram magis movet ad ipsam Legum Naturalium observationem, dum pietas tantum firmiora nobis motiva praebet ad actiones Legi Naturae conformandas.

Pietas igitur, si recta ratione nitatur, omnino cognitionem Legum Naturalium supponit, cum pietas sui cultores ad vitam beatam et per consequens ad virtutis studium ducat; virtus vero in habitu consistat, actiones suas Legi Naturae conformandi. Pietas autem virtutis studio novae incitamenta addit, ex attributis Divinis per creationem universi cognitis, et, si *Cbristiana* audiat, ab opere Redemptionis nobis revelato simul desumpta, ut sic pietas omnes complectatur virtutes easque ad sublimiores evehat gradus. Et hoc sensu etiam cum Apostolo *Paulo* in Epist. 1. ad *Timoth.* cap. 4. vs. 3. dicere possumus, quod *pietas ad omnia utilis sit*; non datur quippe utilitas, quae *vera* et non imaginaria aut adparens tantum est, nisi per custodiam Legis Naturae, quae virtutis studium secum trahit. Pietas proinde ad Legum Naturalium scientiam sedulo adquirendam nos impellit. Et si hoc non faceret, ad quidnam tunc pietas utilis foret? *DEI* profecto nihil interest, num ab hominibus agnoscat et colatur, cum inde perfectior fieri nequeat, qui sibi est sufficientissimus: at hominis plurimum interest, ut *DEUM* recte agnoscat et inde motiva agendi desumat; ideoque ejus cognitio *DEI* fiat *viva*, cum absque hac nemo mortalium felix esse possit. Progressum itaque Scientiae Legum Naturalium sufflaminare et

tamen pietatem amplificare velle, hominum est, quorum mentes aut millena praejudicia obnubilant, ut non perspiciant amplitudinem et sanctitatem Divini Juris Naturae, aut alias nescio, quo spiritu ducuntur.

Ne vero pietatem nostram ex pertinacissima quadam persuasione defendamus, nec aliorum coeco pietatis impetu ad agendum abripiamur aut a non-agendo retrahamur, omnino nobis expediet, ut Legem Naturae semper ob oculos habeamus, quae urget, ne ullus defectus actionum nostrarum in colendo DEO vincibilis vel ex parte intellectus vel ex parte voluntatis adsit, ideoque ut nostra de DEO cognitio non solum sit *recta*, sed et *viva*. Et per consequens non ex aliorum opinionibus, aut ex compendio quodam a Theologis vel Philosophis conscripto, sed ex diligentiore contemplatione Universi et eorum, quae in eo nobis incolis ab ejus Conditore, Conservatore et Governatore Divino manifestata sunt, in agnitione DEI T. O. M. sapere debemus. Hoc enim Universum, hic elegantissimus rerum omnium ordo, est *Corpus Juris Naturalis*, quod non ex vagis hominum opinionibus est conflatum, sed secundum distinctissimas perfectissimi intellectus Divini ideas concinne est compositum. Hoc igitur *Corpus Juris aeternae Rationis* nobis pandit sanctissimam Divini Legislatoris voluntatem. Et hoc *Corpus Juris Divini* nobis sistit speculum summarum Summi Numinis perfectionum. Absit igitur a nobis, ut hoc *Corpus Juris Sanctissimi* ex inconditis Gentilium Philosophorum hypothesebus *fatalis necessitatis* aut ex eorundem principiis

piis emanationis compilemus. Absit quoque a nobis, ut hoc *Corpus Juris Amplissimi*, quod per totum terrarum orbem, immo per Universi ordinem, inter omnes creaturas rationales se diffundit, ex quorundam mentis angustia ad forum duntaxat humanum restringamus, nec illius scita ad forum adplicemus Divinum; tunc enim speculum Divinarum perfectionum inde minime conspiceretur. Absit praeterea a nobis, ut ea, quae Universi Gubernator nobis terrae incolis ad nostram aeternam salutem, per transgressiones Legum Naturalium amissam, in SALVATORE generis humani recuperandam, divinitus revelavit, ullius hominis, quantavis etiam sanctitate praediti, arbitrio subjiciamus. Absit denique a nobis, ut hujus Divinae Revelationis sancita unquam Naturae Legibus contraria esse statuamus aut statum Gratiae statui hominum Naturali, qualem ipsa Divina Lex Naturae exigit, sibi invicem opponamus, aut *facta* in discernendo statu hominum *moralis* cum ipsis *juribus* confundamus, ne in disciplina nostra ima misceamus supremis.

Forſan autem vobis incongruum videbitur, me contemplationi Universi, unde Leges Naturae demonſtrentur, adjunxiſſe *Revelationem*. At, obſecro, nonne Revelatio pertinet ad ea, quae in hoc Univerſo facta ſunt, et nonne haec Revelatio eundem Auctorem habet, quem Univerſi contemplatio indicat? Quodſi igitur Revelatio circa actiones noſtras liberſas committendas aut omittendas diſponit, num, quaefo, tunc alia inde obligatio noſtra naſcitur, quam *Naturalis*? Revelatio eſt optima et authentica interpretatio Legum Naturalium

et omnibus humanis scriptoribus praeferenda: si autem hisce pro illustrando et pensitando Jure Naturae recte uti licet, immo pro exornanda nostra disciplina, consentientibus omnibus Litteratoribus, prudenter uti debemus, multo sane magis Sacrae Scripturae, utpote quae infallibilem habet Auctorem, auxilio uti, nobis saltem Christianis hominibus bene conveniet. Quae proinde de DEO ex contemplatione vel Universi vel eorum, quae in eo facta sunt, ad quae omnino Revelatio referri debet, a nobis mediante ratione cognosci possunt, ad ea cognoscenda saltem omnes, ad quorum notitia haec pervenit, *naturaliter* obligamur. DEUS optime novit nostri intellectus imbecillitates nostraeque voluntatis infirmitates; hinc tam multas Juris Naturae emendationes contra varias hominum corruptelas Revelationi addidit, ut Sanctissimum illud Jus contra praefracta mortalium praejudicia pristino suo nitore restitueretur; immo etiam originem universi non solum, sed et summas suas perfectiones Divinas nobis inde clarius manifestavit, ut a profanorum hominum erroribus, quibus Gentilium philosophi contaminati erant, liberemur. Quidni igitur nos in recta DEI cognitione ab hoc Divino instituto proficiamus? Ita vero hac in re institutam demonstrationes, ut nihil adferam, nisi quod ex sola Ratione, licet Divino jam per Revelationem adjuncta auxilio, sponte fluit, cetera autem, quae ex sola Revelatione cognoscuntur, tamquam a nostra disciplina remota, Theologorum industriae relinquam.

LECTIO XIII.

Continuatio materiae de vera vivaque
DEI cognitione.

Mundus universus et quicquid in eo existit, quia *contingenter* existit, ideo est speculum existentiae DEI *necessariae*. Quemadmodum vero ex contingente existentia mundi agnoscitur existentia DEI necessaria, ita ex ceteris, quae rebus existentibus in se spectatis, vel ad se invicem relatis insunt, colliguntur ea, quae DEO conveniunt; et sic quoad cetera mundus universus cum iis, quae in eo facta sunt; est speculum attributorum Divinorum, praesertim bonitatis, sapientiae, justitiae et omnipotentiae DEI. Sic *coeli*, ut ait *Psaltes* Ps. 19. *enarrant gloriam DEI foris et opus manuum Ejus indicat expansum eorum: dies ad diem eructat sermonem et nox ad noctem ostendit scientiam. Non est sermo neque verba eis et sine his intelligitur vox eorum.* Haec vox *Naturae* singulis diebus et quovis diei momento severe clamitat, colendum esse DEUM. *Quid enim, ex nobis quaerit, habetis, quod non accepistis? Si autem accepistis, quid gloriamini, quasi non acceperitis?* Universus mundus et quicquid in eo boni existit a DEO est, existitque vi voluntatis Divinae: omnis veritas integrumque Jus Naturae, immo et omnes rerum essentiae in Divino radicantur intellectu, qui omnium *realitatum*, ut ita cum *Philosophis* loquar, fons est: nostrae mentis facultas co-
M 4 gno-

gnoscendi *verum* a DEO est, nostramque facultatem adpetendi *bonum* idemtidem a DEO accepimus. Quid igitur est, cur gloriatur homo de suis animae facultatibus? DEUS, *qui fecit mundum et omnia, quae in eo sunt, non longe abest ab unoquoque nostrum, per Ipsum enim vivimus et movemur et sumus.* Ipse DEUS nos in hoc universi ordine constituit talemque nobis personam et locum assignavit, qui pro singularibus rebus circumstantibus optime nobis et universo convenit, et tantundem boni in nos contulit, quo si recte fruimur, inde certo felices evademus. Insevit Naturae nostrae *animali* instinctum quendum, quo ferimur ad nostri conservationem; indidit Naturae nostrae *rationali et sociali*, summi boni cupidae, insatiabile felicitatis acquirendae desiderium, ut Natura impellamur ad indefessum perfectionis promovendae studium. Absque DEO autem quid sumus? Εξ αὐτοῦ καὶ δι' αὐτοῦ, καὶ εἰς αὐτὸν τὰ πάντα. Ad DEUM itaque, tamquam omnis boni datorem omnia referre debemus. Quamobrem contemplerur universum et omnia, quae in eo sunt, praesertim vero nosmet ipsos, unde summam bonitatem, maximam sapientiam et immensam potentiam ceterasque DEI perfectiones cognoscamus, ne, dum palpamus DEUM, eum inepte quaerendo, iterum amittamus; DEUS autem prope illos est, qui recte quaerunt eum; est enim remunerator quaerentibus Eum. Et adpropinquantibus DEO, adpropinquet Ipse.

Quaerere vero DEUM debemus non perfunctorie, sed ita, ut hanc momentosam existentiae Divinae veri-

ritatem etiam contra *Atheos*, DEIque providentiam contra *Deistas*, et imperii Divini indolem secundum immutabiles Naturae Leges atque indivulsum nexum infelicitatis nostrae ex earundem violatione necessario consecuturæ, ideoque Revelationis præstantiam contra *Naturalistas* rite demonstrare valeamus, nec haeretificum more contra hosce profanos homines nostrum pietatis zelum solis vociferationibus ostendamus, atque ita ex mentis nostrae angustia ipsam Sanctissimam Religionem adhuc magis in ludibrium vertamus; vivimus enim jam nostro aevo felicitiora illa tempora, ut ex Cleri auctoritate, quae nulla est, nihil amplius, sed ex sola veritatis demonstratione omnia credant alii, qui modo paululum ultra vulgus et rudem plebeculam sapiunt. Quapropter Theologorum partes erunt, ut jamjam solidiora studia adquirant, nec scientiam Legum Naturalium in contentum adducant, ut scilicet, si Diis placuerit, inde Religionis Christianae dignitatem contra *Naturalistas*, quos putant, tueantur. Vobis autem Philosophandum est altius, si nostris praesertim temporibus, ubi Libertas sentiendi dicendique regnat, aliquando boni et prudentes Theologi esse vultis.

Probe igitur observandum est, DEUM existere, non recte concludi ex eo, quia mundus existit; nam nemo *Atheorum* negavit unquam, quod mundus existat: ergo, quia mundus existit, perperam contra Atheos demonstrabimus, etiam ideo DEUM existere. Nec etiam juvabit, existentiam DEI Atheis inculcare ex eo, quia datur ordo in hoc Universo. Equidem multi ita argu-

M 5

men-

mentari solent: datur ordo univ^{er}si; ergo datur ordi-
nans, et per consequens datur DEUS, qui hasce res
existentes in hunc, quem spectamus, ordinem redegit.
Verumtamen *Stoici* etiam ordinem univ^{er}si, et quod
singula ad perfectionem totius referri debeant, firmiter
defenderunt, sed ideo tamen DEUM tamquam ens a
mundo diversum non agnoverunt. Scilicet ipsis Atheis
ordo univ^{er}si est *fatalis necessitatis*; ideoque contra
Atheos demonstrandum est, quod ordo in hoc mundo
univ^{er}so sit *contingens*. Contingentia igitur hujus uni-
v^{er}si est optimum et, paene dixerim, unicum argumen-
tum pro existentia DEI necessaria in disciplina Juris
Naturae adhibendum. Quod tanto magis commendand-
um mihi videtur, quoniam ipse Apostolus *Paulus* in
Epist. ad *Rom.* cap. i. vs. 20. eodem hoc argumento
ad convincendos Gentilium Philosophos, qui in Re-
publica Romana vixerunt, quorum plerique *Stoici* et
proinde Athei erant, usus fuit, dum invisibilia DEI ex
creatione mundi illis a DEO per opera ipsius manife-
stata esse dixit, ut intelligatur inde *aeterna Ejus poten-
tia ac divinitas*; ideoque *a creatione* sive *contingentia*
mundi argumentum duxit vir Θεοπνευστος ad *aeternam*
DEI *potentiam ac divinitatem* sive ad existentiam en-
tis *necessariam*. Sua igitur sentiendi libertate abutun-
tur, qui huic argumento ex dissentiendi pruritu vim tri-
buere recusant.

Non equidem ideo aliud argumentum *a priori*, quod
dicitur, pro existentia DEI necessaria demonstranda re-
jicere velim. Hoc subtilius argumentum desumitur a possi-
bi-

bilitate perfectionis summae ad realitatem seu existentiam entis perfectissimi, sive ab inseparabilitate *existentiae* necessariae a perfectione summa, ita ut DEUS ideo existat, quia possibilis est. Hoc est solius Divinitatis privilegium, ut ita loquar, quod existat, quia possibilis est. *Cartesius*, ut nostis, hoc argumentum *a priori ex ideis de DEO innatis* repetiit, sed Ill. *Leibnitius* illud postea ad majorem certitudinem reduxit, concludendo a possibilitate entis perfectissimi ad ejus realitatem seu existentiam. At cum hoc argumentum ad sublimiorem *Metaphysicam* spectet, nolim inde vestram in evidentiori *Jure Naturae* cognoscendo defatigare attentionem. *Jure enim Naturae* determinamur, tamquam incolae *universi in unum Systema* cum ceteris relati; ideoque obligamur, rerum omnium existentium *Naturam*, quantum in nostra potestate est, perscrutari atque inquirere: utrum mundus *Universus* a se sit, vel an contingenter existat; ut demonstrata hujus mundi et nostri *contingentia*, inde eruamus existentiam entis necessarij et a se existentis, in quo ratio prima seu sufficiens *universi mundi contingenter existentis* datur.

Et quoniam dixi, perperam ex eo, quod mundus existit, concludi, etiam DEUM existere, nisi demonstraverimus, hunc mundum *contingenter* existere; sic quoque ex eo, quod mundus contingenter existit, non sequitur, DEUM esse sapientem et bonum, nisi simul *ordinem universi* pensitemus, in quo unum est propter alterum seu unum infervit alteri, ita ut nihil sit absque ratione sufficiente, sed *universus mundus plenus sit finibus*

bus a sapientissimo creatore intentis atque perpetua subordinatio detur finium et mediorum, quae media iterum fiunt fines et proinde Leges Naturae, tenduntque omnes per elegantissimam harmoniam demum ad finem universi ultimum, quem si agendo adsequimur, quantum in nostra potestate fuerit, certo certius *gloriam* DEI T. O. M. nostris actionibus liberis pie illustrabimus, et in hac convenientia actionumstrarum cum finibus a DEO intentis sive in conformatione intellectus voluntatisque nostrae cum intellectu voluntateque Divina veram obtinebimus felicitatem atque laetitia et voluptate perfruemur, omnem ingenii humani captum longe superante et in aeternum duratura.

Sic *ordo universi*, sic nexus finium et mediorum, sic harmonia rerum physicarum et moralium, sic Lex Naturae est scala, qua mens nostra immortalis ascendant in DEUM, ut perfruitione Summi Boni gaudeamus. Non autem cursim, sed lento et compresso gradu procedendum est ad hanc veritatum sublimitatem, ut ex profundiore contemplatione universi et eorum, quae in eo sunt, fiunt atque facta sunt, attributa Divina nobis magis magisque innotescant, et haec demum fortissima actionumstrarum liberarum motiva fiant, quibus promptissimi reddimur ad obedientiam DEO praestandam secundum sanctissimam Naturae legem, qua alacriter progrediamur de veritatibus jam cognitis ad veritates ulterius absque ullis hominum praejudiciis, seposito vano metu, libere investigandas atque de virtutibus jam acquisitis ad virtutes adhuc acquirendas.

Si-

Sicuti autem ex artificiosa operis, alicujus arte compositi, structura cognoscitur intellectus artificis; ita etiam ex admiranda structura mundi omniumque eorum, quae in eo existunt, conspicitur intellectus Divinus. Artifex enim fecit opus secundum ideas, quas animo concepit; non minus autem ideae rerum omnium in Divino existunt intellectu. Ex essentiis igitur rerum in hoc universo existentibus cognoscitur a creaturis, ratione praeditis et sua ratione, prout par est, utentibus, qualis sit intellectus summi artificis totius mundi. Non frustra autem universi conditor tantam rerum compagem produxit, sed voluit inde perfectiones suas Divinas creaturis rationalibus fulgentissime manifestare, saltem in quantum sufficiebat, promovendae earundem verae felicitati, quae aliter obtineri non poterat, nisi ex vera et viva DEI cognitione. Quapropter nostra propria felicitas nos impellit, voluntasque DEI, ex finibus quarumvis rerum in hoc universo existentium conspicua, jubet, et Lex proinde Naturae praecipit, ut perpendamus opera DEI et inquiremus in structuram universi mundi et corporum in eo existentium rerumque omnium naturalium, praesertim vero in nosmet ipsos, tamquam partes universi et in actiones nostras naturales, ne nostris actionibus liberis mundum, opus DEI, vilipendamus, nec corpus nostrum aut animae nostrae facultates, quae rebus naturalibus accensendae sunt, ad alios usus aliosque in fines adhibeamus, quam quos universi Conditor nostrique benignissimus Gubernator, qui nostram inde intendit felicitatem, sapientissime iisdem assignavit, neque unquam corpus nostrum, tamquam instrumentum peccati, deturpe-

pernis, atque sic opus DEI foede deformemus, sed ut membra nostra praebeamus, serva iustitiae universali ad sanctiorem vitam secundum Naturae Legem.

Mundus universus est quasi theatrum summarum perfectionum Divinarum, in nostri aliarumque creaturarum rationalium utilitatem veramque felicitatem conditum. Nos itaque omnes quasi spectatores sumus, et creaturae ceterae, nulla ratione praeditae, sunt totidem quasi pantomimi, qui tacite enarrant *gloriam* DEI et indicant ea, quae de Univerſi Artifice cognoscenda sunt. Ne igitur otiosi simus spectatores, ex iis attributa Divina addiscere debemus, ut inde summa mundi Opificis et Gubernatoris perfectione delectemur atque ex *vera* et *viva* DEI cognitione felices evadamus. Sic non solum nudi spectatores, sed bellè etiam actores erimus in hoc mundi theatro, qui personam, quam DEUS singulis nostrum inposuit, pro statione vitae pulchre sustinemus. Hoc ut rite fiat, nos sedulam navare operam oportet *Historiae Naturali, Astronomiae* atque *Physicae*.

Etenim ex *Historia Naturali* percipimus innumeram rerum naturalium multitudinem admirandamque earundem varietatem, simulque cognoscimus inde, quae singulis rebus naturalibus conveniunt, quaeque ab ipsis proficiuntur, aut quae iisdem accidere possunt. Cuiusque autem rei suos peculiare fines adaptatos esse invenimus, qui ipsis Leges agendi constituunt. Pertinet huc quoque *Anatomia*, praesertim cadaveris humani, ut hancce artificiosissimam machinam hydraulico-pneumaticam

caam

eam perspiciamus et quasvis corporis singulorumque ejusdem membrorum atque quarumlibet etiam partium solidarum et fluidarum functiones, usus atque fines paulo curatius persquiramus. Et quod ad *Astronomiam* attinet, nemo est, qui nescit, quantum haec ad veram Systematis mundi notitiam conferat. Ex *Physica* autem rationes reddere addiscimus eorum, quae in rerum natura contingunt per ipsas rerum naturalium essentias; ordinemque et leges, agendique vires et effectus naturae, immo rerum naturalium origines et causas, usus et fines, et quid non? ex utilissima hujus partis Philosophiae disciplina adprehendimus. Quantam autem haec profundior rerum naturalium contemplatio etiam solidiorem Divini Numinis cognitionem, laudem et admirationem promoveat, quivis facile pervidebit, nisi sit profus *αφιλοσοφος*. Nec dubito, quin huc etiam Medicorum solertia in *physiologia* excolenda referri debeat.

Hunc *Naturae Librum* si attento animo pervolverimus, fieri non potest, quin inde de immensa DEI potentiae magnitudine, de inscrutabili sapientiae DEI profunditate, de ineffabili bonitatis Divinae ubertate et de incomprehensibili omniscientiae DEI infinitate convincamur plenissime.

Praeterea si pensaverimus, animas nostras non minus, quam corpora, esse *opus* DEI, et si porro stupendam illam animae cum corpore conjunctionem, qua Natura colligatur *humana*, illiusque mirabilem concentum paulo perpenderit attentius, atque consideraverimus, actiones nostras externas contineri in serie causa-

farum inter se connexarum, easque dependere a volitionibus nolitionibusque animae, quae autem ulterius ab actibus facultatum cognoscendi pendulae fiunt: tum nescio, an quisquam mortalium ingenio adeo stupido et animo tam temerario tamque inpio esse queat, qui ex hoc miraculo Naturae, ex hoc, inquam, stupendo mentis ac corporis connubio ipsum DEUM T. O. M. non adspiciat sibi que inde non persuadeat, Eum, qui hanc concordiae Legem aeternumque mentis corporisque foedus Naturae *Humanæ* inposuit, aequè nosse hominum cogitationes earundemque seriem, ac rerum ceterarum omnium, in hoc universo existentium, nexum?

Et cum denique omnes res in hoc universo existentes ex finibus a DEO intentis circumvolvantur; inde providentia Divina conspicua est, ut nihil casu eveniat, sed omnia sapientissime decreta sint et dirigantur ad optimos suos fines. Divinam ergo merito veneramur providentiam, qua etiam mala ad salutares gubernantur fines.

At vero non solum mundum hunc *materialem* sed et *sensibilem* atque *rationalem* contemplari debemus, ut inde DEUM rectius cognoscere discamus. Ideoque et studium *Metaphysices* atque *Logices* excolere debemus. Immo ut providentiam Divinam quoad eventus in hoc mundo contingentes attentius perspiciamus, etiam *Historiarum*, non solum *Civilium* sive *politicarum*, sed et quammaxime *Ecclesiasticarum*, et porro etiam *Historiarum Philosophiæ et Litteraturæ* studio operam dare nos oportet, ut integram seriem eorum, quæ

in

in hoc mundo fiunt ac facta sunt, contemlemur et inde nobis persuadeamus, quatin provide DEUS omnes eventus in bonos dirigat finis.

Quodsi jam *Historiam* lapsus primorum nostrorum parentum, nec non subsecuti operis Divini de *Redemptione* generis humani, per Revelationem nobis manifestati; pia merite pensitemus, tanta ubique in contemplatione universi et eorum, quae in eo facta sunt, deprehendimus bonitatis et providentiae Divinae vestigia, ut nihil omnino sit, quod non enarret *gloriam* DEI
T. O. M.

Contemplatio itaque universi et eorum, quae in eo sunt, fiunt, atque facta sunt, omnino inter maxima erga DEUM officia pertinet; ut adeo studia *Historiae Naturalis, Astronomiae, Physices, Anatomiae, Physiologiae*, immo et *Metaphysices ac Logices*, nec non *Historiarum et Litteraturae propter* DEUM et *in honorem* DEI excolete Lege Naturae teneamus; ideoque haec studia inter officia non tantum, quae *erga se ipsum* aut *etiam erga alios* dicuntur, sed et quae *erga* DEUM sunt, merito referri debeant. Hisce vero omnibus perquirendis diversae iterum diversarum Nationum *Linguae* inserviunt, ut adeo et harum cognitio ad universi contemplationem multum faciat. Temerarium proinde est, haec studia vili contemtu despiciere;

LECTIO XIV.

Continuatio materiae *de vera vivaque*
DEI *cognitione.*

Duabus praecedentibus Lectionibus de *vera* DEI cognitione ex contemplatione universi et eorum, quae in eo sunt, fiunt atque facta sunt, nobis secundum Naturae Legem comparanda paulo quidem prolixius, sed tamen pro dignitate materiae nimis adhuc succincte egi. At vero, quid juvat, in hisce omnibus solide doctum et oppido etudium esse, nisi *vera* nostra de DEO cognitio etiam *viva* sit? Ob hanc causam praecipue etiam *Revelatio* Divina nobis data est: ex hoc Opere Redemptionis manifestato efficaciora adhuc conspiciuntur ad virtutem omnem incitamenta: DEI quoque perfectiones inde magis illustrantur: et per consequens fortissima ex hoc *Opere Redemptionis Divino* motiva desumuntur, glorificandi DEUM. Creatio et lapsus primorum nostrorum parentum, nec non subsequutum Redemptionis opus omnino ad *Historiam* Juris Naturae pertinent, quatenus in *factis Divinis*, et *Humanis* consistunt. Inde autem multae mutationes in hoc rerum ordine evenerunt et quotidie adhuc eveniunt, quae statum nostrum aut perfectiorem aut imperfectiorem reddunt, quaeque proinde ad nos statumque nostrum, tam internum, quam externum, maximam habent relationem. Multa bona jam in hoc universo existunt, quae non evenissent, si ma-

si ma-

si mala non adfuissent. DEUS haec mala ad optimos dirigit fines, ut homo lapsus et a Creatore suo fugitivus erro ex vita devia retrahatur per verbum DEI ipsi Revelatum, Voci Naturae suaviter consonum.

Homo in hoc universi ordine constitutus, ut veram suam felicitatem quaerat, non facis sollicitam sui curam gerit. Etenim homo, creatura illa rationalis, stimulis suis naturalibus, qui, ut GROTIUS de J. B. et P. L. I. C. 2. §. 1. ait, *commendant nos rectae rationi, ut ipsa recta ratio carior nobis esse debeat*, hisce primis Naturae vehementer abutitur, ut non Rationem, sed solummodo appetitum sensitivum sequatur, quo a recta ratione ubique quam longissime aberrat. Quid igitur homo distat a brutis? Incolae quidem universi sumus, sed et bruta inter homines per hunc, quem spectamus, terrarum orbem undique circumvagantur. Res naturales extra nos existentes per universi ordinem et per hanc, cui innexi sumus, rerum seriem nobis repraesentantur: lumen solis splendore suo perstringit oculos: latrantem stomachum lenit usus cibi potusque: in foemineos amplexus ruimur, ut progeniem nostram propagemus: sentimus vim quandam in nobis, qua impellimur ad omnia, quibus terremur, vitae aut mutilationis membrorum pericula a nobis arcenda. At in hisce omnibus bruta ipsos homines antecellere videmus. Quid itaque est, cur homo glorietur, quod brutis longe praecellentior sit hujus universi incola? Sane ni usu Rationis ostendat homo, se fines quarumque rerum perspicere mediorumque cum finibus subordinationem meditari atque suas actiones his-

ce finibus, tamquam Naturae Legibus, cum ratione attemperare, id est, se suae *humanae* Naturae convenienter vivere; tum, inquam, nisi hoc ostendat homo, ipsis brutis vilior videretur creatura. Interea autem, quid, quaeso, agit homo in hoc amplissimo mundi theatro? Terrena magis curat, quam quae ad mentis immortalis perfectionem requiruntur: momentanea praefert aeternis: in iis, in quibus proprium mentis iudicium sequatur, alterius arbitrio et phantasiae se barde submitit et ubique fere est alterius quasi glebae adscriptus: non ad Rationem componitur homo, sed ad similitudinem, simii instar, qui aliorum nugivendulas imitatur praestigias; voluptatibus indulget, ut se ipsum perdat: ambitioni suae obtemperat, ut laureolam in mustaceis quaerat: avaritiae fordidibus inhaeret, ut incommodam et injucundam transfigat vitam sibi que taedium creet. In civitatem equidem transit homo, ut tranquille, commode ac jucunde viveret, sed perversa ubique media eligit, quae ad hunc optimum finem minime conducunt; aliorum quippe fortunae lividus est hostis, sui que autem infortunii stolidissimus faber; famam alterius quavis occasione conviciis profcindit, nec tamen se ipsum ullo honore dignum reddit. DEUM denique colit homo non ex intima animi *πληροφορία* seu plena adfensione, sed ex consuetudine, ex vitae suae genere, ex constitutis humanis, ex contentione demum cum aliis hominibus, sui aequalibus, ut Religionis Sectarius videatur ac zelum suum factum, quo flagrat, haereticandi alios sub praetextu pietatis ostendere possit: sic autem, dum homo DEUM colendo revera suis et aliorum adfectibus obtemperat, infelicis sui

ob-

obsequii aeternas luit poenas: sic homo, dum felicitatem suam quaerat, se maxime infelicem reddit, et ubique imaginariam voluptatem pro vera felicitate, ideoque, ut est in Poëtarum fabulis, nubem pro Junone amplectitur.

Ut igitur homo, qui Libertate sua tantopere abutitur eamque in Licentiam, violando Legem Naturae, convertit, iterum in rectum reducatur tramitem, DEUS summe bonus, qui nostram veram intendit felicitatem, cum Legum Naturalium transgressionibus non obtinendam, misit ad mortalium progeniem, in hoc terrarum orbe adeo delirantem, Legatum Sanctissimum, Filium suum unicum, immutabilis Naturae Legis Voluntatisque Divinae optimum interpretem, ut nobis, in Civitate Divina rebellionum reis, *amnestiam* promulgaret, nosque immorigeros filios reduceret ad Patrem suum et nostrum coelestem, poenas nostris criminibus demeritas subeundo mundumque a scelerum colluvie sanguinis sui piacularibus lustrando nec non per obedientiam Legi Naturae loco peccatorum praestitam nostrae salutis sufficientiam acquirendo, dummodo ineptiarum nostrarum poenitentia ducti hoc grande coeli depositum et beneficium divinitus nobis oblatum sincera fide amplectimur atque ad meliores mentes in custodienda Lege Naturae redimus.

Haec omnia, quae dixi, ad profundiorum Universi et eorum, quae in eo sunt, sunt atque facta sunt, contemplationem pertinent, ut inde conspiciamus summas

summi Numinis perfectiones atque ad *vivam* DEI cognitionem perveniamus, quae nostram movet voluntatem, ut perfecti reddamur, quemadmodum pater noster coelestis perfectus est. Equidem non nescius sum, Lapsum primorum nostrorum parentum et subsecutum Redemptionis opus proprie ad ipsum Jus Naturae referri non posse; sunt enim *facta*, Humana et Divina; *facta* autem non pertinent ad *Jus*; verum *facta* tamen *Historiam Juris* formant. Vitam hominis anteaetam nosse, multum prodest ad *historiam* morbi, quo laborat, pervestigandam; remedium recuperandi salutem, quod Medicus aegroti offert; non quidem ex ipsa hominis Natura immediate fluit, sed tamen aegroti incumbit obligatio hominis *connata*; se conservandi statumque suum perficiendi et ex hac obligatione naturali *primitiva* etiam altera, quae aegroti inhaeret, derivatur obligatio aequae naturalis et inde quoque Jus acquirit naturale, utendi remedio recuperandae amissae salutis oblato. Quare itaque non eodem modo etiam ratiocinari liceret quoad statum hominis *moraliter* morbidum; prout enim in *Physicis* datur rerum nexus, sic in mundo *rationali* etiam posito uno absurdo sequuntur plura, et idemdem in mundo *moraliter* perpetratum unum vitium post se trahit plura. Homo autem *moraliter* morbidus se ipsum sanare non potuisset, si remedium amissam recuperandi salutem divinitus haud oblatum fuisset, sed etiam homo *physice* aegrotus ex gravi morbo convalescere nequit absque Medici auxilio. An igitur ob deficientes proprias vires, se sanandi, et ob ignorantiam remedii contra ingravescentem, quo conficitur, morbum obligatio

gatio cesset *Naturalis*, peritioris Medici auxilium implorandi? Quodsi itaque id intuitu morbi *physici* obtineat; multo sane magis quoad statum nostrum *moraliter* morbidum nobis incumbit obligatio et quidem *Naturalis*, nostram amissam recuperandi sanitatem per remedium certissimum, quod ipse DEUS, nulli errori obnoxius, nobis exhibuit suaque veracitate firmavit.

Per hanc proinde Divinam Revelationem remedii aeternae salutis nunc perfectiones DEI summae, ut dixi, multo evidentius cognoscuntur et ubique nobis inculcantur tamquam fortissima agendi motiva, quibus permoveatur voluntas, ut nostra vera de DEO cognitio reddatur *viva*. An vero putemus, DEUM verbo suo ita locutum esse, ut, DEUM esse, qui loquitur, nullis certis et indubitatis rationibus internosci queat? Vel num verosimile videatur, DEUM, Naturae Auctorem, quando eudire hominem de placitis suis eundemque permoveere ad fidem, amorem et obsequium velit, non adhibuisse methodum, ipsi *Naturae humanae* consentaneam? *Natura* eo, quo in nostra disciplina sumitur, sensu nunquam *Gratiae* est contraria, sed *ipsa Natura* nos ducit ad *Gratiam* divinitus oblatam. Quid aliud, quaeso, esset, de quo *Paulus*, Vir Θεοπνευστος loquitur, Epist. 2. ad Cor. 4: 2. manifestare veritatem προς παντα σφαιδισιν ανθρωπων, ad omnem conscientiam hominum, nisi quilibet per conscientiam suam de veritate convinci, posset, ut inde duceretur ad *vivam* veritatis salutiferam cognitionem? Homo enim a Natura sua deflexus conscientiam perpetrati mali ut perpetuam sui comitem habet;

bet; novit praeterea, violatis Naturae Legibus, cum Naturae Auctore disruptum esse conjunctionis vinculum, qua unione *moralis* inter creatorem et creaturam *rationalem* sublata, hujus vera felicitas, quae in persequitione Summi Boni seu ipsius DEI consistit, etiam tollitur. Post datam vero Revelationem Divinam remedium invenit, quo summa rerum perturbatio, quae ex peccatis nostris ordinem Naturae deformat, iterum emendatur et gloria creatoris quoad permissionem mali moralis in hoc mundo obvii fulgentissime illustretur,

Plaquet mihi vestra cum venia hanc in rem venerabilis *Aug. Fred. Wilh. Sackii* verba, licet paulo prolixiora, allegare vobisque praelégere; is vero *Religionis seu fidei Christianae Defensionem* Germanico idiomate composuit eamque typis mandavit, quae postea in nostris oris Belgica lingua donata est sub rubro: *De Redenerende Kristen*, ubi laudatus Theologus ex translatione Belgica pag. m. 312. et seqq. ita scripsit; *Dus worden ook door der menschen verlossinge de Goddelyke Volmaaktbeden in het gansse Ryk der redelyke wezens meer bekent en verheerlykt; ja de Engelen zelve worden, uit het geen zy aan den Menschen zien, in de kennisse van bunne afbankelykheid van God, als ook in het goede, meer bevestigt. Alle deze grote weldaden zouden in de wereld niet gekomen zyn, indien het kwade niet was toegelaten. Daar door word ook de Wysheid en Goedheid van het Opper-Wezen in deze toelatinge ten vollen geregtvaardigt. Een misdaad, welke tot des te groter volmaaktbed van*

van het geheel strekt, blyft wel, op zich zelven beschouwt zynde, een misdaad; doch houd op zulks te zyn, wanneer die met alle zyne gevolgen en in zynen zamenhang met het geheel beschouwt word.

Hoe meer ik deze beerlyke opbeeldingen van Gods oogmerken met den Mensen naga, boe aanbiddenswaardiger en troostelyker my de wegen zyner Voorzienigheid voorkomen, die my anderzins, zonder dezen voorspoedigen uitslag, in menige gevallen zo neerslagtig en duister schenen. Ik zie nu zeer klaar, dat het gantsse lot der Mensen in eenen toekomstenden staat, niet anders, dan volgens dit gemaakt ontwerp der Verlossinge moet beschouwt worden; waar door 'er als dan nog verscheide wyze en genaderyke oplossingen van deze grote verborgenheid van God en Kristus zullen voorkomen.

Dus worden alle zwaarigheden, ten aanzien der gevolgen van Adams Val voor zyne Nakomelingen terstond en ten vollen weggenomen. Want volgens dit eeuwig ontwerp der Verlossinge, word den Mens een nieuwe beproeving van geboorzaamheid toegestaan en by dus op zyn gelove en bekeeringe ten eeuwigen leven aangenomen; zo dat de Val van onze eerste Ouderen by het toekomstende gerigte over ons gants niet in aanmerkinge komen, maar ieder ter dier tyd rekenschap geven zal, naar mate by de middelen tot zyne vernieuwing en beoryding moedwillig zal verworpen hebben of niet.

Eindelyk begryp ik uit dit alles zeer duidelyk, dat de sydelyke dood, waar aan wy allen onderworpen zyn, eigentlyk voor ons geen straf der zonde van Adam, maar in tegendeel een natuurlyk gevolg van onzen toestand is en tevens tot het ontwerp onzer Verlossinge behoort.

Waarom, zou iemand hier kunnen zeggen, is dan de Val van onze eerste Ouderen in de Schrift zo omstandig aangetekent, indien dezelve tot het over ons te houdene oordeel geen betrekking heeft? De reden hier van is zeer klaar en tevens van zeer groot aanbelang; het was namentlyk ten uitersten noodzakelyk, dat wy niet alleen de eigentlyke bron van onzen natuurlyken staat, maar ook de noodwendigheid der verlossinge kenden. Dit is de grond daar het ganse gebouw van het Euangelie van onzen Heiland Jezus Kristus op rust.

Aut fallor admodum, aut nunc mecum percipietis, nos pro statu nostro, quo vivimus, et rerum serie, cui implicati sumus, Lege Naturae obligatos esse, ad contemplationem univerti omnino etiam Divinam referre Revelationem. Tum demum igitur limites Divini Juris Naturae, quod per totum rerum ordinem se diffundit, feliciter proferentur, si Jurisconsulti studio Theologiae Revelatae magis operam dabunt; et Theologi contemplationem univerti, quae absque Philosophia bene exculsa saepius infauite instituitur, magis quoque in deliciis habebunt; si denique ab utrisque Historiarum et Litteraturae studia cum hisce profundioribus meditationibus amoene conjugentur; tunc enim quilibet sibi faci-

facile persuadebit, inania esse cuncta nostra studia et plena otiosi laboris, nisi omnia nos perducant ad vivam de DEO cognitionem.

Nihil autem magis sanctissimam nostram Religionem, quae *Rationalis* semper esse debet, deturpare mihi videtur, quam hanc vivam de DEO cognitionem inter homines absque solidioris scientiae et sapientiae studiis promovere velle. Quid enim est magis indignum homine, ut Cl. *Herm. Alex. Roëlli* eximius, quae in *Ejus Dissert. de Relig. Rat.* §. 159. inveniuntur, verbis utar, *quid est, inquit, magis indignum homine, quam rei incognitae coeco quodam ac sui ipsius inscio impetu adsentiri? adeo ut nihil respondere valeamus, nisi: hoc mihi persuasum est, quia persuasum est; quod vix ferimus in infantibus et mente captis. Et si hoc obstinere in Religione debeat, profecto merum exortitur chaos, nullisque coerceri poterit vel mentiendi libido, vel adsentiendi temeritas ac praecipitantia limitibus, sed quisque, quod vult, et quod maxime adlubescit, vel venditare pro divina revelatione, vel acceptare potest. Qua ratione nullus amplius in rebus modus, nulli certi erunt, intra quos verum et falsum, bonum et malum consistat, fines; sed cujuscunque obstinata persuasio, et quae animum ejus obsident et in hanc illamve partem inclinant, amoris et odii causae praevalent. Ita res omnium divinißima, qualis est fides illa, quae nos DEO unit et in aeternorum bonorum possessionem mittit, non altis argumentis tueri dignitatem suam poterit, quam quibus*

bus vanissima simul ac tenacissima cujusvis idololatrae, superstitiosi ac melancholici hominis opinio, neque ullis se satis ab ea notis distinguere.

Ad *vivam* proinde DEI cognitionem requiritur, ut homo antea de veritate convincatur, nam absque intellectu coeca est nostra voluntas, quae cum ratione non permovetur, nisi ex distincta veri boni verique mali representatione; facultatem quippe nostram cognoscendi sequitur facultas adpetendi et averfandi. Non vero operosius disquiram, quatenus ad hanc *vivam* de DEO cognitionem pro statu nostro *moraliter* corrupto iterum emendando sive, ut Theologi loquuntur, pro statu destituito ad statum cujusvis hominis in suo individuo restituendum jam data Divina Revelatione adhuc *miraculum* requiratur; haec enim quaestio ad forum Theologorum pertinet, quorum circulos turbare nolo. Id tantum observandum esse duco, hominem nihil boni habere a se ipso, ideoque nihil esse, cur inde gloriatur, sive ex *viribus naturalibus* sive ex *miraculo Regenerationis* ad *vivam* de DEO cognitionem pervenerit; nam priori casu aequae *Gratiae Divinae* adscribendum est, quod tale nobis remedium revelaverit, ex cuius sincera et attenta contemplatione ad *vivam* perfectionum divinarum cognitionem, ex *Opere Redemptionis* acquirendam, pervenerit, ac posteriori casu, ubi *immediate per miraculum*, adspirante Numine Divino, ad *vivam* veritatum salutiferarum cognitionem, ad quam acquirendam Læge Naturæ obligatur, et ita ad sanctiorem vitam ductus fuerit. Ipsa *Naturæ* dona non minus a DEO sunt, quam-

quam dona *Gratiae*. Rectus utriusque et *Naturae* et *Gratiae* usus hominem reddit felicem.

Hoc solummodo velim, ne *Regenerationem*, quam ad *vivam* veritatis salutiferae cognitionem perveniamus, confundatis cum dono Θεοπνευστίας extraordinario, ne in *Fanaticismum* prolabamini. Θεοπνευστία in Ecclesia plantanda omnino necessaria erat, sed jam in Ecclesia per consummatam Divinam Revelationem plantata non amplius requiritur: immo admodum periculosum foret, fidelibus dona Θεοπνευστίας adscribere, quibus *habitus* acquirerent *infusum* non solum virtutum moralium, sed et virtutum intellectualium, et sic in demonstrandis veritatibus infallibiles forent, ut authenticas S. Scripturae interpretationes dare possent. Veruntamen si hunc *habitus infusum* in piis nostri aevi hominibus supponamus, tum nescio, quid magis *confusum* adpareat. Potius omnis habitus nostris temporibus *exercitio* acquiritur. Habemus jam unicam fidei nostrae normam, Sacram nimirum Scripturam; et Lex Naturae praeterea nobis praescribit agendi regulam, cui si in omnibus severiore cura obsequi studemus, quantum in potestate nostra fuerit, nemo erit, qui bonitati et auxilio Divino in comparanda hominum felicitate diffidat. Nec erit, cur homo de defectibus virium naturalium in acquirenda sua felicitate, quae absque cognitione de DEO *viva* obtineri nequit, anxie conqueratur; nam facienti, quod in se est, non denegabitur id, quod indigentī Naturae humanae deest. Ignavi proinde hominis querela est de indigentia sua. Tentandum enim est omni industria, quid valeant hume-
ri

ri et. quid ferre recusent, in ceteris confugiendum est ad auxilium DEI, promissum omnibus, qui Eum sincera mente quaerunt, et, quod reliquum est, adquiescendum in Providentia Divina.

Unicum restat, quod coronidis loco addam, non eo autem animo, ac si in caussa tam ardua sententiam pronuntiarem, sed ut vestras pias meditationes in re tanti momenti inde excitarem: scilicet quod ante aliquot annos vir plurimum reverendus *Jobannes Joachimus Spalding* Germanico idiomate libellum conscripserit de *sensatione*, ut hoc termino utar, *Christianorum spiritali*, sive, ut ipse loquitur, *von dem Werthe der Gefühl in dem Christenthum*, quem libellum in nostram Belgicam linguam nuper transferri curavit venerandus *Joban Diedrich Deiman* sub rubro: *De Christen in ernstige overweging van de waarde der inwendige bevindingen in het Christendom*; cujus argumenta cum non omnibus Theologis aequae placeant, me extra Jurisconsulti oleas vagari putarent multi, si id mihi sumerem, ut mentem meam de hac sublimi materia profiterer. Manum itaque de sabula!

LECTIO XV.

De amore in DEUM.

Tribus praecedentibus Lectionibus tractavi de *vera* et *viva* DEI cognitione sibi comparanda ex contemplatione universi et eorum, quae in eo sunt, fiunt atque facta sunt; inter ea vero, quae in Universo facta sunt, maximam nostram meretur attentionem Legatio Divina Divini Redemptoris ad salvandos homines, Legum Naturalium transgressores, eosque ad sanctiorem vitam in observanda Naturae Lege reducendos. Inde cognoscimus summam DEI bonitatem et amorem, quo DEUS hominem diligit, ut omnia remedia, obtinendi ejus veram felicitatem, nobis manifestaverit et ne vitae quidem Filii sui pepercerit ad instaurandum generis humani salutem. Tantam praeterea tamque immensam perfectionum suarum magnitudinem per Universi ordinem, contingenter existentem, nobis fulgentissime ostendit, ut homo, contemplan-do opera Divina intentus, non possit non, ex summa DEI perfectione inde conspicua etiam maximam capere voluptatem. Quodsi autem homo haec omnia, nunquam satis pensitanda, severiore cura quotidie et singulis momentis ad se ipsum referat, ut ex perfectionibus DEI cognitis motiva desumat, actiones suas liberas rectius instituendi; tunc amor seu animi promptitudo inde enascitur, se perfectionibus Divinis, quantum fieri potest, conformandi; quo unio *moralis* oritur DEUM inter et hominem. Et cum ex hac *unione*

DE-

DEUM imitemur, qui intendit veram, hominum felicitatem singulisque mortalium suam bonitatem luculentissime ostendit; hinc et nos, DEUM imitando, ducimur ad *universalem* erga omnes homines amorem.

Sic jam ex hisce breviter dictis facile percipietis, quod *vera* et *viva* DEI cognitio sit fons et origo amoris nostri in DEUM. Quicumque igitur DEUM cognoscit, tamquam ens absolute perfectissimum, nec hanc veritatem omnium summam solius curiositatis gratia perpendit, sed semper in hisce perscrutandis ad se ipsum redit, is non potest, quin etiam DEUM T. O. M. sincere amet, atque hac *viva* perfectionum Divinarum cognitione delectetur. Unde tutò concludere licebit, quod, qui DEUM non amat, eum non cognoscat; nam amare DEUM nihil aliud* est, nisi delectari perfectionibus Divinis. Et hic amor dicitur *purus*, quatenus consistit in sola delectatione animi ex summa DEI perfectione cognita absque relatione ad nostram inde acquirendam felicitatem; hunc alii *amorem complacensiae* nuncupant; qui rectius et magis Latine dicitur amor *oblectationis*, quem nostrates vocant *de verlustiging in God*. Hicce amor DEO propter summas ejus perfectiones utique debetur, ideoque inter officia hominis erga DEUM naturalia pertinet; immo et Naturae nostrae humanae congruit, ut delectemur perfectione quacunque etiam alterius entis, licet nullam ad nos relationem haberet. DEUS autem est ens absolute perfectissimum, cujus vera cognitio delectatione et voluptate perfundit animum nostrum, ut DEUM amemus, unice quia perfectissimus est.

Verum-

Veruntamen nimis austeri sunt morum magistri, qui hunc amorem DEI *purum*, quem dicunt, tantopere urgent, ac si ex hoc fonte purissimo, quem nuncupant, omnis amor noster erga DEUM unice derivandus esset. *Mysticorum* haec est pietas; non saniorum Theologorum, qui Legem Naturae humanae penitus perspiciunt, et qui praeterea perfectiones Divinas a se invicem non divellunt, sed easdem DEO tribuunt, non absolute spectatas, sed quales DEO competunt in *aequilibrio* omnium perfectionum simul sumtarum. Amor igitur in DEUM hoc postulat, ne in DEO conjuncta incaute sub vano pietatis praetextu separemus. V. gr. si quis *omnipotentiae Divinae* notionem ita formare vellet, ut omnipotentem esse dixerit DEUM, *quia omnia facere possit*, is omnipotentiae Divinae ideam *arbitrariam* fingeret; non enim in se et absolute spectare debemus omnipotentiam, sed, si eam DEO tribuimus, talis esse debet, qualis enti *sapientissimo* et *summe bono* convenit. *Quaquam igitur*, inquit *Grotius* de J. B. et P. L. I. C. I. §. 10. n. 5., *immensa est DEI potentia; dici tamen quaedam possunt, ad quae se illa non extendit; nam quae ita dicuntur, ait vix perspicacissimus, dicuntur tantum, sensum autem, qui rem exprimat, nullum habent.* Sic etiam, quae de amore DEI *pure* proferuntur, pietatis quidem speciem habent, sed perfectiones Divinas ex suo *aequilibrio* divellunt. *Bonitas* enim summa etiam est in numero perfectionum Divinarum; ergo qui perfectionibus Divinis delectatur, id est, qui DEUM amat, is etiam voluptatem percipere debet ex bonitate DEI seu ex eo, quia DEUS est

est ens summe bonum, non solum *absolute*, sed et *relative*, prout praecedente Lectione secunda satis probavi. Sub amore igitur *oblectationis*, qui DEO debetur, etiam amor in DEUM comprehenditur intuitu beneficiorum in nos collatorum, quem amorem *gratiani* adpellant, quo DEUM amamus, quia in nos bonus est.

Nec est, cur *Mystici* hunc amorem DEI contemtim *impurum* nuncupent; nam inter officia DEO debita omnino etiam referri debet *gratitudo*, quae ideo toties in S. Litteris inculcatur. Ingrato homine quid unquam terra pejus tulit? A DEO maxima accepimus beneficia, quibus nos quotidie cumulat, ut omnia, quae nobis bona eveniunt, soli DEO debeamus. Nonne itaque DEUM amemus, quia in nos bonus est? Tunc amor DEI *purus*, quem vocant, a gratitudine, DEO debita, nos avocaret. Moralitatem proinde actionum nostrarum perperam dijudicant, qui sub specie pietatis tantopere amorem Dei *purum* urgent ipsamque Naturam humanam ignorant, qui ejusmodi amoris *puritatem* desiderant. Nullum enim amoris motivum efficacius est, quam si perpendamus, DEUM nos ante amasse, priusquam nos DEUM amavimus, immo antequam de DEO amando cogitare potuimus, cum nobis benefecerit DEUS a prima nostra infantia et adhuc utero inclusis materno. Amor proinde, quo DEUS nos amavit, est ratio sufficiens amoris nostri in DEUM, et haec ratio sufficiens fit nobis quammaxime motivum agendi. Quodsi praeterca consideremus amorem DEI, quo DEUS mundum adeo dilexit, ut Filium Suum unicum in hunc

ter-

terrarum orbem miserit; qui nos in aeternum salvaret; exinde convincemur, DEUM tantundem boni in nos contulisse, quantum salvis suis perfectionibus Divinis conferre potuit; ideoque DEUM amare nos magis, quam comprehendere possumus. Qui autem alterum amat, is voluptatem capit ex amati felicitate, eamque, quantum salvis officiis erga se ipsum fieri potest, promovere ac omnem infelicitatem ab amato avertere studet: sic etiam DEUS, qui nos amat, nostram veram felicitatem intendit omnemque infelicitatem, quantum salvis suis perfectionibus fieri potest; a nobis arceat, cuncta saluberrima media promovendi nostram veram felicitatem per ordinem Naturae et Gratiae mortalibus indicando. Homo autem per Naturam adpetit felicitatem suam, infelicitatemque averfatur; quamobrem et homo de summo DEI amore ex innumeris beneficiis Naturae et Gratiae sibi exhibitis convictus, per Naturam suam fertur, ut etiam DEUM, maximum suum benefactorem, vicissim amet. Sic amor, quo DEUS nos amat, attrahit amorem; quo nos DEUM amemus; et per consequens amor, quo DEUS nos amat, quamprimum de eo, profundioribus meditationibus institutis, plene convicti fuerimus, fit fortissimum motivum amoris nostri in DEUM. Parum igitur consulunt verae pietati, quae Naturae humanae conveniens esse debet, qui hunc amorem tanquam *impurum* contemnere aut negligere solent.

Ipse S. Scriptura, quae nihil, quod *impurum* est, a nobis postulat; hunc tamen amorem DEI ob beneficia in nos collata exigit, dum 1. Joh. 4. vs. 19. disertis verbis

bis dicitur: *Nos diligimus eum, quoniam ipse prior nos dilexit.* Et quis de hoc officio amoris DEO, ob summa in nos collata beneficia, praestando dubitare possit, qui perpenderit, DEUM amandum esse *in toto corde, in tota anima et in tota mente* nostra, prout ipse optimus Juris Naturae interpres, generis humani SALVATOR, edixit *Matth. 22. vs. 37.* nam quid hoc aliud est, ac omnes vires nostras adhibendas esse, ut DEUM recte amemus; ideoque motiva, quaecumque per Naturam et Gratiam ex contemplatione universi et eorum, quae in eo sunt, fiunt atque facta sunt, nobis repraesentantur ad hunc DEI amorem excitandum, ea omnia conjungere tenemur; quibus cumulatis noster amor in DEUM longe exsuperabit amorem, qui ex perfectionibus DEI cognitis, tantum *absolute* et non *relative* ad nos spectatis, nascitur. Nos vero si DEUM supra omnia amemus, etiam ad omnem DEI possibilem amorem naturaliter obligamur. Possibile autem nobis est, ut plura motiva in DEO amando inter se connectamus, et quo plura connectuntur, eo fortior sit amor in DEUM. Et cum nihil sit in toto hoc rerum ordine, ex quo DEI perfectiones non cognoscantur, et nihil etiam, quo DEUS nostram non intendat felicitatem: hinc cuncta, quae in hoc universo sunt, fiunt atque facta sunt, etiam mala ipsa, quae DEUS dirigit ad bonos fines, nos excitant ad amandum DEUM supra omnia. Nimis igitur mentis suae angustiam produnt, qui solummodo amorem DEI *purum* urgent, et amorem, qui ob beneficia a DEO in nos collata aut adhuc conferenda in nobis excitatur, tamquam *impurum* rejiciunt.

Po-

Potius ipse DEUS ex amore, quo creaturas amat, produxit Universum, ut felicitatem creaturarum, ratione praeditarum, perficeret omnemque infelicitatem, quantum salvis officiis erga Se ipsum fieri potest, ab illis removeret. DEUS igitur amore suo nos invitat ad amorem Sui; omnis autem amor tendit ad felicitatem amati promovendam omnemque ejus infelicitatem depellendam. At felicitas DEI absolute summa est, nec quicquam datur, in DEO et extra DEUM, quod Ejus felicitatem turbare possit. Ergo noster amor, quo DEUM amemus, tendere nequit, ut DEUM amatum feliciorum reddamus, multo minus, ut ab amato DEO quandam infelicitatem, quae in DEUM cadere nequit, aliquo modo arceamus. Hoc tantum obtinet in amore, quo homo hominem amat, et maxime, quo DEUS hominem amat. At DEI felicitas nullum admittit incrementum aut decrementum, nec proinde indiget auxilio alieno, utpote qui Sibi est sufficientissimus. Ergo nihil superest, nisi ut creaturae rationales, quae DEUM supra omnia amant, felicitate DEI summa delectentur et inde maxima capiantur voluptate, gaudentes, quod DEUS sit beatissimus; quin etiam ex imo pectore anhelent, ipsum DEUM tantopere amatum, ut nihil supra, reddere perfectiorem, nisi impossibilitas objecti amati, utpote entis jam perfectissimi, obstaret; saltem id, quod possunt, pro virili conferant, ut DEI relatio cum ipsis perfectior fiat. Perfectior autem Ejusdem relatio sit oportet, quum pie colitur, quam cum hicce cultus DEI nefande negligitur.

Talis itaque amor in DEUM, quo delectamur Di-

vinis perfectionibus cognitis, nos perpetuo stimulat, ut DEUM, quem in deliciis habemus, pie imitemur, quo perfecti fiamus, sicut Pater noster, qui in coelis est, perfectus est; nam qui alterum ob perfectiones ejus agnitas amat, suamque propriam imperfectionem novit, in alterius exemplar imitari studet, ut amato similis fiat; quantum res circumstantes ferunt, quo inde major consensus inter amantis et amati mentes oriatur. Unde nascitur amor, quem dicunt, *unionis*, quo inpellimur, ut ea faciamus, quae DEO placent atque omittamus, quae Ipsi displicent. DEO autem nihil placet, nisi quod perfectionibus Ejus Divinis seu sanctissimis Naturae Legibus convenit; displicet vero Eidem, quod hisce perfectionibus aut Naturae Legibus repugnat. Ex hoc igitur amore nostro in DEUM summae perfectiones DEI ad nos maximam adquirunt relationem, ut illae in nostras actiones liberas magis influant et efficacissima nobis fiant agendi motiva atque sic optimas nobis constituent Naturae Leges, unde nostra perfectionum Divinarum cognitio reddatur *viva*,

Jam vero si summas Summi Numinis perfectiones piamente pensitemus, nulla dari potest actio humana, ad quam illae nullam haberent relationem. Etenim DEUS est Universi, cujus partes sumus, conditor; ex potentia itaque Divina dependet nostra existentia nostraque conservatio, ut adeo homo nihil habeat a se ipso, sed omne bonum, quo fruatur, ab ipso DEO sit. Amor proinde in DEUM, quo summis Ejus perfectionibus delectamur, nos *gratos* facit rerum, quas possidemus,

quas

quasque DEUS nobis benigne concessit, usufructuarios, ut omni bono, tamquam munere Divino, fruamur cum gratiarum actione. Quod non tantum intuitu bonorum, quae homini adsunt, sive quae statum ejus externum perfectiorem reddunt, sed et respectu bonorum, quae homini insunt, sive quae statum ejus internum perficiunt, et non solum, quoad statum ejus essentialem, sed et quoad statum ejusdem accidentalem, ex meditatione perfectionum Divinarum facile agnoscimus: hinc amor in DEUM, quo perfectionibus DEI delectamur, *humilitatem* nobis insinuat, ut nihil boni homo sibi, nihil fortunae, sed omnia, quae bona sunt, DEO accepta referat, nihilque juris in actiones suas sibi det, sed soli DEO et dominium et potestatem eminentem in se relinquat, sibi que unicam obsequii, secundum Legem Naturae vivendi, gloriam tribuat; ideoque homo, DEUM impensius amans, nihil gloriatur de se ipso, cum nemo mortalium quid boni habeat, quod non acceperit a DEO, atque adeo gloriari non possit homo, quasi non accepisset.

Homo praeterea qui DEUM amat, in jus soli DEO proprium nunquam involat; DEO autem Soli, et nulli creaturarum, nedum mortalium, competit jus et imperium in conscientias hominum; in nostram proinde Religionem. In hisce juribus exercendis, in quibus homines jus determinandi suas actiones, in alios transferre aut non voluerunt aut non potuerunt, adhuc revera subsistit *aequalitas naturalis*, ut omnium eadem sint jura, eademque iisdem incumbant obligationes; omnesque proinde vivant in statu *Libertatis naturalis*, ubi

nullum imperium humanum, nulla Civitas, sed soli DEO et nemini mortalium competit jus, determinandi aliorum actiones. Hoc jus, Soli DEO privum, qui violat, DEUM non amat; DEUS quippe Natura unum alterius imperio non subjecit. Et hac in re veneranda est summa DEI sapientia bonitasque; nam si inter homines unus alterius imperio per Naturam subiectus esset, tum sufficeret, alterius voluntati coeae obedire, quae autem voluntas humana multis aberrationibus et perversis adfectibus obnoxia est. Sic DEUS hominem per hominis voluntatem a Se Ipso, ideoque a fonte omnis veri et boni, abduceret, et Legem Naturae immutabilem, quae cunctos regat actus humanos, ac per consequens etiam actus Principum et Clericorum, vano hominum arbitrio submitteret, ut hominibus, depravatis illis creaturis, magis parendum esset, quam Sanctissimo Creatori, omnium Domino. Amor itaque in DEUM efflagitat, ut in iis, in quibus Soli DEO rationes aliquando reddere tenemur, DEO magis obediamus, quam hominibus; ideoque in hisce omnium hominum *AEqualitatem Libertatemque naturalem* agnoscamus, ne alios ab imperio Divino impie subducere videamur. Nimirum anxiam proinde illorum est pietas et admodum febriculosa eorundem censura politica, qui doctrinam de *aequalitate hominum naturali*, tamquam Religioni aut Civitati noxiam, limis adspiciunt oculis.

Amor denique *unionis* cum DEO postulat, ut conformemus nostrum intellectum nostramque voluntatem ad intellectum voluntatemque DEI; ideoque homo, cui
DEUS

DEUS placet ob summas perfectiones Divinas quoad tenus cognitas, etiam omnem impendat operam, ut ipse DEO placeat. Sed qua, quaeso, ratione DEO placeamus, nisi ea intelligamus, quae DEUS a nobis intelligi vult, et ea quoque faciamus, quae DEUS a nobis fieri vult? Unde vero haec cognoscamus, nisi ex contemplatione universi et eorum, quae in eo sunt, fiunt atque facta sunt? Natura, si paulisper Divinam Revelationem seponamus, non alium modum, DEO placendi, excogitare valemus, nisi ut nos DEO obediētes praestemus, sequendo Leges Naturae. Hae Leges praescribunt nobis omnia officia, quae homo sibi, quae aliis et quae ipsi DEO debet, in quocunque etiam statu homo vivat. Hisce Legibus Naturae si homo satisfacit, ipsis perfectionibus Divinis, in quibus fundatur, convenienter vivit. Harum Legum observantia promovetur perfectio universi mundi creati et illustratur gloria Creatoris. Hisce Legibus obtemperando prosequimur nostram propriam et veram felicitatem. Ad hasce Leges si nostras conformamus actiones, fines, quos ipse DEUS universo singulisque rebus praestituit, adsequimur et sic sanctissimae voluntati Divinae obedimus. Hasce Leges sive ex hominis rerumque essentiis existentibus, sive ex finibus rerum quarumvis, sive ex rerum convenientiis et disconvenientiis vel repugnantibus cum natura hominis rationali et sociali, sive ex consecrariis perfectionis aut imperfectionis, quae perpetuo cum actionibus bonis aut malis connexa sunt, sive denique ex ordine universi aliisque principiis easdem *cognoscendi* veris perscrutamur, exinde intellectus noster perspiciet ea,

quae in intellectu DEI radicata sunt, nobisque voluntas DEI conspicienda dedit, ut secundum haecce sanctissima et Divina Naturae Sancita nostras liberas componamus actiones, in quarum conformatione tum intellectus voluntatisque nostrae cum intellectu voluntateque DEI felicissima consistit, quod pace Latinitatis dixerim, *idemitas*, quae *undo moralis* sive conjunctio *rationalis et libera* non potest non perfectissimo placere DEO. Amor itaque in DEUM, quo voluptate gestimus placendi DEO, est maximum incitamentum ad quaevis officia erga DEUM praestanda secundum Legem Naturae. Haec *Charitas a DEO est*, teste *Joanne* in Epist. I cap. 4. vs. 20.; amor quippe in DEUM nascitur ex *viva* DEI cognitione, quia fieri nequit, ut DEUM recte cognoscamus et tamen ex cognitio ejus summis perfectionibus nullam percipiamus voluptatem, nec cupiamus, ad harum perfectionum exemplar nostram conformare vitam.

At vero amor in DEUM non solum nos promptiores reddit ad quaevis officia erga DEUM praestanda, sed et ad omnia officia, quae DEUS a nobis fieri vult. Cum autem DEUS voluerit, ut Legibus Naturae convenienter viveremus; hinc amor in DEUM nos quoque incitat ad officia tum erga nosmet ipsos, tum erga alios alacriter praestanda, ita ut omnia nostra officia naturalia fiant officia erga DEUM, sive ut officia quoque erga nosmet et alios praestemus, quia DEUM *amamus*. Qui amor in DEUM intuitu officiorum nobismet ipsis praestandorum a nonnullis dicitur amor *con-*
cia

cupiscentiae, quo per amorem in DEUM nostram propriam et veram cupimus acquirere felicitatem; respectu autem officiorum aliis praestandorum nuncupatur amor *benevolentiae*, quo propter DEUM et in ordine ad DEUM omnem perfectionem proximi nostri promovere, omnemque imperfectionem ab eodem arcere gestimus.

Uterque amor sive sit *concupiscentiae* erga nosmet ipsos, sive *benevolentiae* erga proximum nostrum pro- no quasi alveo fluit ex purissimo fonte amoris in DEUM; nam amor DEI influit in omnes nostras actiones liberas, ut DEO semper delectemur nihilque magis cupiamus, quam ut Legibus Naturae convenienter vivendo placeamus Naturae Auctori, qui haecce officia nobis inposuit instar benignissimi Patris, et qui ex hac obedientia Legibus Naturae praestanda voluit nostram propriam et aliorum promovere felicitatem; ut adeo per hanc nostram aliorumque felicitatem ex custodienda Legge Naturae oriundam amor in DEUM magis magisque augeatur atque omnia officia tum erga se ipsum, tum erga alios, cum officiis erga ipsum DEUM praestandis arctissimo nexu cohaereant: ex quibus consequitur, ut amor sit *consummatio Legis Naturae*, prout Apostolus Paulus in *Epist. ad Rom. Cap. 13. vs. 11.* nos docuit.

Et hic est *amor non simulatus*, de quo idem Apostolus in cit. *Epist. ad Rom. cap. 12. vs. 9.* loquitur, *ut odio prosequamur, quod malum est, adhaerentes*
et;

ei, quod bonum est. Et si quis dixerit: *diligo DEUM ut fratrem suum oderit mendax est*, inquit *Joannes* in Epist. 1. cap. 4. vs. 20; quapropter etiam *Paulus* in Epist. 1. ad *Corinth.* Cap. 13. vs. 1. scribit: *quod qui charitatem non habet, sicut aes resonans et cymbalum tinniens*, id est, sonus mente cassus; non simulata igitur pietas efflagitat et amor in DEUM sincerus postulat, ut Legis Naturae scientia oppido instructi simus, ut quaevis officia, in quocumque etiam statu vivamus, inde rectius cognoscamus atque eorundem praestatione DEO placere studeamus. DEO autem nihil in creaturis rationalibus placere potest, nisi quod Legibus Naturae convenit; amor itaque in DEUM, quo placere DEO inpellimur, maxime accendit studium divini Juris Naturae, ut nobis indefessum et suavissimum reddatur, quoniam est *lucerna pedibus nostris et lumen semitae nostrae*. Quamobrem *Psaltes* Ps. 119. vs. 34. et 35. DEUM inplorat: *Fac, ut intelligam, ut custodiam Legem tuam observemque eam ex toto animo: fac ut incedam itinere praeceptorum tuorum; nam eo DELECTOR*. Qui igitur DEUM amat, is *delectatur* scientia Legum Naturalium, quae Divinae sunt et sanctissimae: haec Leges, quae in ipsis perfectionibus Divinis fundantur, respicit, tamquam saluberrima instituta patris nostri coelestis, qui communem inde liberorum suorum salutem intendit. *Lex itaque Domini*, prout in Psal. 19. vs. 8. et seq. dicitur, *integra est, convertens animam: mandata Domini recta sunt, laetificantia animum et praeceptum Domini purum est, illustrans oculos.*

Quo-

Quorum autem oculi ex neglectu Juris Naturae adhuc lippunt, illis ex animo adprecor, ut tandem *amplectendinam* sanctioris hujus disciplinae perspicere discant, ne ex supina ignorantia in posterum contemnant, quae antea non intellexerunt. Quod reliquum est, iterum admonendum esse duco, quamvis jam saepius in praecedentibus admonuerim, post transgressiones Legum Naturalium ab hominibus perpetratas disruptum esse vinculum *unionis* cum Sanctissimo Juris Naturae Auctore; ideoque necessarium esse remedium reconciliationis, quo homo iterum cum DEO uniat. Hoc autem remedium cum nobis divinitus revelatum sit in CHRISTO, generis humani SALVATORE, nihil superest, nisi ut hunc Divinum Mediatorem sancta fide amplectamur, qui loco nostri debitum Naturae praestitit nosque eo fortius obligavit, ut liberati a poenis naturalibus redeamus ex statu Licentiae in sanctiorem vitam, immutabilibus Naturae Legibus consentaneam, ut adeo *Christianismus* neutiquam fiat status exlex, sed inde discamus, *jugo* CHRISTI, id est, saluberrimarum Legum Naturalium, quod portare molle, illudque abjicere durum est, nos pie submittere, quo nunc per fidem in CRISTUM Naturae Auctori et Gratiae Largitori placeamus. Sic ordo Naturae per peccata nostra vehementer deturbatus jam pristino suo nitori restituitur; unde amor noster in DEUM multo adhuc propensior fieri, ac veneratio sanctissimarum Naturae Legum nos totos occupare deberet, dum ex eo addiscimus, meritum CHRISTI, quo nos salvamur, in perfecta Legibus Naturae praestita obedientia et in subeundo poenas nostris Legum Naturae violationibus deme-

demeritas, maxime conspicuum esse, atque hanc Grati-
 am nobis haud concedi, nisi nostra inde moveatur
 voluntas, ut Leges Naturae immutabiles, Divinae vo-
 luntatis. praeceptrices, perpetuas illas *Sanctificationis*
 normas, pie observare gestiamus.

Quae omnia si Theologi, quos maxime decet, ex
 contemplatione universi et eorum, quae in eo sunt,
 fiunt atque facta sunt, sincera mente perpenderit,
 non dubito, fore illorum neminem, qui mihi vicio
 vertat, *me nimium fecisse Legum Naturae praeco-*
nium, aut qui sibi infauste persuadeat, *doctrinam*
moralem esse mortuam. Lex *mortua* dicitur, quae
 abrogata est, ut vim omnem amiserit, sed *viva* est,
 si agendi regulam constituit; tum enim adhuc viget.
 Vigebit itaque Lex Naturae viresque suas exferet,
 quamdiu DEUS DEUS, et homo homo erit; rin-
 gentibus licet Diabolis et male feriatis hominibus.

LECTIO XVI.

De Timore DEI filiali atque de Fiducia in DEUM et adquiescentia in Providentia Divina.

Egimus praecedente Lectione de *amore DEI supra omnia*, simulque jam anterioribus nonnullis Lectionibus *summam bonitatem Divinam* hinc atque illinc illustravimus. Ex hoc autem *amore DEI supra omnia* et ex sensu *summae bonitatis Divinae* prono quasi alveo fluunt *Timor filialis, Fiducia in DEUM, Adquiescentia in providentia Divina, Gratus erga DEUM animus, Reverentia, Celebratio nominis Divini, Invocatio et Gratiarum actio, et plena denique obedientia DEO praestanda*, ad quae omnia, aequae ac ad amorem DEI supra omnia, homo *naturaliter* obligatur, prout nunc per partes commonstrabo.

Sicut autem timor liberorum nascitur ex amore in parentes, ita etiam **TIMOR FILIALIS ERGA DEUM** sponte profluit ex *amore in DEUM*. Etenim liberi, qui parentes suos vere amant, sollicite sibi cavent, ne aliquid faciant, quo parentes suos ad iram provocent, sed potius omnem dant operam, ut parentibus suis semper placeant, ipsisque adferant gaudia. Haec maxima liberorum bene moratorum cura est infallibile signum
amo-

amoris erga parentes. Quodsi jam *amor* DEI *supra omnia* cordibus nostris infixus sedeat, fieri aliter non potest, quin maxima animi sollicitudo nos tangat, nihil faciendi, quod fieri DEUS prohibuit, sed cuncta potius agendi, quae DEUS nobis praecepit. Haec animi sollicitudo sive ipse *timor filialis* cum amore in DEUM arctissime cohaeret, ut ab hoc ille pendeat et pro gradu amoris *timor filialis* crescat. Cum itaque summus amoris in DEUM supra omnia gradus esse debeat; hinc etiam tanta animi nostri sollicitudo sit oportet, ut neque vano hominum metu, nec adfectuum inpetu ab humili DEI obsequio dimoveamur unquam; qui enim DEUM timet, is DEO semper obedire studet, et proinde haec *obedientia* DEO praestanda semper conjuncta est cum *timore erga* DEUM *filiali*, qui *ex amore in* DEUM consequitur. DEO autem tum demum obedimus, si oblata quacunq; agendi occasione nostras actiones Legibus Naturae Divinis convenienter instituimus; nam tunc ipsi Sanctissimae voluntati Divinae obsequimur. DEUM igitur non *amat*, nec *times* DEUM *timore filiali*, multo minus DEO *obedire* studet, qui Divinas Naturae Leges non perscrutatur, nec sollicite inquit, utrum actiones suae suscipiendae aut omittendae Legi Naturae convenient, an repugnent?

Forfan haec mea sententia vobis quadantenus inaudita videbitur, cum multi sint, quibus *timor* DEI in pretio est, et qui tamen Jus Naturae parum curant, immo aliquando, quasi DEI causam agentes, prohi pudor! publice in contemptum adducere student. At vero

nos veritates Divinas non ex vagis quorundam Juris Naturae imperitorum, licet arroganter de se et temere de aliis sentientium, hominum opinionibus dijudicare oportet; nihil quippe verius est, quam *timorem DEI filialem* conjunctum esse debere cum sincera animi sollicitudine, servandi Legem Naturae. Ita enim inquit CHRISTUS, optimus Juris Naturae interpret: *Non quisquis dicit mihi, Domine! Domine! introibit in regnum coelorum, sed qui fecerit VOLUNTATEM Patris mei, qui in coelis est. Matth. 7. vs. 22.* Unde autem cognoscimus *voluntatem* DEI T. O. M. quoad nostra agenda in omni casu, nisi Lex Naturae Divina nobis perspecta sit? DEUS per *Revelationem* neutiquam pigros et socordes reddere voluit homines, ut eosdem a contemplatione Universi et eorum, quae in eo sunt, abduceret, sed hominibus socordiam, potius in perquirendis et pensitandis eorundem officiis excutere intendit. DEUS enim Filium suum in hunc mundum misit, non solum ut munus subiret *Sacerdotale*, quo nos a poenis transgressionum Naturae Legum subeundis liberaret, sed et ut tamquam *Propheta* nobis optimus et infallibilis fieret Juris Naturae Doctor, illudque contra hominum corruptelas pristino suo nitore restitueret, et praeterea tamquam *Rex* subditos suos secundum hasce immutabiles Naturae Leges gubernaret, eosque per Spiritum Suum Veritatis ad sanctiorem vitam perduceret.

Recte credere et male vivere, inquit Cl. Jo. Alph. Turretin Vol. I. Dissert. ibique in Cogitt. de Relig. ca. 47. *santum abest, ut quidquam juvet, ut contra*

P

om

omnem sceleribus præcludat excusationem; subsequente autem *ibesi* 48. ibidem Venerandus Theologus graviter redarguit eos, qui vitæ Sanctitatem a statu Gratiæ divelli posse putant; dum ait: *Recte credere et male vivere, non summum modo sceleris, sed et summum stultitiæ est.* In eo itaque insaniant homines, qui nomen a CHRISTO sumunt nostræque Religionis fidem foede deformant, quod SALVATORIS nostri munus *Sacerdotale* quidem amplecti sibi videantur, sed tamquam *Prophetam* et *Regem* suum respicere *MEDIATOREM* paucissimi velint; hoc enim si piis, vel qui ita sibi videntur, curae cordique esset, qua tunc, quaeso, ratione fieri posset, ut Leges Naturæ, Leges illas sanctissimas, quarum authenticas interpretationes toties nobis inculcavit Divinus Divinæ doctrinæ Moralis Doctor, ferre nequeant, quin potius illarum scientiæ progressum inausulto conatu impedire studeant? Numne Leges Naturæ, secundum quas REX noster Divinus subditos suos gubernat, contemnere aut earundem scientiæ progressum quibusvis machinationibus sufflaminare, perinde habendum est, ac *jugo CHRISTI* se suosque adfectas subducere velle? Me igitur arbitro et gravissimo quoque iudice laudato *Turretino* in cit. Cogitt. th. 21. Christiani tum demum fient *meliores, dum discunt ORDINEM SEQUI, seu, quod idem est, Naturæ suæ, iisque relationibus, quæ ipsis cum ceteris Entibus intercedunt, convenienter agere*, id est, si majorem culturae et custodiæ Juris Naturalis operam dabunt.

Religio igitur, quam profitemur, *Christiana*, amorque

que DEI verus et non simulatus indivulso semper nexu cohaerent cum indefesso studio et sincera animi sollicitudine, servandi Legem Naturae. Nec haec mea est adfectata quaedam opinio, quam ego vobis tamquam promangonio venditandq astutius obtrudere velim, sed Divina haec est veritas, Divino corroborata effato, dum *Joannes* in Epist. 1. cap. 5. vs. 3. disertis verbis eandem adstruit veritatem: *Haec enim est cbaritas*, inquit, *DEI, ut praecepta Ejus servemus, et praecepta Ejus gravia non sunt.* Nemo sane dixerit, hunc textum loqui de Legibus *Mosaicis*, quarum *jugum* portare non adeo leve erat, sed, nisi me omnia fallant, de praeceptis *Naturae*, fide in CHRISTUM suffultis, disserit Apostolus atque de iisdem adfirmat, quod haec praecepta, si non simulatus in DEUM amor ad agendum nos incitaverit, neutiquam gravia sint; nam qui DEUM amat timore *filiati*, is lubentissime facit, quae DEO placent, quoniam DEUS perfectissimus ipsi placet. Hae autem Naturae Leges in ipsis DEI perfectionibus fundantur, ideoque qui DEI perfectiones Ejusque summam bonitatem et sapientiam sanctitatemque perpendit, is non potest non de ipsa quoque Legum Naturalium perfectione convinci, illarumque cognitione delectari. Cui itaque DEUS placet, eidem et Leges Naturae placent. Hoc quippe est minime fallax *amoris* DEI signum, ut lubentissime faciamus ea, quae Legi Naturae, *Voluntatis* Divinae indici, conveniunt; ex Legibus enim Naturae cognoscimus ea, quae voluntati Divinae consentanea sunt, ad quas servandas DEUS omnes indistincte homines, in quocunque etiam statu vivant, et quam

maxime *Christianos*, obligavit; hinc manifesto inde sequitur; ut, qui DEUM amat, Eumque timore *filiati* timet, omne suum studium ad scientiam Legum Naturalium amplificandam convertat, eademque Juris Naturae scientia inpenitus delectetur. Timor proinde DEI accendit cupiditatem scientiae Juris Naturae.

• *Filiatis* timor erga parentes postulat, ut imperio paterno obtemperemus; imperium autem paternum salutem liberorum intendit: per obedientiam itaque parentibus praestandam liberi propriam suam salutem promovent, cum Leges parentum sint ipsa media veram liberorum felicitatem adquirendi. Homines, erroribus multisque morum depravationibus obnoxii, in hisce mediis eligendis constituendisque saepius fallaces sunt; at DEUS, Pater noster coelestis, falli et fallere nescius, semper optima media promovendi et amplificandi nostram salutem per ipsas Naturae Leges sancivit, quibus instar benignissimi Patris non suam, sed liberorum suorum perfectionem intendit; et, ut nos immorigeros filios a nostris multifariis aberrationibus in rectam iterum reduceret viam, misit ad nos FILIUM suum unicum, qui nobis DEUM, patrem nostrum coelestem, reconciliaret, nobisque Legem Naturae, sine cujus custodia nulla vera datur felicitas, contra perversas hominum Interpretationes emendatius panderet. Quid igitur, si CHRISTO nomen demus, si iterum obedientes et morigeri filii DEI simus, si CHRISTI *jugum* suscipiamus, si maximum *Prophetam* et optimum Juris Naturae interpretem audiamus, si *Regis* nostri Divino subjiciamur imperio; quid, in-

inquam, tum Religioni nostrae, si *Rationalis* audiat, magis contrarium esse potest, quam Jus illud Naturae Sanctissimum, eum quo stantque caduntque omnia, in ludibrium aut contemptum vertere? Quibus temerariis ausibus, nescio, quid perniciosius, quid magis profanum, quidve magis detestabile a desperatis Diabolis aut ab infrenitis hominibus vel unquam excogitari possit.

Quod vero dentur pii homines, qui Scientiam Juris Naturae parum curant, id quidem inde esse mihi videtur, quoniam ignorant, ex Legibus Naturae addisci posse, quaenam DEI Voluntati conveniant vel eidem repugnent: amplitudinem Juris Naturae ejusque Sanctitatem non perspiciunt: notionem Divini hujus Juris tantum confusam habent: erroneas saepius de hoc sanctissimo Jure opiniones fovent cum *Pufendorffii* adseclis, quasi ejus scita ad forum dumtaxat humanum spectarent, perperamque ad forum applicarentur Divinum, cum haec Jurisprudencia Naturalis a Jctis docenda *exterior* tantum hominis Civisque actiones respiceret, cujus finis temporali quadam felicitate terminaretur, aeternaque beatitas longe extra sphaeram hujus disciplinae removeretur. Accedit hisce vagis hominum opinionibus Academiae constitutio, qua Juris Naturae disciplina *Facultati*, quam dicunt, *Juridicae* assignata fuit, ut adeo inde patesceret, Theologis nihil negotii esse cum illo *Jure Naturae Juridico*, nec proinde ultra *Jus cogendi*, quod inter homines datur, Jurisprudenciam Naturalem extendi debere. Denique vocabulum *Naturae* multis suspectum videtur, cum *Naturam Graciae* oppositam esse, jam

a prima juventutis aetate ex magistris suis didicerint. *Justini Martyris* dictum est, quod et *Grotius* de J. B. et P. L. I. C. 2. §. 6. n. 2, laudat: το κατὰ Φυσὴν βίω, ἡδὲ πῶς πεπιστευκότες ἐστὶν, *secundum Naturam vivere ejus est, qui nondum credidit*, quasi το κατὰ Φυσὴν βίω, *secundum Naturam vivere*, nihil aliud sit, nisi stimulis naturalibus, quales cum brutis communes habemus et quos in hominibus *corruptos* adserunt, convenienter vivere. Hae aliaeque vagae opiniones perniciosaeque in Jure Naturae errores multos etiam vere pios homines seducunt, ut a nostra, quamvis sanctiore, disciplina alienos habeant animos. *Nihil autem est us nocentius, illa etiam turpius, quam in his errare, quae ad felicitatem nostram pertinent*; recte de erroribus in Jure Naturae vitandis inquit *Cl. Ernesti* in *Institis solidioris doctrinae*, Part. III. Sect. II. §. 75. Errores enim in Jure Naturae ubique in praxin moralem insunt et sic felicitatem generis humani maximopere conturbant. Quapropter sanctitas Juris Naturae tam caute ubique servanda est, quam ipsius Religionis Revelatae, cum qua pari passu ambulat. Suo tempore igitur *de erroneis in Jure Naturae caute vitandis opinionibus* paulo plenius tractabo eamque materiam peculiari Lectione discutiam.

Hoc loco, spreto aliorum erroribus, adhuc dicendum est, quod repugnet inter se, DEUM timere firmissimumque habere propositum, nihil faciendi, nisi quod Divinae convenit voluntati, et tamen scientiam Juris Naturae contemnere, nec Lege Naturae delectari; nam sine lumine intellectus adpectus et aversatio nostra non est,

nisi coeca facultas, et in tenebris ambulans ubivis offendit, dum inoffenso pede se progredi purat. Ut autem homo in omni casu et quovis tempore certior reddatur, quatenam sit perfecta DEI voluntas, cui obedire gessit, scientiam Juris Naturae sibi acquirere tenetur; alias enim ignorat, num actu DEO obediat, et saepius, dum DEO obedire vult, actus edit Voluntati Divinae contrarios. Multis equidem exemplis ex historia Ecclesiastica petitis, praesertim quoad delicta contra solum DEUM commissa ab hominibus ex supina Juris Naturae ignorantia nonnullam immaniter punita, praesentem illustrare possem materiam, sed vix licet mihi adeo esse prolixiori. Paucula potius adhuc de timore DEI filiali memorabo.

Hic timor DEI filialis recte dicitur *initium Sapientiae*, Proverb. 1. vs. 7. Sapientia autem postulat, ut recta media connectamus cum finibus optimis; at verus timor DEI non docet nos, quinam fines et quatenam media Voluntati Divinae optime convenient, sed hoc ex Lege Naturae Divina est cognoscendum: ergo timor DEI nos impellit ad scientiam Juris Naturae; ideoque quia ad hanc nobilissimam scientiam omniumque disciplinarum Reginam nos ducit; hinc eo respectu *initium sapientiae* nuncupatur. Et cum verus DEI timor filialis ex amore DEI profluat, prout jam probavi; hinc nihil timoris servilis secum ducit. *Timor non est in charitate*, inquit Joannes in Epist. 1. cap. 4. vs. 18. *sed perfecta charitas foras ejicit timorem: qui itaque timet, scilicet serviliter, is non est perfectus in chari-*

tate. Timor proinde *servilis* Lege Naturae non praecipitur, sed saltem *filialis*.

At quamvis haec omnia, quae jamjam explicavi, de timore DEI *filiali* secundum principia Sanctissimi Juris Naturae recte sese habeant, nemo tamen mortalium DEUM amplius timet timore *filiali*, nisi tanquam morigeri filii per amorem supra omnia cum DEO, Patre suo coelesti, in sanctitate veritatis conjungantur eorundem animi. Haec autem nostra cum DEO sanctissimo felicissima unio, peccatis nostris miserrime disrupta, reintegrari nequit, nisi auxiliante Numine Divino, qua modus ostendatur, DEUM nobis reconciliandi. Qui modus ex Opere Redemptionis divinitus nobis revelato conspicitur. Unde nunc percipietis, Revelationem cum disciplina Juris Naturae semper conjungendam esse, si haec ad veram felicitatem acquirendam nos ducat. Quae de re alio tempore plura edisseram.

Et jam data hac Revelatione *Fiducia nostra in DEUM et Adquiescentia in Providentia Divina* multo exsuperantior fit et stabilior. Magna autem felicitatis humanae pars in eo consistit, ut animum possideamus ab omni cura, qua angere poterat, vacuum. Hac animi tranquillitate vero non gaudemus, si a fobordia alienus sit animus, nisi *fiduciam in DEO* collocare et *in Providentia Divina adquiescere* tuto queamus. De hisce igitur secundum disciplinam Juris Naturae adhuc breviter agendum est, ut, his perpensis, de summa Revelationis

Di-

Divinae praestantia sublimius, quam vulgo fieri solet ab hominibus, qui conjuncta divellunt; judicare possit.

Fiducia autem ex repraesentatione boni certi oritur. **FIDUCIA IN DEUM** itaque nascitur ex consuetudine bonorum ab eo expectandorum. Ut vero hanc fiduciam in DEO collocemus, antea convicti esse debemus de maxima DEI sapientia, summa bonitate et immensa potentia. Sapientissime DEUS omnia in hoc Universo decrevit et vi potentiae suae ad existentiam perduxit; vi autem bonitatis suae summae cuiuscunque enti existenti; et quam maxime homini, tantumdem boni contulit, quantum salva sua sapientia fieri potuit. DEUS quippe revera intendit hominum felicitatem, prout Lectio III. de ultimo creationis fine plenius commonstravi. Quis igitur DEO non confidat, qui salutem nostram consulit; qui optime novit, quatenam nobis profunt aut obstant; qui potentia gaudet, cuncta dirigendi in bonos fines? Haec agnitio summarum perfectionum Divinarum hominem ab omni alicui anxietate liberat, ut se resque suas tranquille committat providentiae Divinae et in DEO fiduciam suam collocet.

Principi humano et patri terreno confidimus, si persuasi sumus, eos velle nostram promovere felicitatem ipsisque perfecta esse media, eo ducentia. Quidni igitur summo Universi gubernatori et Patri nostro coelesti, de cujus bonitate, sapientia et potentia nemo dubitare potest, plenissime confidamus? DEUS nos in optima rerum serie collocavit tantamque *essentialem* nobis tribuit perfectionem, ut si homo huic Naturae suae conven-

niamt viveret, etiam omnem, cujus capax est, *accidentalium* acquireret perfectionem et sic semper felix et nunquam infelix foret. Per hanc vero convenientiam actionum nostrarum cum Naturae Lege Auctor Naturae veram nostram intendit felicitatem. Quamobrem nostrum officium naturale est, ut hisce Naturae Legibus, tanquam optimis acquirendi felicitatem mediis, a DEO sanctis, obtemperemus, quo per hanc Legis Naturae custodiam felicitatis nostrae, a DEO intentae, participet reddatur; qui enim sine potiri vult, is recta media adhibeat, necesse est, ad finem istum consequendum ductentia. Absurdum quippe esset, si quis aliquando solide doctus evadere vellet, et tamen nullam in studiis recta insituendis adhiberet diligentiam. Nihil proinde absurdius est, quam velle, ut DEUS avertat, quoscunque nos infelices reddat, et tamen nolle, vestris uti mediis necessariis, quae DEUS ad felicitatem consequendam nobis praescripsit. Lex Naturae est, lex felicitatis obtinendae, quam si sequimur, ipsi DEO obedimus. Qui autem Legi Naturae non obsequitur, DEO obedire non vult; et sic abusu Libertatis suae in quaevis mala ruit seque ipsum privat bonis, quae consequi ex quibus suis poterat. Haec proinde mala non DEO tribuere, sed sibi imputare debet, dum DEUS ipsum, reapse seu proprie loquendo in non punit, ut mala ipsi infligat, sed potius homo se ipsum punit, seu privat, se bonis, quae ex recto libertatis suae usu acquirere debuisset et potuisset.

At, qui DEO obedit, sequendo Legem Naturae, quae DEUS nostrae felicitati consulere voluit, is certus esse

potest, quomocumque etiam res in posterum cadant), semper tamen id eventurum esse, quod ex parte sui melius est; et sic omnes eventus providentiae Divinae confidentius relinquit, DEUS quippe optime novit, quae nobis bona sunt; hominis autem iudicium de statu suo praesenti admodum fallax est, cum totum universi ordinem, sive nexum praesentium cum futuris eventibus non satis perspiciat. Ubique autem DEI bonitatem experimur; mala etiam physica, quae patimur, praemununt nos adversus multa mala moralia aut ab iisdem nos avocant; ideoque DEUM nobis in malis infligendis physicis repraesentare debemus instar prudentis Medici, qui sanando vulnera nostra aliquando dolorem nobis incutit, ut ab imminente malo graviori nos incolumes reddat. Negotia humana saepissime dubium habent eventum, nostraeque fortunae pendent plerumque ab aliorum hominum voluntatibus, quae non sunt in nostra potestate. Qui autem DEO confidit, facit, quod in sua potestate est, ut statum suum perfectiorem reddat; cetera tutius DEO relinquit et sic quoad praesentia et praeterita in providentia Divina adquiescit et quoad futura fiduciam in DEO collocat, qui animos hominum flectit et ducit, quo vult.

Quaecumque in mundo universo eveniunt, sunt DEO sic disponente. DEI autem actiones semper rectae sunt, ut nihil in iis reprehendi possit: nihil quoque DEUS absque ratione facit: connectit aptissima media cum finibus optimis. Summum universo finem praestituit felicitatem creaturarum rationalium et in hoc mundo praeser-

sertim hominem amat, ejusque salutem intendit. Haec omnia qui meditatur, facile inde argumenta petet, quod homo lege Naturae teneatur *adquiescere in providentia Divina.*

Non murmurandum itaque adversus DEUM, etiam si maligni homines nobis mala inferant, sed haec patienter ferenda sunt, quae emendare non possumus. Multa bona inde saepius eveniunt nobis aut certo post haec terrenam vitam evenient, quae non eveniunt, si mala non praecessissent. Mala quoad statum nostrum externum saepissime bona fiunt quoad statum nostrum internum. DEUS dirigit omnia in optimos fines; hinc nos creaturas minime decet in jus DEI, universum gubernantis, involare, sed oportet, quae nobis eveniant, animo ferre tranquillo, ut laeti simus, nostraeque sorte contenti nostram personam, quam DEUS nobis inposuit, in hoc mundi theatro recte geramus, satis gvari, DEUM tantundem boni in nos collaturum et tantundem mali a nobis averfurum esse, quantum salva Ipsius sapientia fieri potest, et si quae mala nobis forsan eveniant, ea quoque in bonos directurum esse fines.

Non angimur igitur propter futura, nec vanis desideriis excruciamus animum, sed *ordinem universi* sequimur hilares, omnemque curam abjicimus in DEUM, cui omnes nostrae res curae sunt. Quilibet personam suam in hac rerum serie recte gerit, si Legi Naturae seu voluntati Divinae obsequitur; et sic nemini status, in quo vivit, molestus esse debet. Actor fabulae non laudatur

ob

ob personam, quam repraesentat, sed quatenus eam pulchre et belle repraesentat: ita quoque in spectaculo scenae nostrae majorem adplausum meretur, qui rusticum bene egit, quam qui Principis personam male gessit.

Qui autem ordini universi seu Legi Naturae non obsequitur, is DEO obedire non vult et per consequens inpius est; inpius vero in DEO fiduciam collocare nequit. At! at! quis mortalium gloriari ausit, se Legibus Naturae obtemperasse? Mala proinde, in quae per transgressiones Legum Naturalium incidimus, propriae nostrae culpae sive abusui aut non-usui Libertatis nostrae, et neutiquam DEO T. O. M., adscribenda sunt, ut adeo transgressi Legem Naturae tamquam rebelles in Civitate DEI et immorrigeri filii, qui Patri suo obedire recusant, non amplius fiduciam in DEO, Universi Monarcha et Patre nostro coelesti, collocare possimus. Nihilominus tamen DEUS T. O. M. nobis perpetrati criminis *amnestiam* promulgavit, Gratiamque suam obtulit, FILIUM suum unicum nobis vadem et obsidem promissae Divinae benignitatis constituendo, dummodo hoc grande coeli depositum pia fide amplectimur. Nec unquam promissi DEUM poenitebit, cujus *insigne*, ut inquit *Grotius* de J. B. et P. L. II. C. XI. §. 4. n. 1. *nobis argumentum praebens Divina oracula, quae nos docent, Deum ipsum, qui nulla constituta Lege obstringi potest, contra Naturam suam facturum, nisi promissa praestaret.* Ex Natura igitur immutabilis justitiae et veracitatis DEI nunc in CHRISTO, generis humani SALVATORE, iterum fiduciam in DEO habere

bere et in providentia Divina tuto adquiescere possumus. Atque ex hisce denuo addiscimus, quantopere profundior Juris Naturae scientia Theologis necessaria sit et quantopere Juris Naturae cultores ad amplificandam hanc scientiam juvet, mentem Divinae Revelationis probe perspectam habere. Quod sororium utriusque disciplinae vinculum non satis haecenus curatum fuit, unde plerorumque doctrina moralis est tantum superficialia.

Natura non facit saltum, sed prout in physicis ex *Legē continuitatis*, sic et in *moralibus* perpetuo secum cohaeret. Et quemadmodum, ut *Juvenalis* ait, *visiorum quaedam elementa sunt, neque repente quisquam fit pessimus*; ita multo magis virtutum etiam quaedam elementa sunt, neque statim unico momento, nec hora, nec die, nec uno mense aut anno sanctissimus quisquam fieri potest. cum virtus sit *habitus* continuo *exercitio* acquirendus, virtutesque morales pendeant a virtutibus intellectualibus et pro harum gradibus illae quoque differant. Hinc graviter laborandum, ut, si fieri posset, omnium virtutum habitus adquiramus, nulli molestiae cedendum, nec in hac palaestra succumbendum, sed cogitandum, nullam victoriam esse gloriosorem, quam se ipsum vincere, et nullam augustius imperium, quam imperare sibi. Ubi vero deficiunt Naturae vires, ibi auxilium Divinum implorandum, ut nostrae inbecillitati et indigentiae succurrat. Sic tandem ubi desinit Natura, ibi certe incipiet Gratia, ut Gratia ita recte dicatur Natura auxilio Divino integritati restituta. Natura igitur ad Gratiā nos impellit, et qui Naturam contempnit, ipsam DEI Gratiā

am spernit. Sed ne in prolixiores digressiones prolaberemur, reliqua dicenda vestris relinquo meditationibus.

LECTIO XVII.

De Reverentia DEO exhibenda.

AMOR DEI supra omnia efflagitat, ut DEO summam exhibeamus REVERENTIAM; etenim amor in DEUM nascitur ex *vera et viva* cognitione summarum perfectionum Divinarum: *reverentia* autem consistit in honore, quem alteri tam verbis, quam factis exhibemus, qui nos virtutibus intellectualibus aut moralibus aut dignitate quadam antecedit; DEUS vero omnes homines summis perfectionibus suis quam longissime antecedit, omnesque creaturas suas infinito post se relinquit intervallo. Qui ergo hanc immensam perfectionum Divinarum magnitudinem ex contemplatione Universi et eorum, quae in eo sunt, fiunt atque facta sunt, agnoscit, et ex hac *vera et viva* cognitione DEUM amat supra omnia, ut hac DEI cognitione maxime delectetur, is non potest non DEUM summopere revereri, non solum externis suis actionibus, sed et internis mentis actionibus, in ipsa veritate. Sine hac *vera* DEI reverentia, quae non nisi ex *vera et viva* summarum perfectionum Divinarum cognitione oritur, et quae actibus *internis* absolvitur, omnis reverentia, quae actibus solummodo *externis*, utpote vultu, gestu et verbis tantum decla-

ra-

statum, profus vana, immo impia est et simulata quaedam *hypocrisis*, quae Legi Naturae vehementer adversatur. Homines actibus aliorum *externis* delectantur, quibus alii *vanam* ipsis reverentiam exhibent, quoniam ipsi *vanitate* ducuntur: haec reverentia, quae hominibus exhibetur ob dignitatem, qua sui per Naturam aequales antecedunt in Republica humana, saepius regitur sola opinione, non ipsa veritate; at DEUS detestatur omnem reverentiam, quae opinione et non veritate fititur: DEO quippe nihil placet, nisi quod perfectum est; quodque Legi Naturae convenit; perfectio autem postulat, et Lex proinde Naturae jubet, ut consensus adsit actionum nostrarum externarum cum internis.

Homines, quibus non datum est, nosse aliorum cogitationes, in actibus *externis*, quos verbis et gestibus ostendunt alii, adquiescere debent, et in hisce maxime sibi placent, quod alii paupum ipsis obtrudant; sed haec vanitatum scena non delectatur DEUS, qui omniscius est, et intima cordis humani penetralia perscrutatur, et qui praeterea fons est omnis Veritatis, ac proinde ipsi placere nequit, nisi *vera* reverentia, quae a creaturis rationalibus ob agnitam summam praecellentiam, DEO propriam, ipsi exhibetur. Nihil itaque absurdius est Legique Naturae magis contrarium, quam in cultu Numinis, quo nostram reverentiam Enti perfectissimo exhibeamus, solummodo in actibus externis adquiescere aut secundum mentis nostrae phantasmata DEUM abque *vera* perfectionum Divinarum agnitione reverentia. Coeca et imaginaria tantum est haec reverentia,
quam

Quam ex consuetudine, qua mortalium mentes in colendo DEO mirum in modum reguntur, Enti perfectissimo exhibere barde student.

Juris autem Naturae cultores maxime decet, ne ejusmodi humanas gesticulationes in reverentia DEO exhibenda imitentur, sed potius ut tamquam rationales universi et eorum, quae in eo sunt, fiunt atque facta sunt, spectatores se gerant, atque ex horum omnium attenta contemplatione imensitatem, inscrutabilitatem et incomprehensibilitatem summarum perfectionum Divinarum sublimae et pie meditentur, quod inde convincantur, tantam esse Divinae perfectionis magnitudinem, ut nullius creaturae perfectio, quantumcunque etiam hanc nobis repraesentemus, cum illa ullo modo comparari possit unquam; ideoque et reverentiam DEO exhibendam omnino summam esse debere, nec cum ullis creaturis, licet Angeli ex coelis sint, communicandam.

Idololatriam igitur committunt, qui hanc reverentiam soli DEO exhibendam praestant iis, qui DEUS non sunt. DEO autem soli competit jus determinandi modum, quo ab hominibus coli velit: et hunc DEI cultum peragendum ipse DEUS nobis mortalibus aut ex contemplatione universi, unde summae perfectiones Divinae cognoscuntur, indicavit, aut singulari Revelatione manifestavit, Ipse quippe solus est benignissimae voluntatis suae, qua homines beare vult, idoneus interpres. In causa itaque Religionis, quam soli DEO debemus, nulli mortalium, quantumvis etiam sanctitate praedito, nec

Q

An-

Angelis ex coelis, si ad nos, terrae incolas, venirent, fides est habenda, quando aliud Jus Naturae, quam quod ex *ordine universi rerumque finibus* conspicuum est, docere nos, aut aliam nobis Revelationem, quam quae sacris continetur Pandectis, indicare vellent. Ex solis iraque hisce duobus fontibus, utrisque Divinae originis, Jure scilicet Naturae et Sacra Scriptura, omnia, quae DEO praestemus, derivanda sunt officia, posthabitis in Religionis causa constitutis humanis et detracta quoque cunctis Conciliis Synodisque Ecclesiasticis omni injusta auctoritate. Qui enim DEUM, prout par est, reveretur, is in rebus *Divinis* nullam agnoscit *humanam* auctoritatem, nec etiam fidei *formulariae* tam anxie insistit, quin potius argumentorum fontes adire studeat, priusquam istiusmodi impuros saepe rivales consectatur.

Reverentia, quam DEO longe supra omnes creaturas debemus, postulat, ne Divina humano submittamus arbitrio, nec unquam hominibus magis, quam ipsi DEO placere studeamus. Amor in DEUM supra omnia, Timor DEI filialis, Obedientia DEO praestanda, et Fides in DEUM a nobis exigunt, ut veritates Divinas libere profiteamur, nec vano hominum metu inde deterreamur. Felix autem in eo est genus humana, quod Jus Naturae Divinum nondum vagis quorundam hominum opinionibus adstrictum fuerit, sed cuique sua sententiæ dicendique Libertas sarta-testaque haecenus steterit, siue id contigerit, quod generosioris metalli Jctis hanc disciplinam tradendi provincia demandata fuerit, siue quod

quod Theologis, qui suae, cui adhaerent, sectae ceteras disciplinas tamquam abjecte famulantes pedissequas subjugare solent, nondum licuerit, Jus Naturae certis *orthodoxiae* formulis implicare, sive denique id, et hoc primo loco memorare debuissim, acciderit Principum Europaearum Gentium favore, quo Jurisprudentiae Naturalis progressum faciliorem reddere satagunt, nos saltem veneramur hac in re benigniorem Juris Naturae Auctoris Providentiam, quod in hoc studiorum genere adhuc, dum inter homines bene moratos vivimus, libertatis auram captare liceat, nec in nostra disciplina *servi hominum* facti simus, dum *Servos DEI* agere nos oportet.

Equidem Pontificiorum Clerici jam quondam per suum Jus *Canonicum* tentarunt ex suae Ecclesiae Sancitis Jus Naturae *orthodoxum* efformare, sed Protestantes nondum eo temeritatis prolapsi sunt, licet eorum nonnulli *Decalogum* tamquam perfectissimum exemplar aut optimum compendium Juris Naturae nobis lubenter obtrudere velent, quo scilicet haberent, unde de *orthodoxia* nostrae disciplinae ex Ecclesiae formulis, ceu ex Tripode dictis, vultu ad severitatem composito dijudicarent, omnesque ad orcos condemnarent, qui duplicem *Vicariatum DEI*, unum scilicet in Ecclesiasticis, et alterum in Civilibus, sive omnem humanam potestatem *immediate a DEO esse*, credere detrectant.

At, pace Clericorum cujuscunque Ecclesiae Christianorum externae, nos Laici, quos quondam *idiotas* dixerent, tandem ex diligentiore Juris Naturae cultura, sub-

lato nunc superstitionis sipario et detracta mysterio iniquitatis larva, id saltem secundis avibus percipimus, duplicem *Vicariatum* illum, quem somniant, Legi Naturae vehementer repugnare. Ideoque et nos Laici, qui DEUM maximi facere Lege Naturae immutabili, aequae ac Clerici, obligamur, nunquam coecam habere fidem debemus Clero aut integrae etiam Ecclesiae, ex fallacibus hominibus compositae, in profitendis veritatibus Divinis, sed ex reverentia erga DEUM, quae omnem humanam auctoritatem quam longissime excedere debet, quisque mortalium in suo individuo tenetur, suum et non alienum iudicium in rebus Divinae auctoritatis sequi. Quod Juris Naturalis officium etiam quam maxime incumbit omnibus S. S. Theologiae cultoribus, si quando Ministri DEI et non servi hominum fieri velint. Hodie autem nascimur scilicet! Christiani et inter Christianos fervidissimi Sectarii, ut Religionem quasi cum lacte nutricis hauriamus et in colendo DEO parentum Sectae, quasi glebae adscripti, jugiter inhaereamus, et sic more Majorum et non ex agnitis DEI perfectionibus Religionem quandam profiteamur, quae ideo ab omni reverentia erga DEUM prorsus denudata est et potius in meram phantasiam aut in idololatricam, si non *crassam*, saltem *subilliores* definit, dum ita non verum DEUM, sed hominum commenta et opinionum *idola* veneramur.

Reverentia equidem erga DEUM postulat, ut etiam homines, qui cognitionem perfectionum Divinarum promovent, venerentur iisque debitum honorem et ver-

bis

bis et factis exhibeamus: at hanc tamen venerationem hominibus significare tenemur, Legibus Naturae consentaneam; ideoque *propter* DEUM. Justa enim reverentia DEO exhibenda fluit ex amore DEI supra omnia, qui amor iterum ex agnitis DEI perfectionibus originem ducit, ut summis perfectionibus Divinis delectemur. Qui vero DEUM amat Eumque ex *vera et viva* cognitione maxime reveretur, is etiam gaudium capit ex eo, quod alii homines summas DEI perfectiones ubique pandant regnumque veritatum salutiferarum amplificare studeant; et hinc etiam *propter* DEUM istos homines in honore habet. Veruntamen si deprehenderit, homines, qui DEI causam agere praetexunt, non DEO, sed sibi operari, ut *externam* quandam obedientiam in rebus fidei aut Religionis, nec non in veritatibus Divini Juris Naturae commonstrandis ab aliis hominibus, quos vili *Laiorum* nomine despiciunt, temere exigant et inde *aequalitatem hominum Naturalem*, a nemine mortalium in regno veritatum Isocratico violandam, tollere adlaborent; tum reverentia erga DEUM, quae summa esse et reverentiam erga homines omnesque creaturas longe antecedere debet, omnino a nobis postulat, ut illorum superbiam elatosque animos, qui magisterium in regno veritatum adfectant et in jus DEI involant, secundum Legem Naturae retundamus. Qua de re Venerabilis Theologus, Cl. Jo. Coccejus in tr. de S. Scripturae potentia Part. 3. Cap. 31. Quaest. 9. admodum egregie scripsit hisce verbis: *Fideles propter conscientiam tenentur non fieri Servi hominum, non dogmatizatae doctrinis et praecipis hominum,*

Q 3

non

non suscipere signaturam alienam; et tale imperium sibi vindicanti tamquam aut. xxiij. resistere.

DEUM revereri tenemur supra omnia eumque honorem, qui DEO debetur, verbis et factis quavis opportuna occasione significare debemus. Qui vero DEUM supra omnia veneratur, is summum imperium, quod DEO competit in omnes suas creaturas rationales, reverenter agnoscit, nec unquam hominibus aliisque creaturis tribuit, quod soli DEO privum est. Nullum autem imperium absque Legibus datur; tyrannis equidem dari potest absque Legibus, sed non imperium, nedum Divinum, quod semper legitimum est, quamvis absolutum sit. DEUS autem sublata *Theocratia*, populo Hebraeo propria, suum imperium in homines exercet unice secundum Leges Naturae, per ordinem universi sancitas, et per Revelationem explanatas. Quas igitur Leges si quis contemnit sive verbis sive factis, is DEUM non reveretur, sed imperio Divino se aliosque subducere impie conatur. Reverentia itaque erga DEUM cum contemptu Legum Naturalium subsistere nequit; Leges quippe Naturae sunt Leges imperii Divini fundamentales, quarum scientiam si quis vilipendit, is commune Civitatis Divinae bonum negligentius tractat, et Religionis, quam profitetur, Christianae mentem non perspicit. Credere in CHRISTUM et Leges Naturae Divinas, secundum quas REX noster Divinus gubernat, in contemptum adducere aut illarum scientiae progressum inter homines sufflaminare, nihil aliud est, ac unquam CHRISTUM amplecti et altera Eum procul hinc de-

Abstrudere. Siccine *credamus*, ut nihil *agamus*? Quas hæc esset Religio? Pantomimica aut profecto non *Rationalis*, sed indigna, quæ nomen *Religionis* fortia-
tur. Aut, si quid *agamus*; unde tum normam agendi cognoscamus, si scientiam Legum Naturalium a *Christianismo* propellamus? In hac scientia non datur NI-
MHUM, sed semper PLUS ULTRA, quoniam hæc Leges in perfectionibus Divinis fundantur, quæ infinitæ sunt; et sic datur perpetuus progressus ad majores continuo perfectiones; datur progressus non solum de virtutibus in virtutes, sed et de cognitione in cognitionem, unde nova semper exorientur agendi motiva, quæ hanc Divini Juris Naturæ disciplinam in omnem æternitatem amplificabunt.

Veruntamen non sufficit, *verbis* et *ore* profiteri sanctitatem et amplitudinem Divini Juris Naturæ, sed, ut summam DEO reverentiam exhibeamus, omnino convenit, ut *factis* quoque significemus, nos summum sanctissimumque DEI imperium maximi facere; ideoque nullum imperium humanum adeo validum esse, quod nos ab imperio Divino subducere possit. Qui vero ita summam DEI perfectiones reverenter agnoscit, is alios quoque ad summam reverentiam DEO ex agnitis ejus perfectionibus exhibendam, ideoque etiam ad majorem Legum Naturæ observantiam perducere studet. Quamobrem Leges quascunque humanas, sive Civiles, sive Ecclesiasticas, ad præcepta Naturæ Divina diligentius examinat, omniaque constituta humana, Legibus Natu-
Q 4
rie

rae contraria, tamquam injusta intrepide pronunciat. Veritatem praeterea Religionis suae, de qua aut convictus aut saltem persuasus est, libere inter homines profertur, aliosque erroris convincere adlaborat, ut hi etiam DEUM maximi faciant. Non autem in hisce sibi in alios iudicium sumit, sed modestius suam sententiam profert, meliora tantum suppeditando argumenta, quae si alii sequi nolint, patienter fert, quae mutare nequit. Neutiquam vero *vicarium* DEI agit aut suae opinionis *idolum* aliis obtrudit vel iram Divinam comminatur iis, qui secus sentiunt. In re enim animi nemo alterius conscientiae tribunal agnoscere tenetur, nec DEUS unum alterius arbitrio Natura subiecit, sed sibi Soli in omnium conscientias imperium reservavit, quod jus DEO primum qui violat DEIque Vicarium inter homines, sui aequales, gerere adfectat, is neutiquam DEUM maximi facit.

DEUM vero qui maximi facit, is Leges Naturae in summo habet pretio; ideoque sua facta ad haec Divina praecepta severe perpendit, eumque transgressionum suarum sincere poenitet, quod inde gloriam DEI T. O. M. turpiter obscuraverit. Ex quarum actionum turpitudine maestitia animum subit, quae tanto gravior erit, quo magis quis amplitudinem summamque Sanctitatem Legum Naturalium perspectam habet, ut inde foedam peccatorum turpitudinem sibi ob oculos ponat, quibus perpetratis disrumpitur unio DEUM inter hominesque peccatores, et hac disrupta nulla dari potest perfructio Summi Boni, a qua si alieni sumus vera nostra cessabit felicitas.

licitas, quae sine custodia Legis Naturae nullibi invenitur. Ab hac autem saluberrima Legum Naturalium via semel aberrantes, jure civium in Republica Divina abalienati sumus et tamquam extorres a patria coelesti circumvagamur in hoc mundo terreno, nescii, quo nos fata trahant. At vero ea fuit benignitatis Divinae magnitudo, ut fluctibus et tantis hominem tæntisque tenebris iterum in tranquilla et clara luce locaret, certum illi iter ad veram et perennem felicitatem *Revelatione* ostendendo. Sic nunc Legum Naturalium Sanctitas inconcussa stat, ut SALVATOR generis humani, loco peccatorum, Satisfaciendo Naturae nostram adquisiverit salutem, dummodo poenitentia ducti hoc summum Divini Redemptoris meritum anhelamus: unde nostra peccatorum maestitia fit *λυπη κατά Θεον*, ut Apostolus *Paulus* in Epist. II. ad Cor. VII. vs. 10. loquitur, quae ex *viva* DEI agnitione, ex amore in DEUM supra omnia, ex timore DEI filiali et reverentia DEO exhibenda nascitur atque sic ex DEO est et nos ad DEUM, omnis boni nostraeque verae salutis fontem, reducit, ut *secundum* DEI Leges Naturae vivere gestiamus. Scientia itaque Legum Naturalium, Divina Revelatione collustrata, est optimum respiscendi medium,

Hisce autem omnibus attenta mente perpensis Natura impellimur, ut DEUM maximi faciamus ob summa in nos collata beneficia, quod ordinem Naturae, peccatis nostris deformatum, per Gratiam suam in Filio suo unico manifestatam pristino nitore restituerit, nobisque Revelationem dederit, immutabilibus Naturae Legibus ap-

prime consentaneam. Hanc consonantiam *Naturae et Gratiae* si Theologi, quos maxime decet, magis perspicerent profundiusque callerent et publice commostrarant; mihi equidem persuaderem, inde majorem Religioni nostrae dignitatem accessuram esse, ita ut *Athei, Deistae et Naturalistae* alique profani homines non amplius haberent, quo Religionem Christianam in ludibrium vertere possent. Sed haec tenus supina Juris Naturae ignorantia fecit, ut nonnulli Theologi nostram disciplinam, cujus sanctitatem, immo Divinitatem non perpendunt, vili contemptu etiam publice e suggestu sacro despiciant, usumque Rationis dissuadeant, ut Revelationis dignitatem eo magis extollere videantur, quasi homo miops, qui defectu visus laborat, sibi unum oculum effodere deberet, ut altero perspicacius videret. Hoc autem imprudenti consilio, ne quid gravius dicam, homines a nostra Religione Christiana alienos adhuc longe ab eadem alieniores reddunt, ut adeo hisce inconcinnis vociferationibus in causa sint; quod *Libertinismus* per multorum vitam latius serpat, cui malo averruncando optima mihi quidem medela videtur, solidiorem ex profundioribus Naturae principiis tradere disciplinam moralem, ut homines *secundum Naturam vivere* discant, quo *Gratiae* participes fiant Divinae; qui enim alios erroris convincere volunt, id Naturae *humanae* convenienter instituere debent; nihil autem convenientius est Naturae *humanae*, quam ipsum Jus Naturae, quod si quis contemnit, *Rationalis* esse desinit et in censum brutorum abit. Haec disciplina nos comiter ducet ad Religionem *Christianam*, quae *Naturae* congrua est, ex-

explorandam et, illius examine bene instituto, eandem obnixè amplectendam. Qua in se meliora speramus tempora!

LECTIO XVIII.

De Celebratione nominis Divini.

Duo sunt opera Divina maxima, quae omnibus universi incolis rationalibus amplissimam celebrandi nominis Divini materiam praebent, *Creatio* nimirum *Universi* et *Providentia*, qua DEUS T. O. M. cuncta conservat et gubernat: hisce accedit Divinum *Redemptionis* opus, quod nobis, terrae incolis, aut saltem Christianis, singularem celebrationis Divini nominis causam suppeditat.

Celebrare autem DEUM dicimur, quando laudem DEO debitam commemoramus: at veram laudem alteri tribuere non possumus, nisi verum de alterius perfectionibus iudicium ferre valeamus, alias est vana laus, qua nemo prudens, nedum Sanctissimus DEUS, delectatur. Homines vana ambitione ducti, delectantur laude sibi ab aliis tributa, vel quod animum laudantis introspicere nequeant; vel quod sibi placeant, dummodo ab aliis laudentur. Veruntamen DEUS est cordium scrutator nihilque Ipsi placet, nisi quod perfectum est, quodque cum veritate summarum perfectionum suarum, ideoque cum suprema Naturae Lege convenit. Haec igitur jubet

bet, ut DEUM non vanis laudibus, aut ore tantum, sed in ipsa veritate ex toto animo celebremus, omnemque facultatum nostrarum usum in Numinis Divini laudem commemorandam impendamus. Quamobrem laus DEO tribuenda omnino supponit cognitionem attributorum Divinorum, ut ea ex contemplatione Universi et eorum, quae in eo sunt, fiunt atque facta sunt, antea sedulo pensitaverimus. Quapropter ut nomen DEI recte celebremus, omnino Divina *Creationis*, *Providentiae* et *Redemptionis* opera perpendere debemus.

Quando enim opus *Creationis Universi* expendimus, DEUM nobis repraesentamus tamquam architectum totius mundi rerumque omnium in eo existentium et tamquam auctorem et dominum Naturae, omnisque boni datorem, ut singulae res, etiam minimae, sui fabricatorem Divinum indicent, sintque specula summarum conditoris perfectionum, atque universi mundi compages enarret gloriam DEI T. O. M. quo nihil vigere potest majus, nihil simile aut secundum, sed omnia prae illo exigua, ut revera sunt, et vilia videri debent. Sine DEO enim cetera omnia sunt tantum apinae tricaeque, et si quid vilius istis. Immo cuncta, quae videmus aut sentimus vel mente contemplamur, sine DEO in triste tandem et lamentabile nihilum desinunt. Sine DEO igitur nihil est, et nullius quoque pretii, quodcumque existit; existunt enim omnia ex illo et per illum et in illum, ut ipsi sit gloria in omnem aeternitatem. Omnes itaque res, utpote auctoris et Domini sui proprias, Naturam vero universam et nosmet ipsos tamquam servos
DEI

DEI spectamus, qui voluntatem Domini sui prompte exequi tenentur secundum Leges Naturae praescriptas.

Quando autem *providentiam Divinam* pensitamus, DEUM spectamus tamquam conservatorem et gubernatorem universi, qui omnia, quae virtute sua fabricatus est, etiam sustinet, iisque praest, ea moderatur et regit, ut nihil quicquam respectu DEI casu fiat; sed et fortuna, quam dicimus, eidem subsit, cunctaque in aeternum certa DEI Lege decurrant, qua totus rerum ordo ita est constitutus, ut unumquodque inserviat usibus alterius et praesertim quoque nobis.

Non sane res est levioris momenti, contemplari hoc Universum, in quo DEUS nos tamquam rationales spectatores constituit: profecto! neququam eo fine, ut huic Universi ordini, rerumque finibus seu, ipsis Naturae Legibus nosmet audacter exitamus, aut sacrilego ausu huic absoluto et simul tamen paterno DEI imperio, quod secundum hasce saluberrimas Naturae Leges exercet, nosmet subducamus. Res itaque est, ut mihi quidem rationibus bene subductis videtur, tanti ponderis, ut nesciam, an unquam gravior veritas mortalium mentes percellere possit, quam haec vox DEI: *vive NATURAE convenienter*. Propter hanc enim disturbatam *Naturae* convenientiam Diaboli, inter rationalium creaturarum cohortes antea eminentissimi, nunc aeternis miseriarum latebris coërcentur: propter hanc quoque *Naturae* convenientiam, peccatis nostris diremptam dissociata est unio, foedus illud felicissimae concordiae *Naturale* DEUM inter,
Na.

Naturae Auctorem, et nos, *Naturae contemptores turpissimosque violatores*: propter hanc praeterea *Naturae* convenientiam a nobis disruptam, denuo instaurandam, CHRISTUS in mundum venit, ut *Naturae ordinem*, a nobis foede deformatum, pristino suo splendori restitueret, quo nos in sanctitate veritatis iterum *NATURAE convenienter vivere* discamus: hanc denique *Naturae* convenientiam, prae lucente Ratione, perpensis rerum omnium finibus, ex *Libro Naturae* atque ex *Libro Gratiae*, utrisque Divinis Divinae voluntatis indicibus, simul ordinatissimae inter se connexis, profunde addiscimus.

Incolae enim universi sumus, ratione praediti, *Libroque Naturae* per ea, quae universo ex rerum essentis in eodem existentibus insunt, nobis ita luculenter panditur, ut inde cognoscamus summam DEI potentiam, sapientiam et maximam bonitatem, nostramque inde dependentiam. Totam quippe nostram *essentiam* a DEO esse, *Libro Naturae* evidenter indicat, nosque docet, totam nostram *existentiam* per DEUM conservari et mundum universum ita a DEO gubernari, ut tantumdem boni nobis conferatur ac tantumdem mali a nobis avertatur, quantum salva Summi Numinis, omnia gubernantis, sapientia fieri potest, adeo ut etiam mala, quae nobis obveniunt, in bonum dirigantur finem. Quamobrem inde convincimur, quicquid boni homo Natura habet et quicquid boni homo sibi praeterea acquirit, et quicquid mali denique ab homine abest, id omne non sibi, sed unice DEO tribuere.

buendum esse. *Liber Naturae* itaque amplissimam nobis suppeditat DEUM celebrandi materiam.

Liber Gratiae vero ad universi, nec saltem terrae incolae quoque pertinet. Etenim in hoc mundo univ[er]so datur ubique rerum nexus: hic nexus obtinet in mundo aequae *rationali*, et *moralis*, ac in mundo *materiali*. In mundo quippe *rationali*, posito uno errore tamquam principio demonstrandi *vero*, quod tamen in se *falsum* est, sequuntur multi plures errores, dum enim primum demonstrandi principium falsum fuerit, omnia exinde derivanda consectaria vera esse nequeunt. Sic continuus datur progressus falsitatis et sic inde nascitur systema quoddam errorum. Exemplo esse potest systema *Spinozae*, qui methodo demonstrandi abusus fuit, quod falsa principia absque debito veritatis examine tamquam vera principia demonstrandi adhibuerit. Hinc *Spinoza* adeo spinosus est, ut a nemine absque erroris periculo tangi possit, nisi qui arte rite demonstrandi oppido est instructus. Sic in mundo *rationali*, utpote in *Logicis*, quando unum rationum falsum sive error commissus fuerit, inde per nexum alii oriuntur errores: Sic quoque in *arithmetis*, ubi si calculus quoad unum numerum falso subditus fuerit, alios deinde plures in calculo errores parit

Eodem modo se res habet in mundo *moralis*, quod nimirum commisso uno peccato per nexum causarum et effectuum nascatur alterum et ex hoc iterum aliud, atque sic porro. Hi errores in *moralibus* sive ipsi pec-

peccata non ita facile detegere et corrigere possumus, quam quidem errores in mundo *rationali*; nam in mundo *moralì* voluptas *sensitiva* nobis bonum tamquam malum et malum tamquam bonum repraesentat: haec igitur repraesentatio boni tantum adparentis et mali adparenter talis fit motivum in adpetendo et averfando. Quodsi autem jam semel voluptatem perceperimus ex bono adparenter tali, mox data alia occasione voluptas antea percepta, vi *memoriae* jam perceptae voluptatis et occasione sensationis praesentis denuo nostram occupat *imaginationem*. Unde *proclivitas* peccandi nascitur et saepe repetitis peccatis *habitus* peccandi adquirimus; inde perpetuus datur progressus de peccatis in peccata, quo demum delabimur in *Servitutem moralem*, ut non amplius nostrum domini simus.

Nos igitur terrae incolae, ratione praediti, tantopere a nobismet ipsis abivimus, ut non rationi amplius obtemperemus, sed, nobilissima humanae Naturae parte neglecta, Naturam solummodo *animalem* sequamur. Sic servi facti sumus *imaginationis*, adeo ut facultates animae nostrae superiores serviant facultatibus animae inferioribus. Unde adpetitus et averfatio *sensitiva* ubique praedominatur adpetitui et averfationi nostrae *rationali*. Ratio itaque, quae nobis carior esse deberet, utpote quae secundum Legem Naturae *humanae* ubique in actionibus nostris facem praefertet, fere nullibi adparet, nisi in excogitandis artibus et variis machinationibus, quibus eo facilius sensibus nostris seu carnalibus delectationibus velificemur. Hoc autem modo abusus tantum
 ra-

tationis nostrae, non tamen rectus ejusdem usus inter homines, qui vanis argutiis suis nimium sibi placent, conspicitur: inde multifaria mentis humanae praejudicia, quibus in pensandis veritatibus deludimur: inde omnia vitia moralia. Et, qui summus est pravitatis humanae gradus, homo adhuc, quasi rebus bene gestis, de suis vitiis gloriatur atque ex ipsa sua *servitute morali* maximam percipere sibi videtur voluptatem. Periculosior itaque hicce *morbis moralis* est, quoniam homo se aegrotare ignorat et sic nullam desiderat medicinam. Ingravescit proinde in dies hicce morbus, viresque paulatim omnes pro recuperanda vitae moralis sanitate deficiunt. Et prout cum statu moralitatis sano, ubi omnibus modis rectitudo actionum secundum Legem Naturae adest, etiam perpetua et vera felicitas est conjuncta; sic statum hominis moraliter morbidum perpetuae comitantur miseriae sive poenae aut privationes boni, quae naturaliter cum peccatis cohaerent, quia progressus peccatorum indivulso Naturae nexu progressum ad majorem subinde perfectionem obtinendam impedit, et sic hominem verae felicitatis incapacem reddit, eumque omni vero bono privat, ut ipsi nullae amplius vires sint ad veram consequendam felicitatem, sed per abusum libertatis suae transgrediendo Legem Naturae in peccatis *morsuus* sic sive *mortem aeternam* secum in sinu ferat. Fontem igitur perpetuae miseriae homo ex se ipso habet, non autem ex causis, quae extra illum positae sunt.

Verum enim vero, quamvis ita homines in hoc universi ordine ex rationalium classe in censum brutorum

R

sele

sefe detruserint, ut fere praeter os subline et erectos ad sidera vultus nihil quicquam, quo a bestiis satis distinguantur, reliqui amplius habeant, noluit tamen mundi conditor, qui mixtam quandam ex *animali* et *rationali* Naturam in hoc terreno orbe nobis adsignavit, laceras Rationis humanae lacinias penitus periri, sed, inbecillitatis nostrae gnarus, Divina nos ditavit *Revelatione*, ex qua DEI Majestatem creandi, mundi autem contingentiam, originem quoque mali, et detestandam peccatorum turpitudinem, DEIque tamen sanctitatem quoad mali permissionem, Ejusque justitiam, sapientiae regulis attemperatam, ac summam bonitatem immensamque providentiam Divinam et quae plura sunt supremi Numinis attributa evidentius cognoscimus, viamque inde planam invenimus, qua criminibus nostris expiatis iterum ex multifariis aberrationibus nostris ad meliores redeamus mentes atque cum DEO reconciliati aeternae salutis concipiamus fiduciam. Quod grande Numinis secretum nemo mortalium absque singulari DEI Revelatione ex hujus, quod spectamus, universi ordine perspicere, quantum satis erat, unquam potuisset, sed solummodo levem quandam in DEI bonitate et misericordia spem, ex obligatione naturali ad propagandum genus humanum alendam, capere singulis licuisset.

Haec igitur *Revelatio* divinitus nobis data foecundissimam praebet DEUM celebrandi materiam. Hac quippe Revelatione fulgentissime illustrantur summae Summi Numinis perfectiones, praesertim immensa Ejus bonitas, qua ipse DEI FILIUS e coelis dimissus et ad nos,

nos, terrae incolas, tamquam Legatus Divinus veniens, humana vestitus est Natura, atque per omnia nobis similis factus, excepto peccato, qui est imago DEI invisibilis, *πρωτότοκος πάσης κτίσεως*, Col. 1. vs. 15. Isque testatur, se vadimonium pro nobis stitisse apud Patrem Suum et nostrum coelestem, ut in se adoptaremur in filios, sanctos et integros vitae scelerisque puros coram illo per charitatem. Sic per illum omnia felicissime instaurantur et ordo universi in rebus moralibus, peccatis nostris foede deformatus, pristino suo nitore restituitur. Huic igitur fundamento salutis amissae recuperandae homo nunc per veram fidem secure innititur, ut trepidantem ad quaevis minitantis coeli murmura tranquillare possit conscientiam. Officium itaque *Naturale* nobis, ad quos ea Revelatio pervenit, quam maxime incumbit, eandem perquirendi et ruminandi, ut mentem Divinae benignitatis ceterasque summas DEI perfectiones inde sublimius intelligamus atque ob hoc *Gratiae opus*, quod inter ea, quae in hoc universo facta sunt, primum occupat locum, nomen celebremus Divinum.

Omnia autem officia erga DEUM, ideoque etiam celebratio nominis Divini ex cognitione DEI *viva* excitantur; nec absque hac *viva* DEI cognitione nostrae actiones *morales* DEO placere possunt, cum DEUS potissimum in actionibus moralibus animum respiciat. *Viva* tamen cognitio non datur, nisi quis de *veritate* convictus fuerit; ac convinci nequimus de veritatibus nondum cognitis. Ergo cognitio *vera* praecedat, necesse est, antequam *viva* esse possit. Quodsi igitur quis

vacuum ab iis veritatibus, unde perfectiones Divinae cognoscantur, adhuc possidet animum, is DEUM in veritate celebrare nequit. Ideoque pro gradu cognitionis DEI etiam status differt animi DEUM celebrantis. Hinc experimur saepius, homines magis pios, quam doctos, quando DEUM celebrent et gloriam DEI illustrare studeant, nonnunquam in verba erumpere, quae sensum, qui rem exprimat, nullum habent, sed soni tantum sunt, mente cassi, praesertim quando de *insolito Legum Naturalium praeconio* vociferantur, quasi *Natura*, in sensu *moralis* sumpta, et *Gratia* inter se pugnent, atque data *Gratia* jam *Natura* vilescat, quae rudes voculae satis indicant statum animi ita loquentis in confusis ideis adhuc obversantis.

Solidioribus autem Theologis, qui praeter mentem Revelationis etiam Jus Naturae ex profundioribus principiis callent, omnino convenit, ut statum animi, DEUM in veritate celebrantis, distinctius explicent, nec ab *usu Rationis* nos avocent, dum *Revelationem* extollere student, aut *Naturam* vilipendant, ut *Gratiam* majoris faciant. DEUS enim cum Auctor *Naturae* sit aequae ac *Gratiae*, nobis *Revelationem* dedit, ut ad rectum *Rationis* usum, a cuius illimi serenitate per deceptrices sensuum illecebras longissime in quaevis mentis phantasmata abducti sumus, per Spiritum Veritatis reducamur, quo ex censu brutorum in classem rationalium creaturarum redeamus et ita quasi postliminio iterum gaudeamus Jure Naturae *humanae*. Numne itaque *Rationem* abjuremus, ut DEUM ob *Gratiam*

tiam nobis concessam in *Veritate* celebremus? Quid tum est *Veritas*, si *Rationis* usum tollamus? Sane DEUS non bestiis, sed hominibus, facultate ratiocinandi praeditis; Revelationem suam benignissime largitus fuit; ideoque etiam haec *humanae*, id est, Rationali Naturae consentanea esse debet, ut ejus *veram* mentem atque Divinitatem Ratio humana etiam suis viribus adsequi et intelligere possit; Revelatio enim intellectu impossibilis nomen Revelationis amittit, ut nemo inde obligetur, cum nemo suis viribus et recto Rationis usu ad ejus notitiam pervenire queat.

Definant igitur, quibus vera pietas curae cordique est, rectum Rationis usum quoad Divinam Revelationem vilipendere, et pergant graviter, si cultum DEI rationale homines deerrantes docere velint, *non-usum* et *abusum* Rationis Naturae *humanae* convenienter indicare, ut fatui homines resipiscant, DEUMque in cognitione et sanctitate veritatis ex assidua universi et eorum, quae in eo sunt, fiunt atque facta sunt, contemplatione, ac imprimis ex perinvestigatione et meditatione Divinae Revelationis, addita autem solidiore Legum Naturalium scientia, omnibus, quibus fieri potest, modis celebrare discant.

Haec quippe celebratio nominis Divini eo perfectior erit, quo amplior viva attributorum Divinorum cognitio datur. Nos autem ad omnem perfectionem adquisitu nobis possibilem in celebrando DEO Lege Naturae obligamur. Ergo non sufficit, si nomen Di-

vinum, prout par est, ex tota anima, ex toto corde et ex omnibus viribus celebremus, ut tantummodo ex compendio quodam Theologico aut etiam ex Locis, quos dicunt, Communibus, aliisque id genus adminiculis sapiamus, sed requiritur, ut universum et ea, quae in eo sunt, fiunt atque facta sunt, ad quae etiam omnino pertinet Divina Revelatio, quotidie contemplerur, quo inde perpetuo progrediamur de cognitione DEI ad majorem DEI cognitionem. Sic seduli semper et nunquam ignavi spectatores universi esse debemus; nihil quicquam enim, ne res quidem minima, quae forsan ita nobis videtur, in hoc universo occurrit, quod non ansam nobis praebeat, celebrandi nomen Divinum.

Amor DEI et reverentia erga DEUM in hanc nominis Divini celebrationem omnino influunt. Ex amore autem consequitur, ut amans perfectionem et felicitatem amati promovere studeat: at DEI perfectiones et felicitatem nemo promovere potest, quia est absolute perfectissimus et semper beatissimus; hinc, licet impossibilitas objecti impediatur, quo minus DEUM amans ejus perfectiones promoveat, id tamen saltem, quod in nostra potestate est, ex amore in DEUM agere tenemur, ideoque is, cui DEUS ob summas ejus perfectiones placet, easdem reverenter profitetur, et omne studium impendit, ut in DEI cognitione majores in dies faciat progressus, nomenque Divinum quavis data opportuna occasione celebret.

Inprimis vero Christiani ex natura Christianismi obligantur

gantur ad celebrandum DEI perfectiones, quas in CHRISTO manifestavit. Quapropter hoc Divinum Redemptionis opus maximi facere et inter homines veram Religionis Christianae indolem sedulo propagare tenentur, rejectis omnibus praeconceptionis et humanae phantasiae praejudiciis. Non igitur CHRISTUM profiteri nomenque Divinum in REDEMTORE celebrare debemus ex *formulis* quibusdam ab hominum quorundam coetu praescriptis, ut eas recitemus tamquam nudos sonos, mente cassos. Plerique Christiani, aut saltem Laici, quod pace vestra dixerim, sunt tantum clericorum, quos vocant, Echo, ut verbis utantur ex formula quadam, a Clericis composita, eamque memoriae mandent. Sic in profitenda Religione sua, quae Christianam audiatur, per modum instrumenti sese habent in recitandis formulis, quibus clero non CHRISTO placent, quoniam favor cleri magis, quam amor et meritum CHRISTI, in quo DEUS hominem dilexit, ipsis placet.

Sin igitur DEUM in CHRISTO celebremus supra omnia, rejectis cunctis humanae auctoritatis praejudiciis et procul habita etiam Cleri prae Laicis in rebus veritatis Divinae dijudicandis injusta praerogativa, ipsimet examine desuper bene instituto profundiore ex ipsis S. Litteris haurire debemus Religionis Christianae cognitionem, eamque nulli sectae attemperare, sed DEUM in CHRISTO per agnitas nobisque probatas veritates, non autem ex aliorum hominum opinionibus, quae fallaces sunt, pie et provide celebrare tenemur. Ad veram enim Religionem Christianam libere profitendam

omnes Lege Naturae obligamur, omnibusque proinde nequale jus nobis competit ad omnes actus, sine quibus huic nostrae obligationi satisfacere non possumus. Vera igitur Ecclesia Christianorum est societas aequalis, ubi nulla uni prae altero, ideoque nec clericis prae Laicis, quos ita inepte inter se discernunt, ullo modo competit praerogativa. Ordinis causa tantum in Societate Ecclesiae externa *exercitium* juris, quod singulis commune erat, utpote praedicatio Evangelii et administratio Sacramentorum, certis quibusdam personis tribuitur, at hoc jus praerogativae non est *Divinum*, sed *humanum*, prout aliquando pro illustrando *Jure Ecclesiastico* contra vulgaria praejudicia peculiari Lectione plenius ostendam.

Quod reliquum est, perpendamus; nihil inter homines in hoc mundi theatro perfectum esse; nequidem quoad ipsum Religionis Christianae exercitium. Hinc omnes nostrae curae eo tendere debent, ut in hoc mundo, quoad celebrationem nominis Divini in CHRISTO sive quoad ipsam fidei nostrae professionem, quantum fieri potest, rectam servemus conscientiam, tempori et providentiae Divinae, optimis harum rerum arbitris, iustas Christianorum dissensiones relinquendo. Interea hoc triste illarum spectaculum jam in hac vita melioris frugis Christianorum mentibus desiderium insinuat, quo anhelant ad perfectioris vitae coelestis statum, ut DEUM in CHRISTO gloriosius celebrare possint in omnem aeternitatem.

L E C T

LECTIO XIX.

De Invocatione DEI et Gratiarum actione.

Non dubito, fore plerosque, qui meum institutum, si non temerarium, saltem incongruum esse existimabunt, quod id mihi sumam, ut in disciplina Juris Naturae etiam de *Invocatione DEI* tractare ausim. At, at, jam experiundo didici, Divinae Jurisprudentialis Naturalis limites si ex aliorum mentis angustia coartarentur, nihil nobis reliqui futurum esse, nisi ut materiam *Dominii et Contractuum*, unde *jus cogendi adquisitum* inter homines nascitur, planam facerem, additis scilicet quibusdam Juris *Romani* aut *Patrii* animadversionibus et conquisitis undique nonnullis *Classicorum*, quos vocant, Auctorum egregiis sententiis, quibus dicta exornatius firmarem. Veruntamen tum principium *metus majoris potentiae physicae* abunde sufficeret pro explanandis Divinis scilicet Naturae Legibus: absit autem a nobis, sanctiorem tradituris disciplinam, ut ex hominum, licet eruditissimorum, ingenis pro utilitate sua secundum temporis varietatem Jus illud Naturae constatum esse, cum *Carneade* quodam in pie fingamus. Divini quippe Naturae Juris sancita minime ab humanis pendent opinionum commentis, sed rectis suis firmissimisque stant *ralis*, aeterna DEI et immutabili justitia, bonitate videlicet sapientiae regulis attemperata, corroboratis. Inter haec vero sanctissima sancita primum locum occupant officia erga DEUM, in quo Jus Naturae ab aeterno fuit,

fuit, per quem idem nunc inter homines existit, in quem identidem tendit et nos ad eum flecit ducitque.

Et cum hominem, creaturam illam rationalem, corpore fragilem, mente immortalem, nihil magis dedecet, quam supina ignorantia et caeca quaedam aut temeraria credulitas in re, quae perennem ejus concernit felicitatem: hinc maximum omnium, ad quae eum pietas obstringit, hominis procul dubio officium est naturale, ut propriae suae indigentiae et inbecillitatis conscius, Divinae autem potentiae, munificentiaeque gnarus, precibus a DEO T. O. M. supplex ea flagitet, ad quae desideranda, in hoc rerum ordine. Natura factus est. Haec autem Numinis invocatio, circa quam plerique homines in externis solummodo actibus occupantur et stupent, in nostra disciplina tantum habet momentum, ut integrum attributorum Divinorum complexum, quantum fieri potest, nobis animo repraesentemus, antequam rectas DEOque acceptas fundere possimus preces.

Precari enim DEUM dicimur, quando eum invocamus, ut bona, quae dedit, conservet praesentia, et etiam futura conferat bona, mala vera depellas, aut, si obveniant, in bonum dirigas finem. Ad hasce preces homo de perfectionibus Divinis convictus quasi Natura sua fertur. Etenim homo naturali quodam appetitu ducitur ad id, quod tamquam bonum sibi repraesentat. Quod si jam animum attendamus ad bona praesentia, eaque distincte cognoscamus, fieri aliter non potest, quin ea conservari velimus, perpendentes in hoc

mun-

mundo varios casus, in quibus eorundem periculum aut jacturam facere possumus. Si vero mentem nostram convertamus ad *bona futura*, Natura inpellimur, ut eadem desideremus ac cupiamus, eorum participes fieri. Et prout Natura humana ad bonum adpetendum est determinata, sic quoque ex opposito averfatur omne malum; inde ad desiderium fertur, ut *mala* a nobis avertantur aut in bonum dirigantur finem: Quodsi jam, hisce perpensis, simul etiam summas summi Numinis perfectiones, praesertim Ejus potentiam, immensamque bonitatem ac sapientiam cognoverimus, convicti, DEUM esse omnium boni datorem, et quicquid naturaliter fit in hoc universo, id secundum providentiam fieri Divinam, qua DEUS tantundem boni nobis confert, tantundemque mali a nobis avertit, quantum salva Ejus sapientia fieri potest; tum sane ex vera et viva DEI cognitione, ex fiducia in DEUM atque ex reverentia DEO exhibenda per nostram Naturam ferimur ad desiderium, ut DEUS T. O. M. bona *praesentia* conservet, *futura* nobis conferat, a malo *praesenti* nos liberet, *futurum* malum avertat, aut, nisi hoc fiat, in bonum dirigat finem. Hoc autem desiderium, quod nobis adeo *Naturale* est, revera nihil aliud est, ac ipsa Numinis, omnia gubernantis, invocatio *interna*; quae si in actus *externos* erumpit, ita ut verbis ore prolatis eam significemus, *precatio* audit.

Unde nunc ex hisce breviter dictis abunde intelligetis, *Invocationem* DEI, praesertim *internam*, in ipsa hominis *Natura* esse fundatam, ideoque ad doctrinam

Ju.

Juris Naturae merito referri ; inprimis cum haec Numinis Invocatio *interna*, quam vera DEI cognitio praecedit, ab hominis Natura, indigentiae suae conscia, nunquam separari possit. Hinc omnino *Naturale* hominis officium est, *indefinenter orare* Epist. ad Thessal. C. 5. vs. 17. *omni tempore in spiritu*, Epist. ad Ephes. C. 6. vs. 18.

Ut vero desideria nostra, quibus Numinis invocatio absolvitur, sive in pectore clausa maneat, sive in verba exeant preces, DEO grata sint, nihil rogandum est, nisi quod cum ordine Naturae convenit, sive quod bonum et rectum est. Vana DEO insuffurrare vota, ut rationali homine indignum est, sic DEO, universam Naturam gubernanti, placere nequit, utpote qui in veritate adorandus est. DEUS in gratiam vana precantis nihil mutat in hoc rerum ordine, quem sapientissime et benignissime decrevit; absurdum proinde foret, desiderare, ut DEUS suam voluntatem nostrae voluntati conformet, cum DEUS omnia optime fecerit, et, quae fecit, benignissime conservet ac gubernet, atque rectius praeterea noverit, quanam nobis bona sunt, quam ipsimet nos dijudicare valemus. Ergo DEUM invocaturō maxime convenit, ut rectam in DEUM *fiduciam* habeat et in *Providentia Divina* adquiescat, ne in bonis sibi conferendis et malis a se depellendis suo stet iudicio, quod saepe fallax est, sed omnia benignae DEI voluntati humiliter relinquat, suamque voluntatem eidem submittat, nec quicquam committat, quod fiduciae in DEUM et adquiescentiae in Providentia Divina adversatur.

Haec

Haec autem *fiducia in DEUM* et *adquiescentia in Providentia Divina* supponunt iterum non modo bonitatis et sapientiae Divinae, sed et ceterarum perfectionum Divinarum agnitionem, prout praecedente Lectione XVI. satis probavi; unde nunc consequitur, ut, qui DEUM in *Veritate*, prout par est, invocare vult, omnino summas DEI perfectiones cognoscere debeat. Et cum porro *vera* et *viva* DEI agnitio necessario pariat *amorem erga DEUM* secundum ea, quae praecedente Lectione XV. indicavi; hinc fieri nequit, ut, qui DEUM in *veritate* invocat, animum habeat amore DEI vacuum. Denique cum amore DEI *timor filialis erga DEUM* indivulso nexu cohaeret; timor autem filialis parit animi sollicitudinem, ne quicquam committamus, quod voluntati Divinae adversatur, et parit praeterea promptitudinem, DEO *obediendi* omnesque proinde actiones suas *Legibus Naturae* conformandi, prout idem talem Lectione XVI. demonstravi et in subsequentiis ulterius explanabo, ut adeo, qui DEUM serio in *veritate* invocare vult, DEO *confidere*, Eumque *amare ac timere*; ideoque firmum propositum habere debeat, *obediendi* DEO et per consequens omnia faciendi, quae urget *Lex Naturae*: hinc satis nunc inde percipietis, quam ardua res sit, DEUM in *veritate* invocare, ut sane invocatio DEI, si vera, seria et omnibus numeris absoluta sit, complexum omnium erga DEUM officiorum sub se comprehendat totamque proinde Religionem involvat.

Praeterea ex dictis consequitur evidentissime, ut *con-*
tem-

semper Juris Naturae DEUM in *veritate* invocare nequeat; nam qui saltem ore profert verba precantis et non intelligit, quid verba sibi velint, aut de veritate *Legum Naturalium* convictus non est, is animum habere non potest, DEO *obediendi* in omni casu et omni tempore secundum *Legem Naturae*, quam adhuc ignorat, immo contemnit; ejus igitur preces *Legi Naturae*, quae consensum actionum nostrarum externarum cum internis omnemque facultatum nostrarum usum postulat, neutiquam conveniunt, sed sunt tantum nudi garritus aut soni absque mente, qui DEO non placent, cum Enti perfectissimo nihil placeat, nisi quod perfectum est, Legique Naturae convenit. Non sufficit itaque ad invocationem DEI in *veritate*, *bonam* tantum habere voluntatem, obediendi DEO, nam haec in hebetioribus quidem excusanda est, sed in Theologis, qui scientiam in precando profitentur, omnino exigitur *perfecta* voluntas, DEO *obediendi*, quam tamen nemo mortalium absque profundiore Juris Naturae scientia unquam habere potest, ut adeo Numinis invocatio, quae ex *veritate*, et non ex imaginaria *opinione* fieri debet, cum neglectu, nedum cum contemtu, Juris Naturae subsistere nequeat. Sed de hisce plura dicere, forsitan nimis odiosum foret.

Potius perpendatis, velim, DEUM esse summe bonum, non tantum *in se*, sed et *relative* ad creaturas, praesertim homines; et in hac perfruitione Summi Boni veram consistere hominis felicitatem, prout praecedentibus Lectionibus II. et III. jam explicavi. Ex hac autem

tem bonitate DEI summa, tam *absoluta*, quam *respectiva*, et nostrae Naturae indigentia consequitur, ut homo Lege Naturae obligetur, DEUM invocare, qui est fundamentum nostrae salutis; qui sibi est sufficientissimus, et omnibus entibus extra se existentibus tantundem boni confert, quantum salva sua sapientia sive salvis officiis erga se Ipsum fieri potest; qui omniscius est et nostrae mentis desideria scrutatur; qui immensa potentia gaudet, omnia faciendi, quae summis perfectionibus conveniunt; qui in producendo Universo veram creaturarum rationalium, praesertim hominum, felicitatem intendit; qui omnia gubernat benignissime; qui optima media ad fines optimos ducentia perspicit et illa cum hisce connectit sapientissime; qui auxilium suum promittit omnibus, se ideo implorantibus; qui falli et fallere nescius, semper sibi par idemque, unice amat id, quod sanctum, justum ac verum est, nec veros, justos et sanctos Sui cultores unquam deserit. Hisce igitur virtutibus Divinis, non potentia solum servandi perdendique, sed et sapientia, bonitate atque DEI veracitate, aliisque summis summi Numinis perfectionibus, nostraque indigentia in vita tam *moralis*, quam *physica* nititur DEUM T. O. M. invocandi obligatio nostra Naturalis, ut sit mens sana in corpore sano.

Cum hac vero DEI invocatione conjungere debemus *gratiarum actionem*; DEUS enim omnia bona, quaecunque possidemus, in nos contulit: *essentiam* aequae ac nostram *existentiam* a DEO habemus: per DEI bonitatem universus, quem spectamus, mundus est: in hac
re-

rerum serie DEUS hunc, quem occupamus, locum nobis assignavit, et hanc, quam repraesentamus, personam nobis inposuit: DEUS vires agendi naturales nobis largitur: animal reliquis eminentius, rationis et cujusvis scientiae capax, DEUS formavit hominem: providet nobis DEUS per nexum rerum in hoc universi ordine, ut cuncta fortunae, corporis et animi bona, quibus fruimur, soli DEO debeamus, mala autem a nobis depulsa benignae Divinae providentiae referamus accepta: haec omnia et de hoc genere innumera alia sunt luculentissima largae benignitatis Divinae testimonia et quotidie obvia argumenta, quae nobis in dies suppeditant motiva, DEO pro beneficiis liberali nobis manu exhibitis, quotidie gratias agendi maximas.

At, quam ingentia etiam haec, quae proposui, sint DEI munera, vix tamen memoranda, si jam altius expenderit, DEUM nos aeternae beatitatis candidatos in hoc Universo constituisse; mentem quippe a DEO accepimus immortalem, sui consciam et ipsius DEI, ut summi Boni, cupidam et pro modulo suo etiam capacem. Tam immensam DEUS ideo produxit operum suorum seriem et innumeram varietatem, ut nostra de DEO cognitio ex contemplatione Universi magis magisque amplificanda in infinitum progredi possit. *Nunc cernimus per speculum in aenigmate, et ex parte tantum cognoscimus, sed postea, ubi venerit, quod perfectum est et id, quod ex parte est, abolebitur, facie ad faciem cognoscemus.* 1. *Epist. ad Cor. 13. vs. 12. coll. vs. 10.* Sic tandem ipso ad plenum DEO sine
in-

interruptione et sine fine frui licebit, qua felicitate mens humana nihil neque majus neque melius capere potest unquam.

Haec profecto tanta sunt DEI beneficia, ut quisque mortalium, nisi stipes caudexve sit, hisce probe perpensis inde moveatur, grata eorundem confessione DEUM celebrare.

Qui vero gratias agit pro beneficiis acceptis, is se benefactori devinctum declarat ad quaevis officia vicissim praestanda; DEO autem nihil referre possumus, nisi *obedientiam* sive officia, quae DEUS secundum Legem Naturae a nobis exigit. Ergo qui DEO agit gratias, ipsi obedientiam spondet sive voluntatem suam DEO declarat, prompte faciendi, quae DEUS vult; ideoque voluntatem significat, actiones suas secundum Legem Naturae dirigendi. Haec autem voti sponsio congruit cum Natura hominis; DEUS enim nihil a nobis postulat, nisi quod propriam nostram promovet veram felicitatem, ut DEO obtemperantes, *Naturam sequendo*, revera reddamur beati. Universi mundi fabricam spectare debemus quasi domum quandam DEI, quam velut benignissimus paterfamilias incolit, instruit et regit. Sic hoc respectu Leges Naturae recte dicuntur *paterna consilia*, quibus universi moderator liberorum suorum salutem intendit: immorigeros filios castigat, ut obedientes inde voluntatis paternae tenaciores fiant liberi. Nihil igitur nobis est magis salutare, quam ut DEO, patri nostro coelesti, obedientiam secundum

S

Le-

Legem Naturae praestandam spondeamus, quo vos nostris, verae nimirum felicitatis, compotes reddamur.

Ceterum notandum est, quod gratiarum actio, DEO praestanda, sine celebratione nominis Divini subsistere nequeat; nam gratiarum actio postulat, ut verum beneficiorum a DEO in nos collatorum pretium statuamus: hoc autem fieri nequit, nisi Divina *Creationis*, *Providentiae* et, quod ad Christianos attinet, etiam *Redemptionis* opera perpendamus, atque inde magnitudinem munerum, quibus larga DEI manus nos ditavit, profundius perspiciamus, prout praecedente Lectione XVIII. sed tenui tantum penicillo quadantenus delineavi, quae tum temporis dicta hoc loco repetere non vacat.

Id saltem hoc loco iterum atque iterum admonendum esse duco, quod gratiarum actio, DEO praestanda, parere debeat animi sollicitudinem nihil faciendi, nisi quod DEO placet; nam qui grato benefactorem suum prosequitur animo, is maxime sollicitus est, ut ipsi placeat, ad quaevis officia vicissim praestanda paratissimus. Turpissimum itaque est vitium ingratitude erga DEUM, si quis DEO gratias agere non erubescit et tamen nondum firmum habet propositum, DEO obediendi, sed quotidie chamaeleontis instar mutat colorem et in dies novam induit formam. Iustum ac tenacem propositi virum maxime decet secundum stabilem Naturae legem incedere. Eadem semper pietatis via est, quoniam DEUS semper idem sibi par est. DEO proin obedire, DEO placere, DEO vivere non possumus, nisi

Le-

Legi Naturae convenienter vivere gestiamus. DEO igitur gratias agere, DEOque obedientiam spondere, et tamen Leges Naturae viliter contemnere, impia est pietas et infructiva Religio, quae DEO placere nunquam potest.

Quodsi haec omnia pie perpenderent Theologi, tunc sane nihil ipsis carius esse deberet, quam studium Divini Juris Naturae: immo omnes, quotquot sunt, qui masculam pietatem seu Religionem rationalem amant, solidissimam hanc Juris Naturae scientiam longe praeferrent superficiali cuicdam doctrinae morali, absque ullo Juris Naturae principiorum nexu formatae aut potius deformatae.

Unde nunc denuo intelligetis, quantopere studium Juris Naturae, quam vile etiam aut enectum hoc aliis videatur, futuris omnibus, aut saltem solidioribus, Theologis commendandum sit. Gratus erga DEUM animus postulat, ut DEO magis in *veritate*, quam vanis aut inperitis hominibus in *opintione* placere studeamus; ideoque, licet etiam alii vos ab hocce Juris Naturae studio amplificando dehortentur illudque *heterodoxiae* suspectum reddere conentur, vestrum tamen officium, DEO praestandum, maxime erit, ne ejusmodi malefudis vociferationibus dimoveamini a studio tam sancto, tam necessario, tam salutari, tam utili, tam amoeno, ut sine hoc nulla Religio, nulla hominum vita bene morata, nulla civitas, nulla domus subsistere possit debeatve, immo sine hoc Juris Naturae studio nulla gens, quam praecellens etiam sibi videatur, inter cultissimas gentes referri

S 2

me-

mereatur, sed quaecunque Litterae, quas dicunt *humidiores*, hoc studio denudatae, tamquam efferae in corpore vires, frigescere incipiant.

At sentio, me a materia, quam tractandam mihi summi, in aliqualem digressionem abivisse. Redeamus itaque, unde divertimus, et fructus precum secundum Juris Naturae disciplinam adhuc expendamus. Preces vero pietatem virtutemque maxime promovent; cum obedientiam erga DEUM, prout jam explicavi, summopere excitent atque propositum actiones suas omnes Legibus Naturae convenienter instituendi mirum quantum! firment, ideoque justos nos et tenaces propositi viros reddant, ut unice et constanter amemus, quod perfectionibus Divinis maxime est congruum, neque ab hoc veritatis virtutisque tramite deflectamus, sed Legibus Naturae, perfectionum Divinarum estypis, libentes obsequamur, quo etiam nos fata trahant retrahantque. Preces enim sunt amoris erga DEUM indicium et, quando cum gratiarum actione sunt conjunctae, sponsonem quoque obedientiae, ut dixi, erga DEUM complectuntur; atque inde patet, timorem filialem erga DEUM quam maxime etiam influere in preces. Praecedente autem Lectione XVI. jam audivistis, quod ei, qui DEUM timet DEOque obedire studet, semper curae cordique sit, suas actiones voluntati Divinae attemperare; is igitur non vivit pro suo arbitrato, sed actiones suas secundum Leges Naturae, utpote Divinae voluntatis indices, studiose dirigit. Qui vero hoc fecerit, ita ut motiva agendi desumat ex agnitis DEI perfectionibus et inde sibi repraesentata Juris Natu-

Natu-

Naturae Sanctitate; is revera *pius* est. Preces igitur summo opere promovent pietatem; nemo autem *pius* esse potest in *veritate* absque firmo proposito, secundum Legem Naturae vivendi ex motivis a perfectionibus DEI defumtis; nam *ore* pietatem profiteri, quam quis mente non habet, est inopia *hypocrisis*, quae ipso *atheismo* multo pejor et periculosior est, aut est saltem anilis *supersticio*, qua quis erroneas de DEO DEIque imperio, quod sine legibus Naturae esse nequit, vel de providentia Divina fovet opiniones; DEUS autem in *veritate* colendus est, qui cultus DEI, si *veri* nominis sit, exigit propositum, actiones suas voluntati Divinae et per consequens Legi Naturae conformandi.

Hoc itaque propositum in serio precantibus adesse debet et precando memoria hujus propositi continuo renovatur: inde nascitur insignis proclivitas et promptitudo, actiones suas secundum Naturae Legem instituendi. Et cum in habitu actiones suas Legi Naturae conformandi omnis consistat virtus, consequens est, ut precando in quarumvis virtutum exercitio corroboremur atque ita progredi discamus de virtute ad virtutem, sive ut non impeditus progressus adsit ad majores continuo perfectiones; in quo progressu vera nostra consistit felicitas.

Praeterea sincerae preces animum reddunt laetum et quietum atque adversus irruentes in hoc mundo procelas eundem praestant tutum, ut semper saevis tranquillus in undis sit, suaeque sorte contentus, atque aliorum clamoribus non ita facile perturbetur, sed fortia adver-

sis opponat pectora rebus, insipientis nugaeque suas deperientis mundi stultitiam ridendo; nam nemo recte DEUM precari potest, nisi qui sibi repraesentat summas Summi Numinis perfectiones; ex hisce autem perfectionibus Divinis bene cognitis et probe pensatis vera nascitur animi voluptas, unde laetitia oritur perduratura, ut toto corde et animo omnibusque viribus DEUM lubens sequatur secundum Naturae ordinem, quem universi gubernator celsique dominator poli potentissime, sapientissime et, quod caput rei est, benignissime constituit. Is demum, qui ita ex vera et viva DEI cognitione, ex amore in DEUM, cum animi sollicitudine DEO obediendi, ex fiducia in DEUM et adquietescentia in providentia Divina DEUM precatur, conscientiae fruatur pace in DEO, et beatae immortalitatis fiducia plenus gaudio perfundetur, omnem ingenii humani captum superante.

Sic nunc audivistis, quaenam sint preces DEO gratiae, ita ut nemo, qui recte DEUM precatur nomenque Divinum invocat, animum habere debeat ab officina Juris Naturae alienum aut odio erga hujus Juris disciplinam ejusque strenuos cultores infectum. Quis ergo vestrum est, qui non sentiat coelestem in pectore suo ignem, quo amor erga Leges Naturae saluberrimas accendatur, ut omne studium pro hac sanctiore disciplina longe lateque amplificanda graviter impendatis. Aut hoc est, quod labore, quod cura, quod vigiliis vestris vere dignum est, aut nihil. *Orandum* igitur et *Laborandum* est, ut cum precibus studium Legum Naturalium,

omni tempore omnibusque casibus accommodatarum, perpetuo jungamus atque per preces ad quaevis Juris Naturae officia, DEO, sibi et aliis praestanda, alacriores reddamur. Sic magna felicitatis humanae pars erit, rite in DEUM fundere preces.

LECTIO XX.

De obedientia DEO praestanda.

DEUS, inquit *Grotius* de J. B. et P. L. II. C. II. §. 2. n. 1. *humano generi consulti jus in res hujus inferioris naturae statim a mundo condito atque iterum mundo post diluivium reparato.* At vero jus nostrum, quod in haec res habemus, est tantum facultas disponendi de usu verum secundum Legem Naturae a DEO vi bonitatis suae nobis praescriptam ut conservationi felicitatque nostrae inserviant; DEO autem in haec res, prout etiam in omnes suas creaturas, competit dominium *eminens*; hujus igitur respectu nos tantummodo sumus *usurarii*. Quamobrem usum rerum non aliter exercere debemus, ac DEUS nobis eundem concessit, in eo scilicet ordine et ad eum, quem cuique rei praestituit, finem, ita ut quoad usum, quem singulae praestant, in hac vita ratio rerum inter se analogiae habenda sit, qua necessarias in casu collisionis rebus tantum utilibus, et haec voluptuariis praeferamus, sive ita

utamur rebus, prout voluntati Domini nostri, id est, Legi Naturae convenit.

Praeterea ipse homo non minus, quam ceterae res creatae omnes, in numero quoque creaturarum et per consequens in dominio DEI est; ideoque DEUM agnoscere tenetur tamquam *Dominum* suum, se ipsum vero tamquam *servum* DEI, qui voluntati Domini sui obtemperare debet lubenter et alacriter absque murmuratione. Hoc respectu membra corporis nostri non solum, sed et animae nostrae facultates sunt in numero rerum, quarum dominium DEO competit; usus vero rerum naturalium et proinde etiam membrorum corporis nostri, immo et facultatum animae nostrae sunt *fines* a DEO intenti; hi *fines* autem, singulis rebus membrisque corporis nostri et animae facultatibus adaptati, sunt *Leges* ex quarumvis rerum *essentiis* determinatae et proinde *naturales*, quae nobis agendi normas suppeditant, ut DEUM, universae Naturae Auctorem sequamur et *secundum Naturam vivendo* voluntatem nostri rerumque omnium, in hoc universo existentium, Domini exsequamur.

Hae itaque Leges Naturae non sunt nostri arbitrii, ut de usu rerum creaturarum membrorumque corporis et animae facultatum pro arbitratu disponere valeamus, sed facultas *intelligendi* a DEO nobis concessa est, ut eandem in actum deducamus, atque ex distincta omnium, quas perspicere in potestate nostra est, rerum cognitione intellectum perficiamus, omnemque, quantum fieri potest, ignorantiam a nobis et aliis depellamus; nihilque

in-

inconsulta ratione solummodo creduli adferamus, sed, quid verum quidve falsum, quid bonum quidve malum sit, recte discernere discamus; quaeque vera quarumvis rerum cognitu possibilium pretia sunt, per causas et rationum momenta attente examinemus; nulli mortalium in veritatibus Divinis dijudicandis, sed soli rectae Rationi, quae ipsius DEI, falli et fallere nesciunt, partes in conscientiae nostrae tribunali sustinet, fidem habeamus, fugatis omnibus praecipuae opinionis et humanae auctoritatis praesudiciis. Sic quoad facultatem *intelligendi*, nobis divinitus concessam, usu et continuo exercitio perficiendam, ad voluntatem Domini nostri nosmet, tamquam obedientes Servos, ex Lege Naturae conformabimus.

Et quod ad animae nostrae facultatem *adpetendi aver-*
sandique attinet, quam *voluntatem* nuncupamus, ejus rectus usus in eo consistit, ut nonnisi in *verum* bonum feratur et nonnisi a *vero* malo abhorreat, nec in bona et mala *adparentia* trahatur per sensuum illecebras et imaginationis dominatum; sed adpetitum *sensitivum* atque averfationem *sensitivam* in consensum reducat cum adpetitu et averfatione *rationali*. Hoc fieri nequit, nisi intellectus in distincta cognitione jam acquisita faciem praeferat, quo voluntas inde permoveatur atque sic *veri* boni malive cognitio demum fiat *viva*. Sine lumine enim intellectus nostra voluntas est tantum *coeca* facultas, per sensuum imaginationisque fallacias nobis quaquaeversum fucos faciens, ut a voluntate Domini nostri tamquam *errones* et *fugitivi servi* abducti per quaevis devia vagemur. Danda igitur est opera, ut voluntatem Domini

nostri ex Legibus Naturae, quas nobis praescripsit, accuratius perquiramus atque inde distinctam veri boni verique mali cognitionem hauriamus. Quam cognitionem Legum Naturalium quo citius etiam in prima nostra juventute maturamus, eo minus periculi erit, ne a vero nostro Domino inter *Naturae transfugas* aberremus, aut saltem spes est, ut aberrantes discussis ineptiarum nebulis in rectam redeamus viam.

At vero non solum mente, sed et corpore servi DEI sumus et Naturae. Non fuit nostri arbitrii, quo loco et quibus parentibus nati sumus. Nemo igitur natales suos aliorumve culpae vel inde gloriari debet: hanc vitae stationem DEUS nobis assignavit: omnes incolae universi sumus: patria nostra totus mundus est: nationum praesudicia in Jure Naturae connato in censum non veniunt: barbarus in nostra disciplina nemo est, nisi bardocucullatus Juris Naturae contemtor. Fortunae et corporis bona, quibus nascimur, non dependent a nostra potestate, sed a DEO sunt: hisce proinde fruamur laeti, tamquam *usurarii*, non *propriarii*; corporisque membris ad eos fines, quibus provida Natura vel potius Naturae Auctor eadem destinavit, utamur, praecipue ut mentis perfectionem inde melius promoveamus, corpus in ordine ad mentem, mentem vero in ordine ad DEUM considerantes.

Habemus autem omnes eundem Dominum, iisdem subjecti Naturae Legibus: vernae unius domus sumus: omnes Natura aequales nascimur: uni DEO, omnium

Do-

Domino, servimus omnes: uni DEO itaque ex Legibus Naturae serviendo, nemo alterius servi, sui aequalis, servus fieri debet: qui vero hanc servitutem in juribus omnium connatis, ab aliis hominibus sibi tribuere aut in hisce inaequalitatem inter homines introducere student, illi non sunt servi DEO obediennes, sed vernorum perfidiosissimi. Haec autem servitus, qua DEO subjicimur, non est odiosa, sed DEO servire, obtemperando Legibus Naturae, vera Libertas est. DEO equidem ex *dominio*, quod in omnes suas creaturas habet, utique competit imperium *berile* seu *despoticum*, sed neutiquam id nobis repraesentare debemus instar regni *berilis*, homini in homines concessi, ubi imperans tamquam dominus actiones subditorum tamquam servorum suorum dirigit ad *suam propriam utilitatem*; DEUS enim ex nostra servitute nullam capit *utilitatem*, nec nostris indiget actionibus, qui sibi est sufficientissimus. DEUS igitur per servitutem, qua Legibus Naturae subjicimur, restringit tantum nostram vivendi *Licentiam*, qua non vivitur secundum *Rationem* seu Legem Naturae. Qui vero *Rationi* convenienter vivit, is adfectibus non indulget, nec a sensibus et imaginatione pendet instar bruti, sed *humanae* suae Naturae obsequitur; ideoque fit dominus sui ipsius, et per consequens ex servitute *moralis* transit in veram *Libertatem*. Per servitutem itaque, qua nos DEUS sibi subjecit Natura, non suam, sed nostram intendit utilitatem, ut ita optime consulere felicitati creaturarum rationalium, quae obtineri nequit, nisi praeceptis et prohibitionibus Divinis obediamus atque per hanc obedientiam voluntas nostra cum voluntate Di-

Divina jungatur, in qua conjunctione *moralis* voluntatis creaturae cum voluntate creatoris seu conformatione hominis cum DEO perfruitio datur Summi Boni, prout Lectione II. explanavi, et inde obtinetur *finis* creationis nostrae *ultimus*, quemadmodum ex iis, quae Lectione III. indicavi, facile percipietis.

Non igitur DEUS per Jus Naturae, quo ut Servi DEO subjicimur, nobis instar severi Domini inposuit jugum intolerabile, quod ferre molestum foret, sed tale jugum, quod nobis commodum est, quodque a cervicibus abjicere, durum esset, cum ita privaremur vera nostra felicitate, quae nascitur ex convenientia actionum nostrarum cum Legibus Naturae. Hae Leges in perfectionibus Divinis fundantur, et hisce Legibus DEUS sanctissimam suam voluntatem, tamquam agendi normam, nobis manifestavit. Consensus itaque voluntatis nostrae cum voluntate Divina unionem hominis cum DEO constituit; nam duae pluresve personae non aliter uniri possunt, quam animo, ita ut earum voluntas ad unum idemque tendat: non aliter quoque concipere possumus unionem hominis cum DEO, nisi ut voluntas nostra conformetur aut, ut cum Philosophis loquar, *idemificetur* cum voluntate Divina et ad eundem tendat finem. Et quemadmodum in Societate humana duae pluresve personae ad unam communem finem obtinendum conjunctae, unam tantum personam *moralem* repraesentant, cui una tantum adscribitur voluntas et unus per consequens etiam intellectus; sic quoque in unione hominis cum DEO unus spiritus est, prout aperte testatur *Paulus* in Epist. I. ad

ad Cor. cap. 6. vs. 17. dum inquit: ὁ κολλημένος τῷ κυρίῳ, ἐν πνεύμα ἑστίν, qui Domino adglutinatur, unus spiritus est.

Forſan alii, quibus nondum perſpecta eſt Legis Naturae Sanctitas ejusque amplitudo, heic iterum occlamitabunt, quaſi mirum in modum nimis extollerem Naturae Leges: at vanas eorundem vovulas parum curabo, fatis convictus, ipſas veritates Divinas humanis quorundam in noſtra diſciplina imperitorum opinionibus cedere non debere; ac praeterea firmiter mihi perſuadeo, mearum maxime partium eſſe, ut ſtationem, quae mihi pro tuenda et amplificanda Juris Naturae diſciplina gratiſſime obvenit, contra aliorum inſultationes pro virili defendam.

Interea vos ex dictis jam multo generoſius ſentietis de ſumma praeſtantia ac Legum Naturalium dignitate, ut potius inter profana commenta numeretis, quod alii vobis barde perſuadere velint, ſtadium hujus Juris S. S. Theologiae cultoribus haud magnopere commendandum eſſe. Non ego equidem diffiteor, hominem transgrediendo Legem Naturae per non obedientis culpam abuſu et non-uſu Libertatis ſuae feliciffimam illam ſui cum DEO unionem diſſociaviſſe et infauſte diſrupiſſe. Nihilominus tamen fundamentum redintegrandae hujus unionis hominis cum DEO manet ſemper et in aeternum manebit ipſa Sanctiſſima Lex Naturae, qua tenemur, voluntatem noſtram ad eundem dirigere finem, ad quem tendit voluntas DEI, ex finibus rerum et univerſi ordine nobis conſpicua, ad cujus normam ſi noſtram confor-

formaverimus voluntatem, vera inde felicitas indivulsa Naturae nexu consequetur. At jam ratio humana, sibi relicta, ignorat modum, quo homo inobsequens, qui imperium DEI respuit rerumque finibus reluctatur, peccatis contumacissimus iterum cum sanctissimo et justissimo DEO uniri queat, nondum videlicet expiato criminum scelerumque suorum reatu. Veruntamen quamprimum Divina accesserit Revelatio, qua docemur et convincimur de convenientissimo hujus expiationis modo, ipsa Naturae Lex de amplectenda unione hominis cum DEO manet eadem; prout egregie observavit venerandus Theologus Cl. *Baumgarten* in *Theol. Mor.* §. 272. in *Schol.*

An igitur nunc post datam Revelationem minus obligemur, DEO obedire secundum Legem Naturae? aut num homo lapsus, Legique Naturae et per consequens voluntati Divinae refractarius, per Redemptorem cum DEO reconcilietur, ut Legem Naturae, quam contemferat et violaverat, tutius vilipendere, scientiamque hujus Juris nunc sub specie Religionis Christianae inter *commenta Gentilium* atro carbone notare, vel eandem sub involucrio *moralitatis mortuae* paene inter ludibria referre pergat? Haecine, bone DEUS! est sanctitas, quam in veritate sectemur, tum nescio sane, in quoniam nostra consistat Religio Rationalis.

At vero salva res erit; non ita enim insepriunt prudentiores, quos quidem ego novi, Christianorum Theologi, nec ita insanunt solidiores nostri aevi Philosophi

Obe

Obedientia quippe DEO praestanda requirit *promptitudinem faciendi, quod DEUS vult, et non faciendi, quod DEUS non vult*; et si plena fuerit, involvit *studium faciendi, quod DEO placet*; ideoque cum *amore in DEUM* est conjuncta, ut ex toto animo omnibusque viribus omnem facultatum nostrarum usum impendamus, qui ad servandam Naturae Legem requiritur; non possumus enim DEO *placere*, nec possumus DEO *obedire*, nisi actiones nostras Legi Naturae conformemus. Lex autem Naturae postulat *omnem facultatum animae nostrae usum et rectam earundem inter se consensum*, ut ex parte intellectus etiam nullus adfit defectus *vincibilis*. Et cum ad plura praestanda obligentur, quibus amplior est facultatum et virium usus, quam alii, quibus tam amplius facultatum et virium usus concessus non est; hinc satis inde patet, quod illi, qui nomen *Theologi Christiani* profitentur et sic se ad alios hebetiores erudiendum aptos judicant, fortius obligentur ad eum facultatum animae et virium usum in perscrutanda et observanda Divina Naturae Lege adhibendum, qui per eorundem facultates ad eandem requiruntur, ut non tantum ex parte *voluntatis*, sed etiam nec ex parte *intellectus* ullus notetur defectus *vincibilis*.

Nostis, quod nostra facultas adpetendi pendeat a facultate cognoscendi; ideoque nihil juvat ad observandam Legem Naturae, *bonam* obtendere voluntatem, nisi omnem impendamus operam ad rectum Legis Naturae *cognitionem*. Qui igitur sincerum habent animum, facien-

ciendi, quae DEO placent, illi omnem operam dare debent, ut cognoscant, quatenam DEUS in *omnibus casibus* ab hominibus fieri velit et quatenam fieri nolit; ideoque *Scientiam Juris Naturae* sibi acquirere debent, ut inde quoad *agenda* eorundem intellectus idem cognoscat, quod intelligit DEUS, et sic praelucente intellectu voluntas illorum idem quoque velit, quae DEUS facienda voluit, et nolit, quae DEUS omittenda iussit, ac per consequens voluntas Divina ipsis agentibus sit loco propriae voluntatis, atque ita haec humana cum illa Divina uniat, ut quasi una voluntas, ideoque etiam quasi unus intellectus adsit.

Bona voluntas, qua pii homines gaudent, nondum est *perfecta* voluntas, sed tantum generaliter est determinata ad obediendum DEO; haec tamen *bona* voluntas non supplet defectum scientiae, si adhuc ignoremus, quatenam in omni casu Legi Naturae seu voluntati Divinae convenient aut eidem repugnent; ideoque facile contingere potest, ut quis ex *bona* voluntate faciat ea, quae Legi Naturae repugnant, per notionem *boni* decepticem seductus. Haec *bona* itaque voluntas si adsit, ut DEO obedire gestiamus, nos impellere debet, ad voluntatem nostram *perficiendam*, ut magis magisque cognoscamus, quid voluntati Divinae *in omni casu* conveniat aut repugnet. Sic demum *bona* nostra voluntas reddetur *perfecta*, si citra omnem errorem *vincibilem in omni casu* seu in omni actionum humanarum genere distincte cognoverimus, quid Legi Naturae seu Voluntati Divinae consentaneum sit vel minus. Quod

autem cum nemo cognoscere queat, nisi qui solidiore Juris Naturae scientia oppido est instructus; hinc manifestum inde mihi videtur, quod obedientia DEO praestanda requirat exactam Juris Naturae scientiam.

Et ut hanc meam sententiam plenius intelligatis, Leges Naturae considerare debemus partim tamquam Leges Civitatis Divinae fundamentales, secundum quas summus imperans imperium suum exercet, partim vero tamquam praecepta, quibus herus domum suam instruit et gubernat; nosque spectare debemus tamquam subditos et servos. In civitate autem humana nemo Civium ignorantia Juris se excusare potest, nec sufficit, *bonam* habere voluntatem, sed requiritur, ut voluntatem suam conformet Voluntati Principis eique in casu dato et omni tempore obtemperet, ut una quasi adsit voluntas imperantium et obtemperantium: unus proinde quoad Jura Civitatis eorundem etiam intellectus adesse debet, quoad Leges Reipublicae fundamentales, si perfectio Civitatis humanae obtineatur. Quapropter ignorantia harum Legum, secundum quas unusquisque se componere tenetur, neminem in Civitate humana excusare potest, si forsitan ex *bona* voluntate contra easdem peccaverit. Excusatus quidem peccat, qui ex *bona* voluntate peccat, sed tamen nihilominus peccat, quia defectus adest quoad intellectum *vincibilis*; ideoque *perfecta* obedientia praescriptae Legis minime adest, quoniam legem scire tenebatur.

Sic etiam in Civitate DEI nemo se ignorantia Legum

T

Na-

Naturalium ceu Civitatis Divinae fundamentalium excusare potest, sed turpe est bono Civi Jus, in quo versatur, ignorare, et ex ignorantia, licet *bonam* habeat voluntatem, contra communem salutem peccare. Versamur autem nos omnes in Civitate DEI, quae per ordinem universi constituta est; ideoque turpe est singulis universi incolis, ignorare Jus Universi, in quo versantur. DEUS summus Princeps, cujus imperium *omnium* est, et sapientissimus ac benignissimus universi moderator, qui per saluberrimas huic universo praestitutas Leges nostram intendit felicitatem, a nobis *perfectam* exigit obedientiam ipsi praestandam, ut nihil desideretur in actionibus nostris liberis vel ex parte *intellectus* vel ex parte *voluntatis* vel ex parte facultatis corporis se de loco in locum moventis.

Ipsè DEUS est Auctor harum Legum Naturalium, est legitimus noster Imperans, est justus noster Herus; nos partes universi sumus, nos Natura Eidem subjecti, immo Ipsius servi sumus: hasce Naturae Leges ex finibus, quos singulis rebus hominique adaptavit, evidenter cognoscimus, atque inde intelligimus, omnia nostra officia, sive nobismet sive aliis praestanda, degenerare in officia erga DEUM; omnibusque proinde actionibus nostris liberis colendum esse DEUM, ut tota nostra vita continuus cultus Divinus sit. Hicce cultus DEI propriam nostram felicitatem promovet, immo sine eo felices esse nequimus. Imperium itaque DEI, quod secundum Leges Naturae, ut summus et absolutus universi Monarcha, immo ut Herus in servos, exercet, hoc re-

spe-

spectu sit *paternum* imperium, quod in liberorum suorum salutem tendit. Sic maxima, ubique motiva ad obedientiam DEO secundum Leges Naturae praestandam cumulantur, ut DEO obsequamur, tamquam Subjecti Monarchae suo, tamquam Servi Hero suo, tamquam Filii Patri suo.

Pietas absque hac obedientia DEO praestanda in mera mentis phantasmata abit. *Bonam* utique voluntatem habere debemus, obediendi DEO, antequam *perfectam* habere possimus; *bona* enim voluntas efficit, ut flagremus cupiditate, nos DEO obediens praestandi; ideoque nos stimulat ad omnem curam et operam impendendum in perquirendis Legibus Naturae, quarum Auctor DEUS est, ut inde *bona* nostra voluntas demum reddatur *perfecta*. Quodsi autem hoc studium *perficiendi* voluntatem adhuc desit, et ejus loco supinus neglectus et contemptus Divinae Legis Naturae in homine conspiciatur, vix est, cur de *bona* ejus voluntate nobis persuadeamus; nam qui *bonam* habet voluntatem, eum delectat Lex Naturae, cujus Auctor DEUS est, secundum internum hominem, ut *Paulus* ait in Epist. ad *Rom.* cap. 7. vs. 22; qui vero delectatur hac Lege DEI, is omnem indefessam dat operam, ut impleatur agnitione voluntatis DEI, ut ambulet digne Domino suo ac per omnia placeat, omnis boni operis fructus ferendo, sicut idem *Paulus* scribit in Epist. ad *Coloss.* cap. 1. vs. 9. et 10. Et hoc studium adpellatur *φρονημα τῆς πνευματικῆς*, ex quo *ζωνοῦσθε ἐν τῷ πνεύματι*, teste *Paulo* in Epist. ad *Rom.* cap. 8. vs. 6.

Equidem haud nescius sum, *Paulum* Apostolum cit. loc. praesertim alleg. cap. 8. Epist. *ad Rom.* loqui de vita *Spirituale*, sed id non obstat, quo minus Legem Naturae nuncupemus, consentiente Apostolo *vs. 2.* dist. cap. *Legem Spiritus vitae.* Etenim haec Legis hujus efficacia per *carnem* seu adpetitum *sensitivum* et averfationem *sensitivam* in nobis inbecillis facta est, ut non amplius *vitam*, sed *mortem* operetur cit. *vs. 2.* coll. *vs. 6.* et *13.* DEUS autem proprio Filio missō sub specie carnis peccato obnoxiae, loco nostri *poenam mortis* subit, *vs. 3.* ut justificatio Legis Naturae impleatur in nobis, *vs. 2.* et nos vivamus non amplius secundum Legem *carnis* seu adpetitus *sensitivi* averfationisque *sensitivae* instar brutorum, sed secundum *Legem Spiritus vitae*, id est, Naturae *humanae*, quae *Rationalis* est, convenienter. Το φρονιμα της σαρκος inimicitia est adversus DEUM, qui nobis sanctissimam Naturae Legem dedit, cui repugnat vita *hominis*, secundum Legem Naturae *animalis* solummodo actiones suas instituentis: haec vita *rationali* Naturae minime congruit; nam Legi DEI non subditur, *vs. 7.* Haec enim Lex Naturae, quam DEUS nobis praescripsit, aliam vitam a nobis postulat, ut scilicet adpetitum *sensitivum* atque averfationem *sensitivam* in consentium reducamus cum adpetitu et averfatione *Rationali*, quo perfectio vitae *hominis* inde oriatur. Haec vita, Naturae *humanae* adeo consentanea, in S. Litteris dicitur vita *spiritalis*, per Spiritum Veritatis in homine renovata, ut adeo Leges Naturae sint perpetuae *Sanctificationis* normae et quoque *Leges Spiritus vitae*, per obedientiam loco pec-

catorum a CHRISTO Legi Naturae praestitam, ut nos hoc Spiritu ducti iterum obedientes DEI filii reddamur, vs. 14.

Nescio igitur, qua fatali rerum moralium vicissitudine factum fuerit, ut, qui pii et DEO obedientes esse volunt, sibi et alijs persuadeant, Scientiam Juris Naturae nihil ad pietatem, nihilque ad obedientiam DEO praestandam facere, quin potius hanc Juris Naturae disciplinam, tamquam profanam quandam Philosophorum Gentilium doctrinam; ad vitam *Spiritualem* minime necessariam, immo ne utilem quidem, iniquius taxent. Ego autem talem Religionem non profiteor, nec profitebuntur saniores Theologi, qui cultum DEI *Rationalem* amant et amplificare student.

T A N T U M.



EMENDANDA ET ADDENDA.

Pag. 19. lin. 7.	<i>pro</i> infinitum	<i>leg.</i> infinitum.
Pag. 72. lin. 4.	<i>pro</i> se ipsum	<i>leg.</i> se ipsum.
Pag. 92. lin. 10.	<i>pro</i> disciplinam	<i>leg.</i> disciplinam.
Pag. 95. lin. 20.	<i>pro</i> vis	<i>leg.</i> cuivis.
Pag. 96. lin. 20.	<i>pro</i> impares	<i>leg.</i> impares.
Pag. 117. lin. 16.	<i>pro</i> suam	<i>leg.</i> suum.
Ead. Pag. lin. 20.	<i>pro</i> certissimum	<i>leg.</i> certissimum.
Ead. Pag. lin. penult.	<i>pro</i> pertingamus	<i>leg.</i> pertingamus.
Pag. 128. lin. 18.	<i>pro</i> praecipium	<i>leg.</i> praecipuum.
Pag. 154. lin. 6.	<i>pro</i> nullamque	<i>leg.</i> nullumque.
Ead. Pag. lin. 20. et 21.	<i>pro</i> haec disciplina	<i>leg.</i> hanc disciplinam.
Pag. 157. lin. 25.	<i>post</i> subsistere	<i>add.</i> nequit.
Pag. 247. lin. 15.	<i>pro</i> sufficit	<i>leg.</i> sufficit.
Pag. 249. lin. 25.	<i>pro</i> faciamus	<i>leg.</i> faciamus.
Pag. 255. lin. 13. et 14.	<i>pro</i> es esse	<i>leg.</i> esse.
Pag. 279. lin. 13.	<i>pro</i> verum	<i>leg.</i> rerum.

FREDERICI ADOLPHI VAN DER MARCK, *JCit*

ET PROF. JUR. PUBL. NAT. ET GENT. ORD.

NEC NON SOC. SCIENT. HARL. MEMBRI,

LECTIONUM
ACADEMICARUM

TOMUS SECUNDUS,

QUO

PRAECIPUA JURIS ECCLESIASTICI

PROTESTANTIUM UNIVERSALIS

CAPITA PERTRACTANTUR.

FASCICULUS PRIMUS.



G R O N I N G A E,

Apud HAJONEM SPANDAW, Bibliopolam. 1772.

C'est l'intérêt de la vérité et de la vraie Religion de rendre une Justice exacte aux ennemis et de n'avoir pas indulgence excessive pour les amis. - - - C'est à ce St. Evangile que je souhaite sincèrement, que tous les hommes se conforment, mais j'avoue que je trouve fort peu de marques de cette affection Evangelique, dans la conduite, les discours et les Ecrits de ceux qui ont attaqué leurs adversaires sur des opinions de Religion.

TH. GORDON dans ses *Discours Historiques, Critiques et Politiques sur TACITE*, traduits de l'Anglois par Mr. D. S. L. Tom. 1. Disc. VI. Sect. XII. pag. 311. et *suiv.*

PIO ET ERUDITO LECTORI

S. P. D.

F. A. VAN DER MARCK.

Prout neglectus Jurisprudentiae Naturalis ingentia in Rempublicam invenit mala; sic etiam e supina hujus juris ignorantia contemptuque non minora in Christianorum Ecclesiam redundant damna. Inde perpetua fere contentio fuit Imperium inter et Sacerdotium, cujus acerrimae controversiae historiam peculiari tractatu nobis exhibuit *Thomasius*; qui praeterea pro eo, quo praesertim in hoc studiorum genere pollebat, ingenii acumine ideo in suis adnotationibus ad *Pufendorffii* tractatum de *Monarchia Pontificis Romani* §. 4. egregie observavit, quod inter arcana dominationis sacrae sit referendum, dehortari juventutem Academicam a doctrina Jurisprudentiae Naturalis eique hujus nobilissimae

* 2

disci-

P R A E F A T I O.

disciplinae nauseam inferre, ut scilicet, conquassato jure Aequalitatis Libertatisque Naturalis omnium quoad Religionem connato, et concusso jure Principis circa sacra ex summae Majestatis Natura eidem competente, eo securius Potestas, quam dicunt, Ecclesiastica in subditos non solum, sed et in ipsum Principem lacertos suos movere queat. Meo autem judicio Religio Christiana in hoc disciplinae Ecclesiasticae capite Juri Naturae nunquam repugnare potest, sed illa hujus principiis accommodari, immo ex hisce evidentius explanari debet. Quapropter mearum partium esse duxi, *Fus Ecclesiasticum Protestantium Universale* Auditoribus meis secundum ordinem *Thesium* idcirco a me in lucem editarum tradere. At, quae est hujus licet per se amoenissimi et praestantissimi maximeque in nostra Republica necessarii studii infelix plerumque conditio, hoc meum, quod per

P R A E F A T I O.

per aliquot annos continuavi, institutum aliorum, quos ζηλος πικρος agitatur, in me concitavit odium. Hinc jam jam laboribus perfunctus constitui, omnes aut saltem praecipuas, quas in hac *Juris Ecclesiastici Universalis disciplina* habui, Lectiones ad seriem praedictarum *Thesium* mearum publico Eruditionum examini submittere, ut inde illorum quivis dijudicare valeat: *num-ue ego unquam doctrinam proposuerim vel Reipublicae vel Ecclesiae noxiam?* Ob materiae tamen, quam explicandam sumus, ubertatem, Lectionumque mearum copiam commodum fuit, horis subsecivis hasce in plures colligere fasciculos eosque separatim typis imprimendos curare, ita vero, ut omnes conjunctim postea sumti justae molis librum formare possint, qui *tomum secundum Lectionum mearum* efficient. Accipe igitur, *Benevole Lector*, nunc hujus *Tomii secundii fasciculum primum*, nec me praecipiti condemna suffragio, sed

* 3

P R A E F A T I O.

sed iudicium potius suspende, usque dum
meae *Juris Ecclesiastici* Lectiones pro-
diere omnes. Ceterum, ne mihi contra
mentem meam, ut fit, gravissimi ali-
quando errores imputentur, comiter
a Te, *Humanissime Lector*, peto, ut,
antequam ad legendum accesseris, in
hoc fasciculo pag. 48. lin. 8. post ver-
ba: *Divina perfici debet Gratia*, addas:
tam interna, quam externa. Et quod
reliquum est majoris evidentiae gratia
pag. 92. lin. 23. loco: *nam*, ponas:
praesertim. Sic recte, ut opinor, se
habebunt cuncta, ut ad omnes ictus
nunc satis tutus mihi videar; leviora
enim vitia, quae forsan irrepsere, fa-
cili negotio inter legendum emendare
poteris. Tu interim, *Erudite Lector*,
libere judica de iis, quae a me libere
scripta sunt: ita tandem Tua animi
generositate continget, ut calumniato-
rum naenias minus pertimescam. Vale.
Dab. Groningae A. MDCCLXXI.
D. VI. Novembris.

IN-

INDEX LECTIONUM,

Quae hoc fasciculo continentur.

I.

De Religione, optimo Civitatis fine atque firmissimo ejusdem praesidio. Pag. 14

II.

Continuatio materiae de Religione, optimo Civitatis fine atque firmissimo ejusdem praesidio . . . 19.

III.

De jure Libertatis Religionis, unicuique adversus quemvis competente 37.

IV.

Continuatio materiae de jure Libertatis Religionis, unicuique adversus quemvis competente . . . 50.

V.

De Tolerantia diversarum Religionum, fini Reipublicae baud adversarum, Civili 69.

VI.

Continuatio materiae de Tolerantia diversarum Religionum, fini Reipublicae baud adversarum, Civili 86.

VII.

INDEX LECTIONUM.

VII.

Continuatio materiae *de Tolerantia diversarum Religionum, fini Reipublicae baud adversarum, Civili* 107.

VIII.

Continuatio materiae *de Tolerantia diversarum Religionum, fini Reipublicae baud adversarum, Civili* 121.

IX.

De varia haereseos significatione ejusque injustissima poena 142.

X.

Continuatio materiae *de varia haereseos significatione ejusque injustissima poena* 156.

XI.

Continuatio materiae *de varia haereseos significatione ejusque injustissima poena* 174.

XII.

De crimine haeretificii ejusque justissima poena 200.

L E-



LECTIO I.

*De Religione , optimo Civitatis fine at-
que firmissimo ejusdem praesidio.*

Multi Politici , interque eos *Sam. Pufendorffius de bab. Relig. Christ. ad vit. Civ. §. 5.* et *Just. Henn. Böebmerus in Jur. publ. univ. Part. Spec. Lib. II. cap. V. §. 4.* tradunt , Civitates non propter Religionem esse institutas , sed ut aliorum vim repellamus externam et jus suum cuique tribuatur perfectum. Unicum igitur aut saltem primarium Reipublicae finem constituunt in tranquillitate externa et in felicitate tantum temporali : hanc autem absque Religione consequi datur. Et praeterea *Religio* , inquit laudatus *Pufendorffius* cit. loc. , *et cultus divinus non minus commode a paucis , quam multis hominibus , in exiguo , quam magno coetu exerceri potest.* Non opus itaque existimat Vir illustris , *eum ob causam societates struere magno ac valido hominum numero constantes.* Et denique ait , Religionem ,

A

ut-

utpote generi humano coevam, dudum viguisse, antequam constitutae fuerunt Civitates.

Veruntamen pace magnorum Virorum, qui forsan in politicis me longe profundius sapiunt, tantum abs me impetrare non possum, ut Civitates non propter Religionem institutas esse crederem. Omnis potius Politica, quae Legi Naturae haud convenit, suspecta mihi videtur, et quo magis ars regnandi Civitatem Legi Naturae attemperatur, eo purior erit et sanior quoque Politica. Jam vero quisque mortalium per ipsam Naturam fertur ad suam promovendam felicitatem; in mediis autem hanc felicitatis finem consequendi maxime inter se variant homines. *Natura* tamen hominum rerumque omnium, quatenus per ipsas *essentias* ubique determinatur, semper est immutabilis; ideoque et vera hominum et perduratura felicitas adquiri nequit, nisi ipsi Naturae sit conveniens. Summa vero Lex Naturae est *gloria DEI*: et in hoc studio vel habitu illustrandi gloriam DEI sive dirigendi actiones suas per motiva ab attributis Divinis desumpta consistit ipsa *Pietas*, quae *Philosophica* audit, quatenus motiva ab attributis Divinis capiuntur, quae ex lumine Rationis per Universi Ordinem nobis intotescent; *Theologica* autem sive potius *Christiana* haec dicitur Pietas, quando insuper motiva actionum nostrarum petuntur ab opere Redemptionis generis humani per S. Scripturam nobis revelato.

Haec Theologica sive Christiana pietas philosophicam supponit: haec eam exquisitis rationibus confirmat: haec de-

demum illam ad majorem et sublimiorem evehit gradum. Etenim homo in statum sponte discedens corruptum non amplius Legi Naturae satisfacit, sed per appetitum sensitivum, posthabito appetitu rationali, ubique in transvorsum rapitur, abreptus vero foedissimarum libidinum flatibus et fluctuantium adfectuum mole in turbidum labitur fretum, ubi ad quosvis adliditur errorum scopulos et ubique in omnium vitiorum vada defertur, dum subinde secundum sensuum impressiones stimulosque et illicebas carnis cogitationes suas et actiones dirigit, ut ita anima rationalis imperium, cui destinata erat, amittat, quaeque dare debebat jura, cervice parata accipiat. Equidem *Naturam semper sibi salutiferam esse* non solum a Medicis quoad naturam physicam recte docetur, sed et hoc in moralibus obtinere tuto adferendum est, dummodo non contra *humanam* agamus Naturam. At homo est ens quasi mixtum, ex *animali* et *rationali* natura compositum; illam solam sequi, brutorum est, hanc vero unice observare, felicioris Angelorum sortis esse fertur, sed hominis habetur, illam huic subjugare et utramque in unam redigere concordiam, ut *ratio* in omnibus actionibus praedominetur, stimuli autem naturae *animalis* eidem subserviant. Verum enim vero, teste experientia, mens humana a pristino vigore et illi mi serenitate per inordinatum atque aestuantem motuum animalium sive vehementiorum instinctuum imperum dejecta non rationis suae imperio obsequitur, sed ad imitationem jam degeneris indolis et inde depravatae consuetudinis Majorum suorum pro varia conditione tempe-

ramenti corporis sui et sexus quasi nata videtur, ut homo sensitivus seu animalis non aliam, nisi sui similem procrearet sobolem, mox daturam adhuc progeniem longe pejorem. Unde, nisi purior Religio eminentioresque animi dotes et severiores sanctissimarum Legum Naturalium curae accedant, perpetuus dabitur generis humani progressus ex malis in mala, quo tandem inter homines exoriretur infaustum illud, non demum ex *Hobbesii* cerebro, sed ex ipsa deploranda generis humani indole jam dudum enatum *bellum omnium contra omnes*. Status itaque Naturalis, qualis statui Civili opponitur, inter homines corruptos subsistere nequit; sublata enim mutua charitate inter homines concussioque et contempto omni Jure Naturae virtutes quaecunque a genere humano longissime exulant; unus alterum sive clam sive palam laedere conatur; nemo alterius perfectionem promoverè amplius studet, sed paene quisque verae suae perfectionis ignarus alios quoque imperfectiores reddere quavis occasione adnititur, ut adeo jus illud Naturae, quod inter corruptos homines exercetur, unice consistere videatur, ut cum *Spinoza* loquar, in sola *cupiditate et majore potentia*.

Abfit autem a me, ut aut *Hobbesio* aut *Spinozae*, acutissimis illis et periculosissimis fatalis necessitatis propugnatoribus, pollicem premere vellem; errarunt enim et quidem errarunt graviter, ille in tract. suo de *Cive*, cap. I. §. 12. et hic in tract. suo *Theol. Politico*, cap. XVI. quod ambo *cupiditatem et potentiam* tamquam fulcra Juris Naturae constituerint, et sic statum
ho-

hominis corruptum, tamquam Legis Divinae indicem venditaverint. Quod corruptionis humanae, tamquam Juris Naturae principium ab *Hobbefio* suppositum, *ὁ πᾶν* *Conringius* de *Civ. prud.* cap. XIV. §. 105. Opp. *Conring.* Tom. III. pag. 421. merito *horribile* dixit, nam *illo*, inquit, *posito omnis societas humana contra NATURAE fuerit institutum. Quo adserto, nescio, num quid excogitari possit absurdum magis aut improbum.* Quapropter haud immerito *Cl. Glassey* in *Hist. Jur. Nat.* Lib. III. §. 83. ut *πρῶτον ψευδος Hobbefii* notavit, quod in tr. de *Cive*, cap. I. §. 15. statum NATURAE tamquam statum *belli* sibi repraesentaverit, quasi *Natura* inter homines non *societatem*, sed *discordiam* instituisset. Status quippe hominum corruptus nequam homini est *Naturalis* seu *essentialis* aut *originarius*, sed est status *accidentalis*, qui cum statu *essentiali* et *originario*, qualis *Lege Naturae* determinatur, semper et ubique convenire debet, si inde *obligationes* et *jura Naturalia* deriventur. Potentia quoque *physice* major nemini per Legem Naturae *jus* dat seu facultatem tribuit *moralem* in actiones alterius potentia forsitan *physica* minoris. Ex. gr. Parentes sine dubio liberis suis recens natis potentia *physica* longe sunt majores, sed quis tamen inde concluderet, parentibus, si ita cupiditas eos traheret, *jus* inde competere, interficiendi liberos suos? Quodsi hoc procederet; ut potentia *physica* major nobis facultatem agendi *moralem* ex *Natura* concederet, mox liberi adulti et parentibus suis in decrepita aetate postea constitutis longe robustiores ex majore potentia iterum *jus* acquirerent imperii in pa-

rentum suorum actiones, dummodo ejusmodi *cupiditas* liberorum animos adficeret. Quo juris Naturae Systemate nihil generi humano foret terribilius.

Cupiditas potius ratione temperanda est, et potentia *physica* minime tribuit ipsum jus, sed tantum ad *exercitium juris* requiritur, ideoque per facultatem agendi *moralement* ad optimos suos fines dirigenda ac limitanda est, ne in jus Naturae brutorum, quale etiam ex solis *instinctibus naturalibus*, abjectis rectae rationis principiis, Cl. *Schmauffius*, Göttingensium Antecessor, in suo *Novo*, quod vocat, *Systemate Jur. Nat.* profane docuit, inconsideranter incidamus. Nec melioris frugis est doctrina arrogantissimi Auctoris *de la Theorie des Loix civiles*, qui nuper in Gallia principia *Hobbesianis* adhuc pejora, sed non pari acumine ex orco revocare infaulte studuit. Ejusmodi autem jus Naturae brutorum, quod *cupiditate* et *potentia* determinatur, Naturae hominum *Rationali* et *Sociali* neutquam convenit.

Interea homines in statu eorundem naturali, qualis statui civili opponitur, *moraliter* inter se aequales sunt, et quilibet proinde respectu alterius hominis est liber arbiter rerum liberque moderator actionum suarum, quamdiu nihil facit contra jus alterius perfectum. Quodsi autem hoc fecerit et jus alterius perfectum laeserit, laeso equidem naturaliter competit jus resistendi laedenti aut laedere conanti, eumque puniendi, ne in posterum de novo laedere possit. At non ita Natura hominum semper comparata est, ut, cui jus seu facultas agendi *mo-*

ralis competit, eidem etiam ideo concessa sit potentia *physica*, qua jus suum in actum sive exercitium deducere queat; absque hoc autem exercitio juris ipsum jus, saltem quoad effectum inter homines externum, est tantum inane nomen. Ne igitur facultas secundum Legem Naturae agendi moralis inter homines per potentiam physicam suo destituatur effectu, et ne firmiores opprimant debiliores aut improbi Legis Naturae transgressores subigant probos Legum Naturalium cultores, necesse fuit, ut multiplicato genere humano corruptisque mortalium moribus homines vires suas conjungerent et ideo societatem quandam inter se contraherent, atque ita ex statu naturali transirent in Civitates, quo singuli et universi securius viverent.

Sic ansam civitatibus introducendis dedit ipse status hominum corruptus sive metus injuriarum, ab aliis hominibus imminendum, qui metus tamquam causa *impulsiva* spectari potest, cur homines in Civitates coaluerint, prout *Thomasius* in *Jurispr. Div.* Lib. I. cap. II. §. 37. et 38. et in *not.* ad *Huberum* de *Jur. Civit.* Sect. I. cap. II. §. 5. contra *Böeclerum* ac *Valentinum Alberti*, immo contra ipsum laudatum *Huberum* recte adseruit; in statu enim integritatis nulla opus fuisset Civitate aut Republica ad tranquillitatem obtinendam, nec ad sufficientiam rerum acquirendam aut aliam ob causam. Equidem dantur nonnulli politici, qui *metum a feris bestiis* etiam inter causas *impulsivas*, cur homines Civitates inter se constituerint, referre solent; at horum sententia, si quid ego video, itidem infirmo ni-

titur talo. Etenim, licet quoque concedamus, feritatem bestiarum homines impellere potuisse, ut se conjunctis viribus contra bestias defenderent, non tamen ideo opus erat civitatibus *moraliter* spectatis, sed sufficebat, contra bestiarum insultus civitates *physice* consideratas exstruere easque muris, vallis, fossis et portis munire: non ideo tamen aderat civitas *moraliter* spectata, ubi inaequalitas jurium et *imperium civile summum* obtinebat, quod sane nequiquam requirebatur aut saltem *ejus exercitium* nunquam locum habere poterat et debebat, si homines Legi charitatis obtemperarent singulique erga DEUM, erga se ipsos et alios secundum Legem Naturae ultro satisfacerent officiis.

Meo igitur judicio Civitatibus introductis et Rebus publicis constitutis ansam dedit multiplicatio generis humani et corrupta ejusdem conditio, quae est unica, ut opinor, causa civitatum *impulsiva*. Causa vero *finalis* constitutae cujusvis civitatis est major cultura Legis Naturae, ut homines non solum secure inter se viverent et jura cuique sua perfecta tribuerentur atque sic imperfectiones status hominum externi arcerentur, sed etiam, ut generis humani felicitatem per vitae tam moralis, quam physicae sufficientiam rectius acquirerent atque sic mutuam hominum perfectionem quovis convenientiori modo conjunctis viribus promoverent. Hunc in finem jus praescribendi media ad hanc tranquillitatem, securitatem et sufficientiam vitae, tam *physice*, quam *moraliter* consideratae, obtinendam transfulerunt in summos imperantes, qui igitur curare debent, non solum, ut
ci-

cives a vi externa securi praestentur, quo tranquille inter se vivere possint et vitae temporalis sufficientiam adquirant, atque sic status eorundem *externus* perficiatur, sed et quam maxime, ut status eorundem *internus* sit non impeditus progressus ad majores continuo perfectiones.

Et ex hisce jam quadantenus intelligetis, quam res ardua sit omniumque difficillima, bene imperare prudenterque regere Civitatem; bene imperare enim longe quid aliud est, quam velle et jubere. Hoc etiam Tyrannus facit, sed qui imperat, jus obligandi alios habet, et qui hoc suo jure bene utitur, is optima ubique media praescribit ad singulos singularum societatum tam compositarum, quam simplicium, nec non quorumvis hominum singularium fines consequendos, ita ut recti fines omnium per societatem civilem obtineantur, remotis impedimentis, quae in statu naturali obstarent, quo minus eos consequi possent homines. Regere itaque civitatem nihil aliud est, quam aptissimis mediis communem omnium salutem intendere, et, quantum in potestate humana est, efficere, ut haec actu promoveatur. Summa proinde virtus Rectrix Civitatis est *φιλανθρωπία* sive charitas sapientis seu benevolentia universalis, qua boni Civitatis Rectores delectantur felicitate civium. Immo non solum civium suorum, sive unius sibi creditae gentis, sed et totius humani generis rationem habere, haecce charitas sive *φιλανθρωπία* a Principum fortitudine, quam *Stoici* observante *Cicerone* de Off. Lib. I. cap. 19. *Virtutem pro AEQUITATE propugnantem* probe definiebant,

omnino efflagitat; nam ὁ λογῶ ἀγχιμένος καὶ πρὸς πολιτῆν
 τηρεῖ το ἀβλαβὲς καὶ ἐτι μάλλον πρὸς ξένους, καὶ πρὸς παν-
 τὰς ἀνθρώπους, ὁ τὴν ἀλογίαν ἔχων ὑπηκοῦν, καὶ αὐτὸς παρ'
 'αἰεῖνους λογικώτερος, δια τὰντα δε καὶ Θειωτέρος, quae Por-
 phyr̄ii verba de *abstin. ab esu animal.* Lib. III. §.
 27. ex interpretatione Latina *Feliciani*, quam cum *Reis-
 kii* suisque eruditis notis Græco textui adjectis elegan-
 ter nobis curavit vir politissimus Cl. *Jac. de Rboer*, ita
 pag. 287. audiunt: *qui regitur a ratione, erga cives
 quoque, nec non hospites, QUIN ETIAM OMNES HOMINES
 innocenter se gerit: cum irrationalem facultatem sub-
 ditam habeat, ac propterea prae illis (affectibus) ra-
 tionalior ac divinior sit.* Optime igitur *M. Antoninus*
 Imp. Lib. VI. §. 44. πόλις καὶ πατρίς ὡς μὲν Ἀντωνίνῳ μί-
 νι Ῥώμη, ὡς δὲ ἀνθρώπῳ ὁ κόσμος, *civitas et patria mi-
 bi ut Antonino Roma, ut homini mundus.* Hanc
 Φιλανθρωπίαν Ill. *Leibnitius* in Codicis Juris Gentium
 praefatione vocavit *justitiam universalem*, qua docemur
 non solum, nemini nocere, sed et cunctis prodesse, quan-
 tum salvis sapientiae regulis fieri id possit, cujus virtutis
 summus gradus est probitas seu ipsa *Pietas*. Ut adeo
 sapientia, iudice viro eximio in Epistolis ejus a *Chri-
 stian. Kortbolto* editis vol. III. pag. 139. nihil aliud sit,
 nisi ipsa *scientia felicitatis*. DEO autem justissimo nihil
 felicius esse potest. DEUM igitur timere, est initium sa-
 pientiae; et in DEI communionē vivere, est maxima fe-
 licitas. Vera proinde Religio homines reddit reapse sa-
 pientes, et irreligiosi itaque homines omnium sunt stul-
 tissimi. Jam vero finis, quem DEUS pro justitiae virtu-
 te, sapientiae regulis attemperata, in producendo homi-
 ne

ne sibi proposuit, est ipsa generis humani felicitas, quam consequi non possumus absque vera Religione, et haec non datur absque cognitione perfectionum Divinarum. Quapropter Rectores Civitatis, qui universaliter justii esse debent, tenentur quammaxime, cives suos ad veram perducere Religionem, ut revera felices fiant omnesque virtutes excolere studeant secundum Naturae Legem vivendo atque ita actionibus suis liberis gloriam DEI ex suprema Naturae Lege illustrare discant.

Qualis enim esset status civitatis, ubi nil nisi exercitium juris cujusdam externi obtineret? ubi immanibus poenis immorigeri et refractarii perpetuo ad sua officia Juris Naturae externi adimplenda cogantur? ubi undique carnifices, eculeos, laqueos, terribilesque ignes in Republica conspiciamus? ubi denique omnis Majestas humana desineret in exercitium juris puniendi? Sane meo judicio perfectio hominum status moralis interni est fundamentum perfectionis status eorundem civilis externi; nam nisi consensus adest inter statum civium externum et internum, vera civitatis perfectio adesse nequit, sed deficiente perfectione status civium interni seu moralis, frequentissime etiam deficiet perfectio status eorundem externi seu civilis: hac autem deficiente, ubique laesiones jurium alterius perfectorum inde pullulabunt, quibus facinoribus frequenter perpetratis acerbiores poenae in laedentes statui debent, ut adeo Imperantes civitatumque Rectores ipsimet in causa sint, cur, neglecta scilicet cura ad perficiendum statum civium internum seu moralem, cives ubique in foedas libidines, in violentas alio-

aliorum laesiones, in turpissima flagitia et in dirissima crimina pro corrupto generis humani statu ruant atque malis aliorum exemplis excitati mox per pejores mores tandem in pessimas abripiantur consuetudines. Crescentibus vero in Republica hisce malis per neglectum status civium interni seu moralis Rectores civitatis immorigeros gravius puniunt atque sic propriae suae negligentiae cum delinquentium vitae damno vindices sunt acerrimi. Talis profecto est miserrimus et crudelissimus civitatis status *externus*, e quo status civium *moralis* exulat aut ejus perficiendi cura inter morositatis ludibria refertur.

Jam vero si haec omnia altius ex disciplina Juris Naturae pensaveritis, omnino mecum concludere debetis, *Religionem ad Rempublicam bene constituendam pruden- terque regendam maximi esse momenti*: per Religionem enim pietas excolitur; pietas autem ad observantiam Divinae Legis Naturae nos fortius adstringit et per nova motiva ab attributis Divinis desumpta virtutes omnes, quae sunt habitus secundum Legem Naturae vivendi, ad sublimiores evêhit gradus, atque sic statum hominum internum seu moralem maximopere perficit, quo perfectiore reddito, status quoque civium externus inde perficitur, ut quisque Legi Naturae convenientius vivere studeat, omniaque officia erga alios et erga se ipsum spectet tamquam officia DEO debita, qua fortius incitatur, alacriori animo etiam quaecunque boni Civis officia adimplere. Unde nunc intelligetis, quod *pietas*, ut Apostolus *Paulus* in Epist. I. ad Ti-

Timoth. cap. IV. vs. 8. scribit, *ad omnia utilis fit*, et per consequens etiam maxime utilis fit ad bene constituendam prudenterque regendam Civitatem.

Immo, ut ego quidem arbitror, licet etiam dissentiant supra laudati Viri excellentissimi, *Pufendorffius* nimirum et *Böebmerus*, homines *praecipue* Religionis et Pietatis colendae causa ex statu naturali in civitates coiverunt, ita ut *finis* omnis societatis civilis *summus*, quem intendere debet quaecunque Civitas, ipsa sit *Pietas*. Hoc equidem *Pufendorffii* adseclis, qui, ut *Lect. XI. Tom. I.* luculenter ostendi, Jus Naturae hujus terrenae vitae et externae tantum felicitatis temporalis ambitu includunt, admodum paradoxon videbitur: at, nisi Jus Naturae foede deturpemus, longe sublimiorem ex *Universi Ordine*, sive, ut cum *Grotio* loquar, ex *rerum convenientiis*, aut, ut *Wolfii* verbis utar, ex *consensu variorum in uno* tradere debemus Sanctioris Jurisprudentiae Divinae disciplinam. Summus enim universae naturae creatae finis est, ut creaturae rationales ex manifestatione perfectionum Divinarum perpetuo felices evadant, sicuti *Lect. III. Tom. I.* pluribus demonstravi; haec igitur manifestatio summarum perfectionum Creatoris indivulso semper nexu cum nostra vera felicitate cohaeret, ut nemo sine illa unquam felix esse possit. Quisque tamen ratione praeditus suam anhelat felicitatem, ut nullus tam bardus, aut stipes et caudex sit, qui non aliquo saltem felicitatis desiderio feratur. Hanc itaque in agendo subinde intendimus et tamquam *finem* actionis nobis proponimus; ergo et optimum et unicum ac necessarium

me-

medium, quo perducamur ad veram nostram felicitatem, adipere debemus, ut summae perfectiones Divinae ita nobis fiant fortissima agendi motiva. Gloria proinde DEI seu ipsa perfectionum Divinarum manifestatio nobis creaturis rationalibus summa quoque Lex Naturae est.

Huic summo fini fines ceteri particulares omnes et per consequens etiam fines quarumvis civitatum omnino subordinati esse debent, si consensus adsit in varietate. Hoc *rerum convenientiae* postulant, hoc *ordo universi* inculcat, hoc *perfectionis regulae* jubent. Vera quippe hominum felicitas continetur in perfruitione Summi Boni; summum autem hominis bonum consistit, prout ex *Lect. mea II. Tom. I.* patet, in non impedito progressu secundum Naturae Leges faciendo ad majores continuo perfectiones sive in convenientia actionum nostrarum liberarum cum ipsius DEI perfectionibus, in qua *moralis* hominis unione cum ipso DEO vera nostra continuatur beatitas. Hoc desiderium acquirendi hanc veram felicitatem homini per ipsam suam Naturam inditum est, hoc studium progrediendi ad majores continuo perfectiones, humanae Naturae convenientissimum est, siquidem cum hocce non impedito progressu ad majores continuo perfectiones ipsa hominis, ut dixi, vera felicitas indivulso semper nexu cohaeret. Quis vero, si sapit, dicere ausit, homines in civitates coivisse, ut verae suae felicitatis forent negligentiores? *Finis* potius eorum in agendo fuit, ut sese invicem conjunctis viribus redderent feliciores: hic finis ex ipsa Natura humana conspicuus est,

est, cum nemo mortalium sit, qui non felix esse cupit. Felix autem nemo esse potest absque custodia Legis Naturae; Lex vero Naturae Summa est Gloria DEI, quae tanto majoribus motivis, ideoque tanto fortiori obligatione nos obstringit, quanto majorem ad ceteros fines omnes particulares obtinendos habet efficaciam, habet autem maximam.

Maxima proinde etiam hominis obligatio naturalis est, vivendi vitam gloriae DEI consentaneam, sive dirigendi liberas suas actiones ad manifestationem perfectionum Divinarum. Hoc autem nemo facere potest, nisi qui omnes suas actiones Legi Divinae Naturali conformare studet. Atque in hoc studio, actiones suas Legi Divinae convenienter instituendi, consistit *Pietas*, quae exerceri nequit absque *Religione* seu certo DEUM colendi modo. *Religio* igitur et *Pietas* omnes virtutes inter homines sive quamcunque actionum nostrarum conformationem cum rerum *finibus* seu ipsis Sanctissimis Naturae Legibus ubique promovet atque amplificat; sine hac vero virtutum cultura et sine hac Legum Naturalium custodia quid, quaeso, Respublica aliud esset, quam spelunca latronum?

Ex quibus abs me breviter dictis abunde percipietis, quantum ad Rempublicam optime firmandam momentum adferat Religio. Dudum hoc inter ipsos Gentiles magnus Philosophiae moralis Doctor, facundissimum puto *Ciceronem*, eximie edixit, ita enim Lib. I. Cap. 2. de *Nat. Deor.* censet: *Pietate et Religione sub-*
la-

*latis, perturbationem vitae sequi et magnam confu-
sionem. Atque haud scio, inquit, an pietate adversus
deos sublata, fides etiam et societas humani generis,
et una excellentissima virtus, justitia tollatur.* Non
jam hoc loco vulgaria Jctorum argumenta pro maxima
Religionis ad Rempublicam gubernandum utilitate ex
necessitate Sacramentorum, quae absque Religione fieri
nequeunt, vobis proponam; talia enim Politicorum ar-
gumenta non aliunde originem habent, quam ex penu-
ria scientiae Juris Naturae. Meo potius judicio abu-
sus frequentiae jurisjurandi in Republica magis patet,
quam ut in ejus numero multiplicando salutem publi-
cam quaeramus. Rationes autem hujus meae sententiae
non adferam, sed iis adstruendis alio tempore vacabo.

Hoc loco potius admonendum esse duco, Religio-
nem, quae in complexu officiorum Juris Naturae consti-
tit, inter homines pro statu eorundem corrupto fere
sublatam esse. Ut igitur ad severiorem Legis Naturae
curam redeamus Christiana nobis Divinitus data est Re-
ligio, quae maxime ad *justitiam* nos reducit *universa-
lem*. *Ac proinde, judice ipso Pufendorffio in eximio
tractatu de Monarchia Pontificis Romani §. 4. ex inter-
pretatione Jo. Frid. Crameri, suscipi eam ab omnibus
mortalibus oportet. Nec in Religione Christiana,
ita post quaedam alia ibidem differere pergit, quidquam
obstat, quo minus mutuam inter se omnes homines
amicitiam colant et juris naturalis officia sibi invi-
cem praestent. Et paullo post: Nec in se quidquam
continet, quod societates civiles earumque Leges, quae*

CUM

cum Jure Naturae congruant, aut mutet aut perturbet, aut ullo denique incommodo afficiat: quin potius, etsi is proprie finis ei propositus haud est, majoribus eam praesidiis firmat arctioribusque vinculis constringit. Nihil quoque continet, quod cum eo, quem sibi societas civilis propositum habet, scopo pugnet aut prohibeat, quo minus aut sub tutela Magistratum vitam honestam, tranquillam et securam agere, aut omnia ac singula summae potestatis munia ex praescripto Legis Naturae atque rectae Rationis et ex usu Reipublicae obire et peragere aut cuncta Reipublicae, quae ad praescriptum Legis Naturae conformata sit, administrandae munera gerere, curationesque rerum civilium agere salva Religione Christiana possimus. Quin immo magnum ad ea consequenda momentum habet Christianorum disciplina; ut quae cum omnia Juris Naturae praecipua, sum ea, quae poenis ac suppliciis sanciri in Legibus civilibus minus commode potuerit, tradit et summopere inculcat: ac denique suum quemque munus, dummodo ne cum Lege Naturae aut honestate pugnet, cum cura et fide gerere et administrare jubet. Atque hac in parte nulla toto terrarum orbe seu Philosophiae, seu Religionis secta, aequiparare Christianam Religionem potest, id quod ex accurata singularum comparatione facile apparet. Quae cum haec sit, non solum unum quemque mortalium, quum animae suae rationem reddere DEO debeat, Christiana sacra suscipere, verum eos etiam, qui governa-

B

cula

cula rerum humanarum tenent, introducere ea aut introducta sveri, ob eas, quas commemoravi, causas oportet: idque officii et muneris Magistratibus nominatim mandati ratio postulabat. Ad quam Pufendorffii paragraphum Thomafius in suis observationibus apposite scripsit, neminem de hisce omnibus recte judicare posse, nisi qui scientia Juris Naturae oppido fuerit instructus; ideoque vir perspicacissimus inter arcana Papatus politica seu mysteria iniquitatis recensuit, dehortari juventutem, ut etiam in medio Protestantismo pro pudor! aliquando fieri solet, a doctrina Juris Naturae. Sed hac in re meliora tandem speramus tempora, ut Religio firmiori suo stabiliatur tibi sine et Christiana cum Naturali, prout par est, amice jungatur, quo una utriusque concordia sit. Quamobrem acutissimi ingenii Leibnitiuss in Dissertatione, quam Christian. Kortbolus Leibnitianarum Epistolar. Vol. III, de actorum publicorum usu atque de principiis Juris Naturae et Gentium pag. 123. et seqq. exhibuit, ibique §. III. inter doctorum virorum desiderata retulit Jus Naturae et Gentium graduum secundum disciplinam Christianorum.

Saltem Melancthon in *Epitome Philosophiae Moralis*, et ejus discipulus Nicolaus Hemmingius, in *apodictica metodo de Lege Naturae*, qui ambo ante Grotium Jus Naturae illustrare illudque ad *Decalogum* referre studuerunt, τα ἀνωτερα et sublimia ex CHRISTI documentis atque novis factae Redemptionis motivis de-

santa, vix ac ne vix quidem pro amplificando *Jure Naturae Christianorum* designarunt.

Utrum vero in hoc doctrinae genere ego Lectionibus meis Tomo I. jam publice editis, praesertim de *Officiis erga Deum*, aliquid praestiterim, et hisce praesentibus aut in posterum adhuc quidquam praestiturus sim, peritorum lubens judicio relinquam. At vereor tamen, ne sint, qui de termino Jurisprudendiae moto vehementer quiritentur.

L E C T I O II.

Continuatio materiae de Religione, optimo Civitatis sine atque firmissimo ejusdem praesidio.

Praecedenti Lectione verbulo monui, quod nonnulli Religionis utilitatem in Civitate regunda ex necessitate jurisjurandi in eadem frequentandi commonstrare solent, sed satius ego duxi, longe alia eaque fortiora argumenta pro maxima Religionis ad Rempublicam bene constituendam necessitate ex ipsa Natura humana, quae nos uni DEO omnes mancipat, ideoque Pietati et Religioni nos addicit, altius repetere. Etenim obligatio hominis ad Religionem est obligatio omnium hominum *connata*, quia omnes creaturae DEI sumus; ab hac autem obligatione connata nemo hominum facto suo per

ullam quocunque modo *contractam* societatem se liberare valet, sed potius omnes obligationes hominum contractae perpetuo conjunctae sunt cum obligationibus istis connatis. Homines igitur dum societatem inter se contraxerunt civilem, non aliud velle potuerunt, quam ut per societatem istam civilem aptiores sese redderent, ad satisfaciendum obligationibus suis connatis immutabilibus; mutabilia enim semper cum suis fixis et immutabilibus in hoc universi ordine convenire debent; ideoque et civitates, utpote societates *contractae*, quae mutabilibus hominum factis constituuntur, etiam indivulso nexu cohaerent cum immutabili et fixa omnium hominum societate *naturali* connata, quae per ipsius hominis rerumque essentias Divina quadam sancitur ratione, qua totum genus humanum per ipsam Naturam conglutinatur, ut in eundem finem omnes homines mutuis auxiliis suavitet conspirent, quo vivant tamquam entia rationalia rationi suae, et tamquam partes universi perfectioni totius, ac denique tamquam creaturae DEI gloriae Creatoris Opt. Max., quantum fieri potest, i semper convenienter: per hasce quippe actionum humanarum convenientias cum optimis universi finibus deum vera hominum felicitas promovetur. Sic totus mundus, quam late patet, nil nisi cultus Divini mutuique amoris ac omnium omnino virtutum schola esset exornatissima, in ut in cognitione *Veri* per profundiorum universi contemplationem et in electione *Boni*, sepositis nimirum pravis respectibus perfectissimus foret omnium consensus, et perpetuus ac non impeditus progressus ad majores continuo perfectiones, in quo non impedito progressu ad

ma-

majores continuo perfectiones summum hominis bonum ac inde oriunda vera hominum felicitas consistit.

At, bone DEUS! quantum homines ab hac Lege Naturae, ab hac sanctissima omnis felicioris vitae norma, in quaevis devia deflexerunt. Obligatio tamen naturalis nihilominus firma stat et immota, qua Lege Naturae tenentur, gloriae DEI, perfectioni universi et rationi suae convenientius vivere. Hoc autem pro statu hominum corrupto, deficiente mutua charitate contemptoque Naturae jure, fieri nequit, nisi homines in Civitatem coeant; quo, remotis aliorum metuendis laesionibus, tutius et commodius conjunctis viribus animos suos varia doctrina et, quae ad eam perficiendam necessario requiruntur, varias quoque res artificiales et industriales feliciter excolant, atque ita demum usu facultatum animae tam superiorum, quam inferiorum per universi contemplationem ad suos fines disposito in gloriam DEI iterum vivere discant. Ex essentia igitur hominis fluit, ut gloriae DEI sive illustratio perfectionum Divinarum, in qua consistit ipsa Religio, sit finis omnium civitatum, quem intendere debent homines, qui in civitatem coeunt. Et cum ea, quae essentialiter insunt pactis, eandem vim habere debeant, ac ipsa expresso consensu definita; essentialia enim sunt immutabilia, in quae proinde paciscentes semper consentire praesumuntur, quoniam rei naturae et rationi conveniunt, quae firma semper manent, quamdiu ratio inter homines locum inveniat: hinc nemo dubitare potest, quin Religio, quae ex obligationibus hominum connatis essentialibus

arque ex jure eorundem immutabilibus fuit, in Republicam quoque tantum habeat momentum, ut ipsa firmissimum sit Civitatis fundamentum atque perenne stabilitum, immo ad quasi-pactum Civitatis, quod praesumpto in Civitates coeuntium consensu inicitur, merito quoque referri debeat; homines enim, et non bruta in Civitates coivere, humanae igitur Naturae convenienter etiam Civitates omnes institutae esse debent.

Atque ex hoc quasi-pacto Civitatis fluunt obligationes imperantium, quibus tenentur, omnibus aptioribus mediis promovere verum DEI cultum ad promovendum veram civium suorum felicitatem: immo ex hoc quoque quasi-pacto Civitatis fuit obligatio subditorum, ut quocumque convenientissimo modo veritatem sanctitatemque Religionis tueantur, nec unus alterius Religionis libertatem infringat, aut ullum eidem inferat praesudicium. Civitates proinde eum in finem praecipue institutae sunt, ut obligationibus nostris Naturalibus, in primis quoad colendum DEUM, eo melius satisfacere queamus, quo homines inde veram suam demum adipiscantur felicitatem.

Equidem fieri potuit, ut homines in Civitatem coeuntes hunc optimum Civitatis finem sibi ob oculos haud posuerint, sed ideo tamen hicce finis, qui societati civili est *essentialis*, non evertitur aut unquam everti potest: finis quippe, qui ex ipsa Societatis Natura fuit, non pendet ab arbitrio aut vana hominum opinione, sed manet semper idem ac immutabilis, et ex consensu

praes-

praesumpto vel, si mavultis, *tacito* vim suam nanciscitur aut nancisci debet inter homines, quia homines rationales rationi et essentiae suae humanae rerumque finibus convenienter vivere Lege Naturae immutabili tenentur. Dabo exemplum, ut haec clarius intelligatis: Sic V. gr. finis matrimonii est procreatio sobolis et honesta ejusdem educatio; fieri autem potest, immo pro statu generis humani corrupto fit plerumque, ut ob lasciviam implendam aut aliam illicitam intentionem matrimonia ineantur; non ideo tamen *verus* et *essentialis* matrimonii finis per vagas hominum intentiones everti potest, sed eadem obligationes naturales eademque jura naturalia, quae ex hocce *vero* matrimonii fine fluunt, semper in quocunque matrimonio, quamvis lasciviam adimplendi causa tantum contracto, subsistunt, nec conjuges ideo ab obligatione sua naturali, honeste educandi sobolem, five ab ipso matrimonii fine sese liberare valent, quamvis de eo ne quidem cogitaverint, dum societatem contraxerunt conjugalem. Immo licet quis per scortationem aut etiam per ipsum adulterium sobolem procreaverit et sic initium procreatae sobolis prorsus vitiosum fuerit; non ideo tamen nexus *naturalis* tollitur aut vitiatur, qui parentes inter et sobolem istam per ipsam *essentiam* intercedit. Sic et homines, dum societatem inivere *civilem*, in omnia jura et obligationes consensisse censendi sunt, quae ex ipsa Natura et fine Civitatis consequuntur, licet nihil quidquam de iisdem cogitaverint, immo quamvis factis admodum illicitis, utpote latrociniiis et immensa dominandi libidine primordia Civitatis constituerint; nam non ex *factis*, sed ex ipsis rerum

essentiis jus Naturae sanctissimum derivamus, quod igitur ex factis hominum non corrumpitur, sed semper fixo suo stat talo; ideoque initia Rerumpublicarum vitiosa aut nefaria hominum, qui in S. Litteris *Genes.* cap. VI. vs. 4. **דַּנְפְּלִים** vocantur, facinora non potuerunt tollere nexum Civitatis *Naturalem*, et non vitiosum, qui colligatur per finem societatis illius civilis; finis vero societatis conspicitur ex finibus singulorum hominum pro suis individuis, ex quibus societas ista componitur, quae societates simplices compositae inter se conglutinatae et in unam quandam societatem maximam communis salutis obtinendae causa coalitae ipsam constituunt Civitatem, cujus finis igitur, ut dixi, colligitur ex finibus singulorum hominum et quarumvis societatum minorum in societate civili maxima occurrentium, qui itaque Civitatis finis non alius est aut esse potest, nisi collectio finium omnium *licitorum*, qui ex ipsa hominis Natura *animali*, *rationali* et *sociali* secundum universi ordinem consequuntur. Et horum summus finis est *gloria* DEI, sive illustratio perfectionum Divinarum, cui ceteri fines omnes, tamquam media, subordinati sunt, ut per hanc subordinationem mediorum cum fine illo optimo veram nostram felicitatem Legi Naturae convenienter promovere, conjunctis per societatem civilem viribus mutisque ita auxiliis, impense studeamus gnaviterque adlaboremus. Quamvis igitur perversae hominum in Civitatem coeuntium cogitationes eidem constituendae ansam dederint, hicce tamen illustrandae gloriae Divinae finis, qui determinationibus singulorum hominum essentialibus praefigitur, semper idem manet, et proinde *Religio*,
quae

quae modum colendi DEUM sive illustrandi gloriam Divinam tradit, suprema Civitatis Lex est. Propter hanc itaque inter homines amplificandam interque gentes propagandam *primario* constitutae sunt Respublicae.

Pufendorffio autem, cujus verba praecedenti Lectione allegavi, profus negamus, hanc Religionem cultumque Divinum aequè in statu Naturali, ac Civili abs hominibus exerceri posse; tot enim cujusvis scientiae disciplinae, tot res artificiales et industriales ad excellendam Religionem requiruntur, ut scilicet publicae communibus impensis instituantur Scholae, cujusvis Scientiae Magistri eligantur, libri in quovis doctrinae genere conscribantur, templa exstruantur, ecclesiae Doctores praeficiantur et quae sunt plura ad promovendam Religionem necessaria requisita, quae sane multiplicato jam genere humano et derelicta communione rerum primaeva atque violata mutuae charitatis Lege inter homines pro statu eorundum corrupto absque statu Civitatis vix ac ne vix quidem locum habere possunt.

Status itaque Civitatis est optimum medium servandi, emendandi et propagandi inter homines Religionem, quae absque Societatibus Ecclesiasticis, multiplicato scilicet genere humano et multiplicatis Sacris hominum dissidiis diu vigere nequit, nec etiam hae Ecclesiae externae absque Civitate tuto subsistere possunt, ut adeo mihi persuaderem, Religionem absque Civitate fore demum nullam. Unde ex ipsis Juris Naturae principiis, quorum optimam interpretationem in S. Litteris toties depre-

hendimus manifesto constare mihi videtur, *Civitatem esse Ecclesiae nutricem*. Profanus igitur est Auctor famigeratissimus *Roussseau*, qui statum mere naturalem inter homines reducendum esse censet, immo qui praeterea scientiae disciplinas et artes hominibus multo magis nocere, quam prodesse defendit, ac multo denique felicius fore genus humanum existimat, si nullis scientiae disciplinis excultis homines viverent in simplicitate naturali. Hoc equidem *Roussseau* concedimus, homines saepius abuti multifaria scientia et artibus, adeo ut in proverbium abierit, *quo doctiores, eo nequiores*; ideoque eo respectu verum est, quod non usus abusui scientiae praefendus sit. Hinc si doctrinam Moralem, si Jus Naturae, si Religionem et Pietatem a scientiae disciplinis separemus; tunc quoque homini haud raro aut saltem sibimet ipsi plus per scientiae culturam nocet, quam prodest; nam quo quis plus noverit, eo periculosior fit, si malitia accedit, quoniam tunc major est ingenii versutia. Sic homo homini, ut apud *Plautum* dicitur, lupus, immo, ut ego dicerem, Diabolus fit. Ergo si Jus Naturae, si disciplinas Morales, si ipsam Pietatem neglexerint Eruditiores cujusvis scientiae cultores, non multum felicitati generis humani aut saltem non suae promovendae profunt. At talis non est optimus Civitates finis, quem sibi famosissimus *Roussseau* representavit. Finis potius Civitatis est, ut homo homini homo fiat et Angelus, nam finis Civitatis involvit etiam finem ipsius Ecclesiae seu verae Religionis et non simulatae Pietatis; haec autem absque Civitatis auxilio satis commode inter homines promoveri nequit.

Per-

Perpendite, quaeso, *Commilitones Optimi!* quotuplices res industriales et artificiales requirantur solummodo ad conscribenda primum Biblia aut typis eadem dein imprimenda, quae extra statum Civitatis ob deficientem rerum industrialium et artificialium sufficientiam admodum difficulter conscribi; multo minus typis imprimi possent. Sic datur ubique rerum artificialium et industrialium atque moralium nexus et mutua inter se dependentia, quam dissentientes non satis attendere videntur.

At vero, quamvis Religionis curam ad supremam Civitatis Legem retulerim, non ideo tamen cum *Constitut. Housuynis in Polit. General. §. 63.* adserere velim, quasi homines, dum in Civitatem coeundo suas voluntates voluntati imperantium submiserunt, etiam per hanc generalem submissionem in imperantis arbitrium ipsam Religionem contulisse censeantur. Hanc portentosam *Hobbesii* et, qui eum sequitur, dicti *Housuynis* opinionem profligabo aliquando in sequentibus. Hoc autem loco tantum generaliter moneo, Civitatis Rectores recta adhibere media debere, quibus vera Religio in Republica promoveatur: ineptissima autem media ad veritatem Religionis tuendam procul dubio forent vis externa, minae, proscriptiones, exilia, bonorum confiscationes, tormenta, cruciatus, equulei, carnifices et denique etiam, quod praefiscini dixerim, infames librorum combustiones aut poenales eorundem censurae. Non igitur subditi in Principem jus cogendi Religionem, sed tantummodo jus constituendi media, docendi et suadendi Religionem, transferunt.

Et-

Etenim bonis Civitatum Rectoribus maximae curae esse debet, ut Rempublicam suam, quantum in illorum potestate est, vere felicem reddant. Bona autem fortunae, unde hominum fortuna aestimatur, per se homines non reddunt felices, cum nemo absque Legis Naturae custodia felix esse possit; sic etiam Respublica *fortunatior* quidem fit ex multiplici mercaturae genere et inde multis corratis undique divitiis, sed inde tamen *felicior* non evadit, nisi cives bonis fortunae Legi Naturae convenienter utantur; tunc enim status Reipublicae externus cum statu ejusdem interno sive status politicus cum statu morali conspirat et sic perfectio Civitatis inde nascitur atque ita demum felicior fit Respublica.

Cum igitur felicitas sit finis in agendo a nobis intentus; hinc etiam homines in Civitatem coiverunt, ut veram suam felicitatem melius promovere possent: quod tamen fieri nequit absque Religione, quae semper conjuncta esse debet cum custodia Legum Naturalium. Quapropter in Republica, ut homines reddantur ad observantiam suorum officiorum proniores, omnino danda est opera, ut Pietas et Religio excolatur, quo singuli maxime proclives fiant, ad suas secundum Legem Naturae seu perpetuam sanctioris vitae normam componendas actiones.

Equidem in Civitate potissimum actus tantummodo externi in censum veniunt, quatenus jus alterius perfectum inde non laeditur, ideoque ad cultum et custodiam Legis Naturae, quae actionum nostrarum in omnes

nes

nēs partes rectitudinem sive omnem omnium facultatum nostrarum usum, omnibus suis finibus particularibus, firmum demum summo sive gloriae DEI subordinatis, accurate convenientem, atque adeo consensum actionum nostrarum externarum cum internis sanctissime praecipit, ad hanc, inquam, Legum Naturalium observantiam, quae absque interna Religione et non simulata pietate adesse nequit, nemo civium cogi potest, cum de internis alter judicare non valeat. De hisce enim Soli DEO, cordium perscrutatori, judicium competit. Absque hoc tamen consensu actionum humanarum externarum cum internis Legi Naturae conveniente sive absque veris virtutibus cum non detur vera hominum felicitas; hinc satis inde patet, non dari in Civitate remedia cogendi, ut homines revera felices sint, sed qui felix esse nolit, id in Republica humana ferendum est. Veruntamen in Republica bene constituta, nihilominus, maximopere cavendum est, ne, qui infelices esse volunt, etiam aliorum felicitati obicem ponant; nam si male feriati homines, qui Legem Naturae contemnant, in Civitate felices esse nolint, non tamen aliorum felicitatem et inde sperandam Reipublicae salutem sufflaminare et retundere debent.

Vera autem Religio nos quasi manu ducit ad Legis Naturae observantiam et Lex Naturae ad Pietatem et Religionem nos obstringit, ita ut Jus Naturae, in toto suo ambitu spectatum, cum vera Pietate et Religione; haec autem vera Religio cum Legis Naturae observantia continuo et indivulso nexu inter se cohaereant. Quid enim

nim esset Religio, si Legem Naturae tollamus? Ipsae virtutes consistunt in habitibus actiones suas ad Legem Naturae conformandi et in contrariis habitibus vicia sese enserunt. Perpetua itaque sanctioris vitae norma manet ipsa Lex Naturae, quam si tollamus, ipsa Religionis sanctitas simul inde tollitur. Status vero hominum corruptus consistit in proclivitate contemnendi, transgrediendi et violandi Legem Naturae: ex hoc statu omnes humani generis miseriae infelicitatesque consequuntur. Qui status hominum, contra Leges Naturae vivendi, continuis perpetuum involvit omnis perfectionis defectum et sic a DEO, ente perfectissimo, nos reddit alienissimos; hoc autem statu durante nihil infelicius, nihil miserabilius nihilque horribilius fingi unquam potest.

Hicce status infelicitatis revera foret continuus, nisi homo tempestive ad Legis Naturae observantiam reduceretur. Id autem pro statu generis humani corrupto fieri nequit, nisi Religio accedat Divinitus revelata, qua nobis convenientissima pandantur media, ut homo ex violatione Legis Naturae in miseriam detrusus, a poena violatae Legis Naturae liberatus, iterum vivat sanctiorem vitam Legibus Naturae congruentem, sive, ut cum Theologis loquar, ut homo in statu destituto in quaevis mala moralia pronus, per statum restitutum ex *vicio* verae Religionis cognitione, adspirante Numine Divino, iterum proclivis reddatur ad severiorem Legis Naturae curam.

Per hanc sollicitam Legis Naturae custodiam, non im-

impeditus inter homines datur progressus ad majorem continuo perfectionem: et in hoc non impedito progressu ad majores continuo perfectiones vera hominum consistit felicitas, quae gaudium parit, laetitiam atque voluptatem nunquam interitaram. Haec Religione imbutus quisvis rebus suis non solum contentus vivit, sed et ad omnia officia Juris Naturae subeunda longe promptior redditur atque alacrior. Virtutibus maximopere studet, qui hac Pietate est praeditus, et si forsitan ex imbecillitate humana a virtutis tramite ad vitia deflexerit, facile iterum per Religionem non simulatam in rectam se reduci patitur viam.

Quis igitur adhuc tam bardus esset, qui ex hisce breviter dictis altius pensitatis haud intelligeret, Religionem Christianam, Jure Naturae Divino fundatam, quae homines ad quasvis virtutes excolendas, per motiva ab opere Redemptionis desumpta, fortius adstringit, quaeque a vitiis eosdem abducit, esse optimum Civitatis praesidium. Profecto non illa est beata Respublica, prout quidem *Agésilauus*, Rex Spartanus dixerat, cujus fines hasta et gladio terminarentur, sed haec potius beatissima est Respublica, quae Religionem, sanctissimo Naturae Jure fundatam, et sic justiciam universalem, pro finibus habet; nunc enim, si Religio, quae Legum Naturalium custodiam promovet, in Republica vigeat, boni mores plus valebunt, quam millestae Leges Civiles; Leges quippe civiles nequiquam virtutum comitatu homines ornant. *Quod vero viros bonos Jure civili fieri putas*, inquit *Cicero* de Orator. Lib. I. cap. 58. *quia Legibus et*
prae-

praemia proposita sint virtutibus et supplicia vitiis: equidem putabam, VIRTUTEM hominibus, si modo tradi ratione possit, instituendo et persuadendo, non minis, et vi, ac metu tradi. Ut adeo ineptiant, qui Juris Civiles disciplinam, morum Magistram venditent,

Sin autem nulla Religio in Republica obtinet, etiam nemo gaudet aptitudine sibi repraesentandi summas summi Numinis perfectiones; ideoque tunc fortissima actionum hominum liberarum motiva, quae a Divinis petuntur attributis, evanescent. Unde fieri solet, ut, dum homines absque spe praemii et metu poenarum rarius officiis suis naturalibus satisfaciunt et rationi suae parum convenienter vivunt, in Republica constituta solo metu viliter regantur externaque tantummodo convenientiam cum Legibus sancitis Civilibus in agendo adfectent, posthabita omnium Virtutum cultura. Deest tunc consensus actionum externarum cum internis: virtutes morales tum penitus negliguntur, et tantum in iis, quae solum intellectum perficiunt, absque voluntatis emendatione, perfectionem quandam anhelant homines. Sic a brutis equidem solo rationis usu distinguuntur homines, sed dum virtutes morales omnes temere vilipendunt et in pravitate voluntatis perseverant, solumque intellectum in iis, quae voluntatem non emendant, perficere student; hinc quo se magis a brutis secernunt, eo magis Diabolis fiunt similes, dum majori acumine pollent, alios per quasvis insidias circumveniendi. Quis vero, si sapit, dicere audeat, talem Rempublicam, ut ita loquar, Dia-

bo-

bolicam, ubi Religio nimirum et virtutes deficiunt morales, unquam felicem esse posse? Saepius jam monui, statum hominum moralem, bene constitutum, esse fundamentum felicioris status civilis. Hinc ubi corrupti mores; dissoluta vita, contemptus Juris Naturae Religionisque Rempublicam invadunt; tum hostes sane adsunt multo periculosiores, quam si una gens alteri bellum infert truculentissimum; nam haec Reipublicae vitia populo plus inferunt vastitatis, quam externa bella, quam famas morbove pestilentiores, quum sublata perfectione status civilis interni etiam status ejusdem civitatis externus nunquam perfectus esse queat: et quo magis perfectio status interni praeferenda est perfectioni status externi, eo magis vitanda sunt impedimenta, quae progressum ad perfectionem illius status interni summo opere sufflamant. Et haec perniciosissima impedimenta in primis consistunt in contemptu Religionis Jurisque Naturalis.

Non autem miremini, A. A. H. H. quod cum Religione Jus Naturae semper jungam; nam absque cultura Juris Naturae Religio nulla aut plane imaginaria est et in meram superstitionem aut Fanaticorum insaniam degenerat: finis quippe Religionis est sanctior vita; hujus autem perpetua norma est Lex Naturae: sine hac igitur Lege Naturae illa Religio, si Rationalis sit, subsistere nunquam potest.

Felicior itaque et quidem longe felicior, quod pace vestra dixerim, nostra foret Respublica, si Theologi om-

C

nes

nes affueferent scientiæ et culturæ Juris Naturæ; Theologi quippe tunc singulis civibus aut saltem Ecclesiæ suæ membris custodiam Legis Naturæ rectius inculcare possent. Immo felicior quoque nostra foret Respublica, si Juris-Confulti præter jus Patriæ suæ propria, tam publica, quam privata, Juris Naturæ Scientia et Religionis cognitione oppido essent instructi, ut illorum quisque rectius inde perspiceret, quam difficile sit, bene imperare Civitati; boni enim Politici ex *Platoniorum* veterum sententia officium est: *nasse Divina et regere humana.*

Nec putetis, obsecro, talem Rempublicam, quam ego felicem prædicavi, nusquam pro statu generis humani corrupto existere posse, nisi fortassis in *Platonis* cerebro, aut in *Republica Solis*, quam *Campanella* extruxit, aut in *Utopia* illa, quam *Thomas Morus* descripsit, ut *Gundlingius* in *Dissert. de Statu Naturæ Hobbesii per Corpus Juris Civilis Rom. defenso* occasione L. 5. Dig. de Just. et Jur. ibique §. VII. falso loquitur. At gannunt multi Politici, *Hobbesii* principis innutriti, de *Republica Platonis*, quando scilicet nevos Reipublicæ quidem perspiciunt, sed remedia ignorant, quibus vitia Reipublicæ emendentur. Hæc autem remedia ipsa nobis indicat Natura, dummodo Divini Juris Naturæ disciplinam perspicacius indagaverimus. Nihil autem indignius est Christianis Politicis, nedum Theologis, quam Rempublicam *Platonicam* dicere illam ordinatam Civitatem, quæ Legibus Naturæ obtemperat; qui enim *Naturam* sequitur, non *Platonem* aut ali-

alium quendam Philosophum, sed ipsam DEI sanctissimam Legem, ad quam observandam omnes tenentur mortales, pie sequitur. Natura autem nobis perpetuum ad majores continuo perfectiones indigitat progressum. Nunquam igitur subsistendum est in limine, sed in interiora Naturae adyta progredi debemus, ut, quam hastenus nondum adsecuti sumus perfectionem, eam aliquando data omni opera consequamur. Rebelles proinde sunt in Civitate DEI, qui de finibus Jurisprudentiae Naturalis regundis ita ex mentis suae angustia disserunt, quasi hominibus, qui tamen respectu Legum Naturalium subditi sunt, concessa esset facultas, Divinae illi Jurisprudentiae praescribendi limites, seque ita et alios ab obligationibus naturalibus, quae continuum perfectionis progressum postulant, impie liberandi.

Nos autem cum illis vitio creatis censoribus non amplius tam misere coecutimus in disciplinis moralibus; felix enim nemo, felix quoque nulla Respublica esse potest absque cognitione et custodia Legis Naturae; ideoque ubique *το κατὰ φύσιν Βίον* siue *Naturam sequi*, est optimum et Civitatis bene constitutae et ipsius verae Religionis praesidium, ut adeo vera Religio semper cum Jure Naturae arctissime cohaereat. Haec itaque Religio, Jure Naturae corroborata, est fundamentum et columna totius Reipublicae: haec optimum Civitatis propugnaculum, est et tutamen; Leges enim Civiles tantum temporalem respiciunt civium felicitatem et externam eorandem tranquillitatem, nec homines reddunt virtutibus praeditos, sed Religio aeternam respi-

cit salutem viamque facit planam virtutum cultoribus. Hujus igitur Religionis motiva animis hominum tanto efficacius sese insinuant ad flectendas eorundem mentes, quantò longius distant aeterna a momentaneis. Unde magnum imperio robur addunt, qui non fìctæ nec perfunctorie Religionem colunt et tuentur. Dudum hoc probi Politici, inimo pro modulo suo inter ipsos quoque Gentiles, agnoverunt: hinc magnus *Alexandri M. Politices Doctor, Aristoteles in Politicor. Lib. VII. cap. 8.* meditatus ea, sine quibus Civitas esse nequit, praecipue recenset *την περι το Θειον επιμελειαν* sive *curam Religionis aut eorum, quae ad naturam divinam referuntur.*

Veruntamen prudentes Civitatis Rectores in dirigenda civium suorum Religione nullum conscientiae imperium, quod soli DEO comperit, sibi unquam arrogare debent; in eo enim ipsum DEUM imitari tenentur, qui, licet etiam ipsi competat dominium conscientiae et imperium in conscientiam humanam, et licet quoque ipse omnes falsas Religiones illico et funditus extirpare hominesque falsam Religionem amplectentes mox graviter punire possit, non tamen id facit, sed sua longanimitate fert hominum errores falsasque Religiones, nec ulla utitur violentia, at potius efficacissimis homines argumentis de veritate Religionis illorumque officiis in cultu Divino largiter convincit. Sic etiam bonus Civitatis Rector omnem sapienter navare debet operam, ut cives solidissimis rationibus de Veritate Religionis illorumque circa eam officiis convincantur aut fal-

saltem convinci possint, dummodo velint: et qui convincuntur, in Republica nihilominus, quantum salva salute Civitatis publica fieri potest, aequo jure tolerantur, quoniam ipse DEUS, cui uni in Religiones et conscientias humanas competit imperium, eosdem in universi ordine tolerat ipsisque tantum temporis spatium respiciendi et meliora amplectendi permittit. De qua tolerantia quarumvis Religionum, fini Reipublicae haud adversarum, civili in sequentibus paulo tractabo prolixius.

LECTIO III.

De Jure libertatis Religionis, unicuique adversus quemvis competente.

Libertas Religionis est fundamentum *Protestantismi*. Hanc igitur Religionis Libertatem, omnibus, quibus par est; rationibus adstruere debemus, antequam ipsam Ecclesiae Protestantium notionem recte formare valeamus, ut ita praemissis evidentioribus Juris Naturae principiis inde luculentius pateat, quod Protestantes, saltem saniores, totum suum Jus Ecclesiasticum unice secundum Naturae Legem dijudicent, nihilque proinde adferant, quod verae Politices regulis repugnat; ideoque et Pontificii nihil habeant, de quo ob vindicatam a Protestantibus Libertatem Ecclesiasticam speciosa criminatione quiritari possint. Haec quippe Religionis Libertas tanti

est momenti, ut ea sublata non amplius vera subsistere queat Religio: vera autem Religio firmissimum est bene ordinatae Civitatis stabilimentum atque optimum ejus praesidium, immo unicum verae felicitatis inter homines promovendae remedium, prout duabus praecedentibus satis copiose demonstravi Lectionibus. Quodsi itaque cultus Divini Libertas, cum qua statque caditque vera Religio, per Ecclesiam quandam externam tolleretur, aut si fortassis haec Laicorum Libertas quoad Religionem arbitrio submitteretur clericorum, mox vanis hominum opinionibus fides esset tribuenda, ut ipsa Divina veritas cederet. Tum sane illud obtineret, quod nuper *Christianus Batavus* ingeniose cecinit:

*Dan won de Reeden nooit een pleis
Van Meesters der Rechtzinnigheid,*

Quamobrem plurimum totius generis humani interest, ut Religionis Libertas solidissimis stabiliatur defendaturque rationibus.

Hoc fieri autem non potest, nisi singulorum hominum obligationem tam ad Religionem Naturalem, quam Revelatam ex ipsis Naturae principiis efficacissime commonstremus. Etenim *Jus libertatis est moralis facultas inter homines ita agendi, ne actus nostri aliorum subsint voluntati.* Hoc jus Libertatis ipsa nobis Naturae Lex tribuit inter homines, quoniam omnes Natura aequales sumus, nec uni in alterius actiones jus per Naturam competit perfectum, quamdiu nulla praecesserit laesio, nec ulla translatio juris ab uno in alterum facta fuerit;

nam

nam quatenus vi libertatis naturalis jus quoddam in nostras actiones transferre possumus in alium, eatenus hac translatione facta ex propria nostra libere declarata voluntate libertas agendi restringitur, ut sic eo respectu quoad istos definitos actus non amplius gaudeamus jure Libertatis nostrae naturalis, sed ex *contracta* obligatione teneamur, juri in alterum translato satisfacere. At vero si nostrum jus libere agendi seu Libertatis naturalis consequatur ex obligatione nostra connata, per Naturam nobis imposita ut eidem obtemperemus, tunc, quoniam ab hac connata obligatione nosmet liberare haud valemus, semper quoque jus agendi sive Libertatis naturalis, inde oriundum, tuto inter omnes homines subsistere debet, illudque connatum et immutabile ac proinde etiam perfectum est sive conjunctum cum jure cogendi alios et resistendi quibuscunque, qui nos in libero hujus juris exercitio impedire conantur. Haec Libertas proinde Naturalis, quae ex obligatione connata oritur, per statum hominis adventitium sive societatem contractam, utpote Civilem aut Ecclesiasticam, nunquam inter homines tolli potuit, quamdiu homo homo maneat, soli-que DEO, Naturae Auctori, summum imperium in creaturas suas rationales competat, cui uni semper in omni casu sine ulla parendum est exceptione. Haec autem agendi Libertas inter homines tanto major esse et vigere debet, quanto fortior est obligatio naturalis, quae singulos tenet: eo autem fortior fit hominum obligatio, quo plura motiva cum liberis eorundem actionibus connectuntur, et eo quoque amplius redditur jus libere agendi. Jam vero tanta sunt hominum quoad Religionem

excolendam motiva , ut ad qualemcunque rem aliam nulla plura et majora , quibus satisfaceret homo , formari unquam possint. Ergo et, obligationem hominis ad veram Religionem omnium , quae inter homines dari possunt , obligationum revera maximam esse oportet , eamque in ipsa hominis Natura fundatam , ideoque omnium hominum connatam et immutabilem , prout ex iis , quae Lectionum mearum Tomo I. praesertim de officiis erga DEUM fuse explicavi , plenius intelligere poteritis.

Sin itaque maxima est hominum obligatio naturalis , omniumque connata ad Religionem excolendam , per se tunc inde consequitur , singulis quoque hominibus in causa Religionis plenum competere jus Libertatis naturalis , quod *per nullam humanam societatem et per consequens etiam nec per Civitatem ullo modo restringi , sed potius amplificari et contra quoscunque turbatores severius defendi debet* , quemadmodum in meis *Instit. Jur. Civ. Priv. et Reip. Gron. Oml. propr.* Part. I. §. CLXXIV. ibique in *Schol.* prolixius jam indicavi , quam opinionem nec dum a me amotam esse volo. Nam qualis , quaeso , obligatio foret singulorum , nisi singulis etiam jus competeret ad omnes actus , satisfaciendo obligationi suae naturali , immutabili et connatae necessarios? Nullus profecto foret obligationis effectus , si jus ad ejusmodi actus sive ipsum exercitium juris deficeret. Ergo Lex Naturae , quae nos fortissime obligat ad Religionem , etiam singulis amplissimum jus dat ad omnes actus , sine quibus Re-

li.

ligio exerceri nequit: alias enim sanctissima Lex Naturae, quod cogitatu absurdum et dictu profanum esset, sibimet ipsi contraria foret, si nobis obligationem imponeret immutabilem et connatam, et tamen aliis jus tribueret, nos impediendi in iis actibus, qui ad Religionis exercitium necessario requiruntur.

Connata praeterea et immutabilis est obligatio hominis ad Religionem; ergo etiam homo jus ad actus Religionis suae in alterum transferre nequit. Etenim si homo tale jus praescribendi actus ad Religionem necessarios transferre posset in alterum; tunc homo se ipsum liberare valeret ab obligatione sua connata et immutabili, eaque omnium maxima; ideoque facto suo humano infringere posset ipsum summum imperium, quod DEUS in hominum actiones per Leges Naturae saluberrimas exercet atque inde benignissimi Patris instar veram et communem generis humani felicitatem intendit. Furibundus igitur et insanus foret homo, qui jus Religionis, quod DEUS ipsi tribuit, ut inde summi-boni particeps fieret, ac de cujus exercitio itaque rationes reddere teneretur supremo Numini, in alium hominem aut qualemcunque creaturam, licet etiam Angelus e coelo esset, supine transferre vellet: transferri quippe hoc jus minime potest, quoniam connatum est, quod ex obligatione connata oritur, a qua nemo mortalium se liberare valebit, cum haec obligatio ex ipsa Naturae Lege nascatur, quae Lex est Divina ac proinde factis humanis immutari nequit. Talis igitur translatio juris omnium quoad Religionem connati, quod per Legem Na-

Naturae Divinam singulis tribuitur, quodque ex immutabili obligatione ad Religionem connata fuit, sive in Principem sive in ipsam universam Ecclesiam fiat, tamquam pactum stultitiae plenissimum, ab insanis hominibus initum, semper ipso immutabili jure Naturae plane nullum foret, nec per longam temporis praescriptionem unquam valere posset, utpote cui perpetuo obstaret ipsa obligatio immutabilis connata, quae fortior, immo tanta est, ut in collisione vincat quascunque ceteras obligationes, praesertim *contractas*, omnes; nam haec singulorum obligatio ad Religionem revera est maxima, ideoque reliquae obligationes, praesertim *contractae*, sive ex Civitate sive ex Ecclesia quadam externa oriundae, tamquam debiliores omnes in casu collisionis cedere huic *maximae* obligationi debent. Hoc ordo universi jubet, hoc obedientia DEO debita postulat, hoc amor in DEUM exigit, hoc timor erga DEUM filialis desiderat, hoc magnificentio perfectionum Divinarum secum trahit, hoc fiducia in DEUM et adquietentia in providentia Divina suadet, hoc propria nostra vera felicitas semper duratura efflagitat, hoc denique, ut cuncta uno verbo dicam, ipsa essentia et natura Religionis factis indicat; Religio quippe soli DEO, communi omnium hominum Domino, non Principi humano, nec Clero cuidam, neque toti etiam Ecclesiae debetur.

Periit sane ipsa Religio, quamprimum humana auctoritas, aut Lex et poena humana faciant, ut eam pro vera habere debeamus; nam idolum colit, non DEUM, qui DEUM dum colit, eum non cognoscit; saevitia vero hu-

humana, leges, minae, poenae, tormenta, carnifices, equulei, laquei, ignes aliaeque crudelitatis humanae machinationes hac summi Numinis cognitione nos imbuere nequeunt. Absque tali autem viva DEI cognitione nulla potest esse vera Religio; Religio quippe ratione, attentione mentisque reflexione Divinarumque perfectionum cognitione firmatur. In veritate enim DEUM colere debemus; opinio autem hominum aequae falsa et erronea, quam vera esse potest. Qui igitur DEUM colit ex opinione quadam, is certus esse nequit, se DEUM in veritate colere. DEUS autem, qui est fons veritatis, vagis hominum opinionibus non delectatur, nec ex vana opinione nascitur vera et durabilis animi nostri voluntas. Ergo cum opinionibus vera hominum felicitas subsistere nequit.

DEUS nobis omnibus benignissime impertivit ratiocinandi facultatem, vi cujus quid verum, quidve falsum sit, dijudicare et intelligere potest homo: hunc usum rationis sapientissimus universi moderator non frustra nobis singulis concessit, sed usus rerum omnium in hoc universo obvenientium, inter quas etiam facultates animae nostrae referri debent, sunt fines a DEO intenti; fines autem a DEO intenti nobis sunt ipsae Leges Naturae. DEUS itaque, Auctor Naturae et Stator Legum Naturalium, voluit, ut nostram ratiocinandi facultatem, quantum interna juxta ac externa possibilitas secum fert, in exercitium deducamus. Et quo praestantius est objectum, ex cujus cognitione majorem ad-

quid.

quiramus felicitatem, eo fortior fit nostra naturalis obligatio ad distinctam ejusdem cognitionem. Jam vero si nostrum ad Religionem attendamus animum, dici vix potest, quanta praestantia superet vera Religio res ceteras quascunque: ad hanc veram Religionem res omnes tamquam ad scopum suum summum referri debent, quaecunque in hoc universo occurrunt: sine hac vera Religione nemo felix esse potest: sine hac quoque nemo dignus est hujus universi incola: ad hanc Religionem excolendam omnes nati sumus; et propter hanc DEUS totum hoc condidit universum. Quid igitur homini, ratione praedito; homini, incolae universi; homini, creaturae DEI, magis convenit, quam omnem facultatum animae usum ad excolendam Religionem adhibere?

Eaedem nobis omnibus quoad Religionem incumbunt obligationes, eademque proinde et aequalia nobis omnibus competunt jura: homines itaque omnes quoad Religionem inter se sunt *aequales*, respectu scilicet juris *externi*. Nam quamvis unus alterum doctrina, eruditione et virtute antecellat, non ideo tamen jus adquiret perfectum in alterius actiones. Haec fuit quondam insana et arrogantissima *Stoicorum* sententia, quae ex profana fatalis necessitatis hypothese sponte quidem, sed tamen eo putidius fluebat. Amplior et solidior eruditio atque eminentiores virtutes nobis equidem jus imperfectum, jus scilicet docendi, suadendi et adhortandi tribuunt, sed nequam jus cogendi alios aut jus praerogativae externae prae aliis hominibus rudioribus aut vi-

to deditis inde oriri potest, ita ut, si amicis nostris admonitionibus benevolas praeberere aures nolint, nostra consilia nequaquam vim Legis habere possint. Nullum hac in re est imperium, nullumque inter homines Religionis pactum datur aut unquam valide dari potest: ergo perfecta est omnium *aequalitas* naturalis, nec uni plus juris, quam alteri competere potest; cum nec unus magis obligatus sit in eodem casu alteri, quam alter ipsi.

Quilibet proinde liber et sui juris est in statu Religionis, qui status hominum est *originarius*: et quoniam hicce status *originarius* per jura omnium hominum connata immutabilesque obligationes connatas determinatur; hinc status ille *Libertatis* et *Aequalitatis* inter homines, constitutus quamvis Civitatibus et contractis licet societatibus Ecclesiasticis, adhuc revera quoad Religionem subsistit. Quapropter nemo in hoc statu potestati alterius subjectus aut alieni juris est, sed quilibet facere potest, quod ipsi salva obligatione sua naturali connata facere libet; nam in hoc statu jus nullum perfectum unius hominis in alterum dari potest, sed quaecumque illud fingatur, hoc inter se pugnabit semper. In hoc quippe statu hominum *originario* omne jus est connatum, nullum adquisitionem; jus vero connatum est universale seu omnium hominum commune omniumque, *aequale*, quoad effectum scilicet inter homines *externum*. Quodsi igitur fingamus V. gr. Sempronio, Religioni Reformatae addicto, competere perfectum quoddam jus in Titium, Pontificiorum sacra profitentem; tunc et idem jus connatum competeret Titio in Sempronium
et

et sic porro Lutherano in Reformatum et versa vice huic in illum; quin etiam Turcae in Christianum et huic in illum; ac denique Turcae in Gentilem et huic in illum; atque sic cuilibet in quemlibet: nam jus comatum omnibus et singulis *aequale* est, nec majus proinde est unius jus *externum*, quam est alterius. Singuli itaque erga singulos eadem tenerentur obligatione et sic nullus juris effectus dari posset. Quod autem cum absurdissimum sit, absurdum quoque esse debet, statueri, uni in alterius actiones quoad Religionem praescribendam jus quoddam *perfectum* competere.

Unicuique proinde libera esse debet Religionis suae opinio, nec alius alium ad veritatem Religionis cogere ei que formulam fidei pro norma credendi obtrudere potest; *aequale* enim omnibus hac in re jus est et sic aut nulli aut singulis singulos cogendi potestas competeret: at absurdissimum foret, singulis singulos cogendi jus adscribere, cum sic infaustum illud totique humano generi exitiale *bellum omnium contra omnes* inde exoreretur. Sin itaque nulli hominum, quantavis etiam facultate et eminentia praedito, jus cogendi quoad Religionem alteri obtrudendam competere unquam possit, sponte inde fuit jus Libertatis quoad Religionem omnibus competens, ut quilibet suum et non alienum in causa Religionis tuto sequi queat iudicium.

Immo haec Libertas non modo licita est, sed et quammaxime inter debita et officia Juris Naturae pertinet, quoniam hoc jus Libertatis fuit ex obligatione omnium ho-

hominum ad Religionem excolendam connata, quae obligatio ad Religionem, uti jam dixi, omnium obligationum naturalium maxima est et fortissima, ut nulli alii obligationi in casu collisionis cedere debeat. Unde et exercitium juris, quod inde consequitur, inter omnes actus humanos liberrimum esse oportet, cum nullum majus jus Libertatis naturalis, qualescunque etiam sint actus humani, existere possit, quam est jus Libertatis Religionis. Abjectissimi proinde sunt homines et vilissima mancipia, qui hanc Religionis Libertatem quavis data occasione tueri et promovere non adjuvant; totius enim generis humani plurimum interest, ut quisque hoc jure Libertatis Religionis gaudeat. Sin igitur oppressores Libertatis Religionis et violatores hujus juris, omnium connati adsint, communis tunc salus generis humani postulat, ut oppressis, quibus potentia resistendi physica deest, succurramus horumque jura connata contra oppressores conjunctis tueamur viribus; Natura enim debiliores commendat fortioribus. Et quamvis vi Religionem propagare non liceat, licebit tamen semper, oppressam vi defendere Religionem, cum jus Libertatis Religionis sit jus perfectum, quod conjunctum est cum jure cogendi alios, hanc Libertatem infringere tentantes, ut a violenta Libertatis oppressionem desistant.

Et profecto nihil inhumanius, nihilque absurdius inter homines rationales et nihil denique profanum et a Religione Christiana alienius excogitari unquam potuit, quam humanae potestati, sive Civili sive Ecclesiasticae, vim subicere Religionem. Etenim omnis coactio ip-
si

si Religionis Naturae manifesto repugnat, cum mox, si quis ob jussum et metum humanae potestatis Religionem simulat, haec eo ipso impia idololatria fit; vera quippe Religio omnem respuit hypocrisin. Nec fides nostra Christiana est ἐν σοφία αἰθερῶν ἀλλ' ἐν δυνάμει Θεοῦ, ut iterum cum Deo uniti vivamus ἐν δικαιοσύνη καὶ ὁσιότητι τῆς ἀληθείας, quae vita Spiritualis; qua iterum cum Deo conjungamur, Divina perfici debet Gratia, ut perveniamus ad ultimam fidei πληροφoρiαν: hinc res ipsa clamitat, quod profus ἀδύνατον sit, veram Religionem violentis promovere velle remediis. Persuasio enim circa res Divinas formatur ex apprehensione intellectus; intellectus vero ea est indoles, ut non possit rei alicui adensum praebere aliter, quam eadem res se ipsi intellectui offert; voluntatis quoque est, sponte et libere agere et secundum intellectus ideas se componere: ideoque naturale est unicuique, ita DEUM colere, prout cujusvis intellectus sibi ens perfectissimum repraesentat et in eo colendo summum bonum quaerit. Quamdiu autem intellectus adhuc ignorat, quanam sit vera et rationalis Religio, tamdiu fieri nequit, ut impellamur, secundum verae Religionis normam nostras dirigere actiones; semper enim praecedens cognitio intellectus requiritur, ut homo ad normam quandam rationis actiones immediate a voluntate pendentes instituat. Ideoque virtutes morales non dantur absque virtutibus intellectualibus. Intellectus itaque antea perficiendus est; priusquam in Religione pietatem colere queamus.

Equidem fieri potest, ut vi et metu adigamur, quo
actus

Cultus exteriores ex praescripto et jussu alterius in colendo DEO determinemus: at revera hic non DEI, sed hominis tantum cultus dici debet, qui DEO placere nequit, cum ordo universi seu ipsa Lex Naturae exigat, ut DEO seu Creatori magis obediamus, quam hominibus seu ipsis creaturis. Et cum ad hanc obedientiam, DEO debitam, fortissimis adstringamur motivis, ut nulla res nobis tam cara esse debeat, quam DEO obedire, DEO placere, DEO servire, DEUM colere, DEUM magnificare, et, ut uno verbo dicam, veram non solum *verbis*, sed et *factis* profiteri Religionem; hinc Libertatem Religionis contra quoscunque, etiam cum interitu vitae nostrae, si fata ita velint, lubentissime tueri ex Lege Naturae obligamur. Si tanta igitur est omnium obligatio naturalis ad tuendam Religionis libertatem, ut pro hac defendenda etiam vitae periculum subire teneamur; hinc nulli hominum unquam competere potest jus, alium ad certam quandam Religionem cogendi.

D

LE-

LECTIO IV.

Continuatio materiae de *Jure Libertatis Religionis, unicuius adversus quemvis competente.*

Praecedente Lectione ex obligatione omnium con-
nata ad Religionem Jus Libertatis Religionis, cuius ad-
versus quemvis competens, etiam liberiori, prout in re
liberrima decet, sermone probare volui. At forsân oc-
clamatibunt nonnulli, qui spiritu haeretificandi flagrant,
et qui zelo ducuntur sacro, causam DEI contra hae-
reticos, quos putant, strenue defendendi, hi, inquam,
fortassis mihi objicient, me Libertatem Religionis ni-
mium extollere nihilque discriminis facere inter veram
et falsam Religionem, cum tamen falsae Religioni jus
Libertatis secundum ipsam Naturae Legem competere
nequeat, quoniam hac sanctissima Lege quisque ad ve-
ram Religionem obligatus sit. Hoc vel simili modo
aures meas obtundent dissentientes; et, ut me plane ad
incitas redigant, allegabunt verba *Synodi Dordracenae*,
quae in *Ecclesiarum Belgicarum Orthodoxa Confes-
sione* Sess. CXLVI. art. XXVIII. ita audiunt: *omnium
fidelium officium est, sese secundum DEI verbum,
ab iis omnibus, qui extra Ecclesiam sunt, disjun-
gere, ut huic se congregationi adjungant, ubicun-
que illam DEUS constituerit: QUAMVIS MAGI-
STRATUS PRINCIPUMQUE EDICTIS ADVER-
SAN-*

SANTIBUS, quin imo licet mors aut qualiscunque corporis poena subeunda esset. Ex quibus verbis apparere ipsis videbitur, tantum *verae* Ecclesiae, ex fide-
lium congregatione confociatae, hanc summam Reli-
gionis libertatem competere, ut etiam *Magistratus Principumque Edicta* in Religione contemnere liceat;
at eandem Religionis libertatem aut *singulis* in Re-
publica aut etiam *falsae Ecclesiae* adscribere velle, id,
inquiet, esset, inna miscere supremis, quadrata rotun-
dis. Et, ut hanc suam sententiam orthodoxae pietatis
nomine colorent, allegato articulo adjungent subsequen-
tem ejusdem *Confessionis* articulum XXXVI. ubi ad-
feritur, *DEUM Reges, Principes et Magistratus con-*
stituisse ac velle, ut mundus Legibus et certa politia
gubernetur. Eumque in finem Magistratui GLA-
DIUM commisisse, puniendis quidem sceleratis, bonis
vero defendendis. Horum autem officium esse, ut
non modo curam gerant et pro conseroanda politia
excubent; verum etiam, ut sacrum tueantur Mini-
sterium, omnemque IDOLOLATRIAM ET ADULTE-
RUM DEI CULTUM SUBMOVEANT ET EVER-
TANT: REGNUM ANTICHRISTI DIRUANT,
CHRISTI VERO REGNUM PROMOVEANT.

Veruntamen, ut hanc speciosam objectionem discu-
tiam, omnino inter *jus Naturae internum* et *exter-*
num distinguendum esse putarem. Quodsi enim lo-
quamur de *jure Naturae interno*, quod in foro Di-
vino et in foro conscientiae cujusvis agentis obtinet, uti-
que dicendum est, *falsae* Religionis addictis secundum

Naturae Legem nullum jus *internum* competere posse, suos disseminandi errores, suamque *falsam* defendendi Religionem, aut suis erroneis inhaerendi opinionibus, cum quilibet Lege Naturae obligetur ad *veram* Religionem amplectendam; nullum igitur *Jus Libertatis*, si obligationem *internam*, quae ex Lege Naturae venit, spectemus, quoad *falsam* locum habere potest Religionem. At quidem de hoc conscientiae foro, in quo interno animorum tribunali solus Deus judex est, nemo, Juris Naturae peritus, Libertatem Religionum defenderit unquam; quando enim in nostra disciplina sermo est de *Jure Libertatis*, illud intelligimus de facultate morali ita agendi *inter homines*, ut actiones nostrae ab aliorum arbitrio non pendeant, quemadmodum ex iis, quae *Tom. 1. Lect. x. pag. 136. et 137.* de diversis Juris Naturae *perfecti* et *imperfecti* sive, quod idem est, *externi* et *interni* indole jam monui, facile percipietis.

De jure itaque *Libertatis* Religionum si differimus, ne utiquam ideo propugnemus *Licentiam* cujuscuque Religionis respectu ipsius *Legis* Naturae seu *Indifferentismum*, quem vocant; quasi perinde esset intuitu DEI, quamnam ex diversis homo amplecteretur Religionem, nihilque interesset, *qua quisque prudentia verum inquireret*, cum ut *Symmachus* Lib. x. Ep LIV. dixit, *uno itinere non posses perveniri ad tam grande secretum*; ideoque, ut *Tacitus de Mor. Germ. Cap. XXXIV.* scripsit, *sanctiusque et reverentius visum, de actis deorum credere, quam scire.* Verum enim vero non ita cum *Indif-*

differentissis. Jus libertatis in causa Religionis defendimus, sed potius ex principiis illorum hypothesi plane contrariis; nam minime *indifferens* existimamus, num quis Legem Naturae custodiat suaeque obligationi naturali et quidem *maximae* satisfacere studeat, nec ne; hoc enim adserere, nihil aliud esset, ac adseverare velle, hominem felicem fieri posse absque Legis Naturae observantia, dummodo coeae crederet, quaecunque Ecclesia quaedam externa aut Clerus in eadem dominans pro sua auctoritate edixisset. Hoc potius auctoritatis clericalis praejudicium fecit, ut in Religione Christiana inter Laicos tot sint *Indifferentistae*. Etenim si auctoritatem Ecclesiae cujusdam externae pro stabilienda orthodoxia admittamus; tum profecto nihil intererit, quam quisque profiteatur Religionem, siquidem cum opinionibus cleri, in ea dominantis, conveniat; eandem quippe auctoritatem vi Libertatis naturalis singulis Ecclesiis externis, quamvis quoad dogmata inter se diversis, tribuere debemus. Hoc igitur modo nos Laicos omnes in *Indifferentismum* Religionum incidere oportet, ut nobis perinde sit, quam profiteamur Religionem, si modo ex nutu cleri fideliter scilicet pendeamus, quo recta ad coelum eamus via. Sic omnis nostra Naturalis obligatio ad amplectendam veram Religionem, quae tamen omnium obligationum naturalium *maxima* est, determinaretur pro arbitrio humano, scilicet cleri in Ecclesia externa dominantis. Quod arbitrium autem humanum cum pro varietate temporum, locorum, diversarumque Ecclesiarum maxime inter se variare possit; hinc et varia inde et mutabilis fieret immutabilis nostra Naturalis obli-

gatio. Immo si mihi liceat, auctoritatem Reformatæ Ecclesiæ in causis fidei agnoscere, ob eandem rationem propter jus *æqualitatis*, singulis etiam diversis Ecclesiis externis competens, mihi quoque liceret, auctoritatem Ecclesiæ *Lutheranæ*, *Mennoniticæ* et quidni etiam *Turcicæ* et *Ethnicæ* revereri, earundemque omnium effata quoad Religionem simul pro vera Religione profiteri. Ita mea Religio admodum inter se pugnans foret; repugnantia autem inter se non possunt simul esse vera. Ergo cui indifferens est, quamnam assumat Religionem, is revera habet nullam.

Nisi igitur omnem *veram* Religionem tandem tollere velimus, omnino ratio et Lex Naturæ jubet, ut omnem quamcunque auctoritatem Ecclesiis Christianorum externis in causa fidei detrahamus, ne nos Laici in *Indifferentismum* Religionum prolabamur. *Protestantes* itaque, si sapiant et propria sua principia sequi velint, ultro concedere debent, nullam esse in definienda orthodoxia auctoritatem Ecclesiæ. Quamobrem, si nulla est omnium Ecclesiarum quoad Divinas veritates auctoritas, inde porro consequitur, ut singulis hominibus separatim spectatis licitum sit, etiam ab omnibus constitutis Ecclesiis dissentire: suumque et non Ecclesiæ cujusdam iudicium in causa Religionis sequi. Singulis proinde hominibus examen Religionis libere relinquendum est, quo tandem omnes ad solidiorem perveniant veritatem. Et hoc Religionis examen, ad quod instituendum quis Lege naturæ maxime tenetur, est unicum remedium, quo nobis a Religionum *Indifferentismo* cavea-

veamus sedulo. Tantum igitur abest, ut illud examen, cui-
libet in quamlibet Religionem competens, quo ex omni-
bus veram amplectatur, aut rejectis omnibus suam pro-
priam libere profiteatur, huic *Indifferentismo* aut *Li-
bertinismo* patrocinetur, quin potius nulla, absque hoc
examine, rationalis subsistere queat Religio, prout plu-
ribus demonstravit venerandus *Zimmermannus* in egre-
gia *Dissert de Examine Religionis Indifferentismo non
patrocinate neque tranquillitati Societatis Civilis
officiente*, quae invenitur in *Opusc Zimmerm.* Tom. II.
Pag. 311. et seqq.

Hoc examen Religionis rite fieri non potest, nisi et
singulis facultatem tribuamus, in re animi suum et non
alienum iudicium sequendi; ideoque etiam Jus Libertatis,
quod in Religione obtinet, quodque inter homi-
nes effectus producit externos, aequae *falsae*, ac quidem
verae Religionis concedere debemus. Hoc etiam satis
agnovisse videntur ipsi Patres, quos laudavi, Synodi *Dor-
dracena*, dum dicta *Sess. CXLVI. in Orthodoxa Con-
fess.* art. XLVI. omnem vim in hominum conscientias
damnant, hisce verbis: *Quapropter rejicimus omnia
inventum humana, omnesque Leges, quae pro cultu
DEI a quocunque introduci possunt, ut iisdem con-
scientiae ullo omnino modo devinciantur atque constri-
ngantur.* Immo hoc jus Libertatis Religionis ipsi Ve-
nerandi Patres Synodi *Dordracena* in cit. *ortho-
doxa Confess. art. VII.* tantopere extollunt et defen-
dunt, ut nulli, nequidem Angelo e coelis, nedum Syn-
odis aut etiam antiquis Conciliis oecumenicis, ergo

quoque nec ipsi Synodo *Dordracenae*, ullum jus competere possit, nostram in Religione sentiendi dicendique Libertatem quocunque modo restringendi. Verba dicti articuli VII. *Confess. orthod.* admodum mihi placent: quamobrem ea integra vobis proferam, ut inde perspiciatis Libertatem Religionis, quam ego ex Jure Naturae connato quoad effectum inter homines *externum* probavi, neutiquam per Synodum *Dordracenam* infringi, sed potius per hanc Synodum confirmari. Ita vero verba audiunt: *Credimus Sacram hanc scripturam, DEI voluntatem perfecte complecti, et quocunque ab hominibus, ut salutem consequantur, credi necesse est, in illa sufficienter edoceri. Nam quum illic omnis divini cultus ratio, quem DEUS a nobis exigit, fusissime descripta sit, nulli hominum, ne Apostolis quidem, fas est aliter docere, quam jam pridem in Sacris litteris edocti sumus; imo vero, etiamsi e coelo Angelus foret, ut ait Apostolus Paulus. Quum enim vetitum sit, ne quis DEI verbo quicquam addat aut detrahat, satis eo ipso demonstratur, doctrinam illius perfectissimam omnibusque modis consummatam esse. Sed nec cum divinis iisdem scripturis, ulla hominum, quantavis sanctitate praedictorum scripta, neque ulla consuetudo cum Divina veritate, (veritas enim rebus omnibus antecellit) neque multitudo, neque antiquitas, neque temporum personarumque successio, neque Concilia, Decreta aut Statuta, comparari possunt. Omnes enim homines mendaces ex se ipsis sunt, ipsaque vanitate vaniores. Idcirco, toto animo rejicimus, quicquid*
cum

cum certissima hac regula non convenit. Sacra proinde scriptura est unica fidei norma, quam *Protestantes*, immo omnes Christiani, agnoscere tenentur. Singulis autem competit jus dijudicandi Religionis veritatem secundum hanc normam omnibus propositam; ideoque nulli mortalium, nec ipsi integrae Ecclesiae, nec etiam Civitati jus competere potest, quemquam in exercitio hujus juris Libertatis impediendi.

Quid enim, si Protestantes hoc jus Libertatis Naturalis singulorum inter homines quoad Religionem, qua jus *externum*, non agnoscerent, quid, inquam, tunc *Lutherum* aut *Calvinum* juvasset; longo verborum firmate demonstrare, Pontificios errare, ideoque justum fuisse, ab erroribus discedere veramque profiteri Religionem; *verae* autem Religioni solummodo jus Libertatis secundum Legem Naturae competere, quod Pontificii proinde sibi tribuere non possent. Nam et tunc Pontificii veritatem suae Religionis Protestantibus denegabunt. Et sic quoque porro in omnibus quibuscunque Religionibus eadem haec disceptatio locum habebit, quae tanto vehementior et periculosior erit, quoniam quisque vi inolitae opinionis sibi firmissime persuadebit, suam Religionem esse optimam, seque absque dispendio aeternae salutis suam Religionem abnegare non posse. *Dum enim unusquisque non cogitat*, ita eleganter coecam hominum Religionem more Majorum introductam graviter perstrinxit *Minucius Felix*, felix ille superstitionis paganae debellator, in libello, quem *Octavianum* inscripsit, ibique cap. XXIV, *Dum unusquisque*

vestrum non cogitat, inquit, prius se debere DEUM nosse: dum inconsulte gestiunt parentibus obedire, dum fieri malunt alieni erroris accessio, quam sibi credere, dum nihil ex his, quae timent, norunt; sic in auro et argento avaritia consecrata est; sic statuarum inanium consignata forma; sic nata Romana superstitio. Et paulo post: Quis non intelligat, male sanos, et vanae et perditae mentis, in ista desipere, et ipsam errantium turbam mutua sibi patrocinia praeflare?

Plurimi itaque homines DEUM colunt, quem non agnoscunt; paucissimi enim debitam attentionem mentisque reflexionem in colendo DEO adhibent. Alius clamat: *Magna est Diana Ephestorum!* Alius altare struxit eique emblemata inscripsit: *Ignoto DEO.* Hinc non sperandum est, omnes, immo nequidem plurimos, ad unam perducere posse Religionem, sed pro nostra humani generis conditione fieri aliter vix potest, quin maxima semper sit inter homines Religionum diversitas et mirandarum varietas, ut adeo homines in tanta ingeniorum dissimilitudine ad opinionum concordiam in Religione redigi non posse videantur. Ideoque in rebus fidei et in Religionis causa quilibet tenetur pati, quemlibet suo sensu abundare, modo in societate humana quiete vivat nihilque contra jus alterius perfectum agat; nam quamdiu quis jus alterius perfectum non violat, tamdiu neminem quoque laedit nullique infert injuriam. Ubi vero nulla est laesio, nulla injuria, nulla denegatio juris alterius perfecti; ibi quoque alteri nullum jus cogendi

com-

competere potest, sed quilibet manet liber arbiter et moderator actionum suarum, ut in agendo ab alterius voluntate minime pendeat. Quoad Religionem igitur vivimus adhuc omnes in statu *Libertatis* Naturalis, in statu proinde, ut termino juris publici, licet minus Latino, utar, *independentiae*, scilicet respectu aliorum hominum, neutiquam vero ipsius DEI, in statu per consequens *aequalitatis* hominum inter se, ubi nullum imperium humanum, nulla Civitas, nullumque jus cogendi locum habere potest et debet. Ergo supra laudatus articulus xxxvi. *Confess. Eccles. Belg.* de Magistratuum officio, *idololatriam et adulterum DEI cultum submovendi et coertendi, regnumque Anticristi diruendi, Christi vero regnum promovendi*, nequaquam de *jure gladii*, de coërcitionibus, poenis aliisque remediis cogentibus intelligi potest, sed solummodo de obligatione Magistratuum, constituendi aptissimos Ecclesiae ministros, rerum Divinarum peritissimos, moderatoris ingenii Viros, qui dissentientes amice ferre eosque erroris erudite convincere valent, qui praeterea Divinum Jus Naturae rectius callent habitumque Religionis ad Rempublicam optime norunt, et sic maxime idonei sunt, regno veritatum salutiferarum amplificando, de hac, inquam, Magistratuum obligatione, quae ex fine Republicae optimo naturaliter consequitur, modo citata *confessionis Eccles. Belg.* verba intelligi debent. Qui vero secus sentiunt et *jure gladii* propagandam esse fidem existimant, illi Protestantium, saltem saniorum, doctrinae immemores Jurisque Naturalis ignari ipsam *Anticristi* regnum tenebrarum insauste extendere adlaborant.

Ete-

Etenim cui tandem bono inter homines vis et coërcitio, minae et poenae ob falsam, quam profitentur, Religionem locum haberent? DEUS, qui vanis hominibus infinite sapientior est, adhuc in ordine universi aequae falsas, ac veras tolerat Religiones, quamvis mille modis homines ob falsas Religiones perdere posset. DEUS tamen singulis facultatem dedit, in veritatem inquirendi; a singulis igitur eo nomine aliquando rationes exiget, nec alter pro altero judicare, credere, DEUM agnoscere aut quaerere potest. Brutorum haec esset philosophia, non hominum. Privarentur sic usu Rationis, potissimae partis Naturae humanae, si illam aliorum voluntati submitterent, uti egregie dixit Consummatissimus Ictus I. H. Böehmerus in *Iur. Eccles. Protest.* Tom. II. ibique in eximia dissert: praelim: *de Iure circa libertatem conscientiae* §. 20. Quae dissertatio quoad hanc materiam lectu est dignissima.

Quamprimum itaque imperium humanum, vis et coactio in Religionem introducitur sensim sensimque ipsa vera Religio supprimitur, usus Rationis nostrae impeditur et sufflaminatur, ut magis magisque ipsis brutis similes reddamur. Sic quivis ex obscuris tantum ideis ens perfectissimum voluntatemque Divinam sibi repraesentat, et ex hac obscura cognitone ad quamdam Religionem se componit, prout vagae aliorum opiniones postulant. Sic ipsam DEI voluntatem voluntati hominum barde submittit, et, dum talem Religionem ex hominum arbitrio profiteretur, ipsam veram Religionem, quae DEO et non hominibus deberetur, revera abnegat. Econtrario

autem

autem, quo major libertas naturalis inter homines obtinet, eo magis ipsa vera Religio promovetur suisque firmissimis fulcitur rationibus et ad non simulatae pietatis praxin reducitur, immo ad communem generis humani salutem extenditur; concessa enim libertate, inter homines sentiendi, quae velis, et dicendi, quae sentis, praejudicia auctoritatis, praeconceptae orthodoxiae, Ecclesiae infallibilis, characteris Clericorum indelebilis, brachii cujusdam spiritualis aliorumque Papizantium dogmatum mox dispellentur, et ipsi etiam Laici in rebus Divinis rectius sapere discent, nec ex nutu Clericorum serviliter pendebunt, ut fidem quandam *formulariam* psittacorum instar crepitent; sed Religionem Revelatam cum solidissima Iuris Naturae scientia seu ipsa Religione Naturali suaviter conjungent, et ita demum *Rationalem* profitebuntur Religionem, quae DEO placet et universo generi humano salutaris est.

Ingeniose admodum hac de re differit acutissimus *Jo. Lockius* in praeclara Epistola, quam *de Tolerantia* conscripsit, quae junctim cum *Sam. Strimesii* eximia *de Pace Ecclesiastica* dissertatione Amstelodami apud *Janssonio-Waesbergios* anno MDCCV. edita est; is vero laudatus *Lockius* cit. Epist. pag. 44. ita egregie inquit: *Medicamentis, de quibus dubito, sanus fieri; Religione vero, de qua dubito, cultu, quem aversor, salvus fieri non possum. Incredulus externos frustra induit mores, cum fide et interna sinceritate opus sit, ut Deo placeat. Medicina usunque speciosa, usunque aliis probata, frustra propinatur, si statim sum.*

sumam rejiciet stomachus ; nec invito infundi debet remedium , quod idiosyncrasiae vitio mutabitur in venenum. Quicquid de Religione in dubium vocari potest , hoc demum certum est ; quod nulla Religio , quam ego non credo esse veram , mihi vera aut utilis esse potest. Nequicquam igitur salvandae animae praetextu subditos ad sacra sua cogit Magistratus , si credant sponte venturos , si non credunt , quamvis venerint , nihilominus perituros. Quantumvis igitur prae se fers , alteri bene velle ; quantumvis de salute ejus labores , homo ad salutem cogi non potest : post omnia , sibi et conscientiae suae relinquendus. Sic tandem homines habemus in rebus Religionis ab alieno dominio liberos.

Libertas igitur Religionis , unicuique impune relicta nulloque modo suffaminata , est optimum medium veram inter homines promovendi Religionem. Equidem videri posset , me ita Libertatem Religionis in sententiâ Licentiam convertere , dum *errori* idem jus Libertatis tribuendum esse censeo , quam quod ipsi competit *veritati*. Veruntamen , ne mea sententia inique in malam detorqueatur partem , denuo monendum esse duco , me , prout Juris Naturae interpretem decet , quam maxime distinguere inter Jus *internum* et *externum*. De hoc autem jure Naturae *externo* , quod inter homines tantum externos producit effectus , mea dicta intelligenda esse velim. Eosdem vero Juris Naturae *externi* effectus in hac Religionis materia , ubi de jure *Libertatis Naturalis* agitur , aequè errori five falsae Religionis

gioni concedendos esse existimo , ac ipsi quidem veritati seu verae Religioni. Et haec mea sententia illis, qui in adyta Jurisprudentiae Naturalis penitus penetrarunt , minime absurda aut profana , sed potius probitati apprime conveniens videbitur ; nam si portentosum illum inter homines *Vicariatum* DEI quoad causam Religionis abnegemus , prout omnes *Protestantes* faciunt ; tum sane quoad jura hominum *externa* in rebus Divinis omnium inter se *aequalitatem* ultro agnoscere , et sic singulis , nemine excepto , Jus Libertatis Religionis ex aequo et bono , quin etiam ex pio et justo concedere debemus. Nonne enim absolum et , paene dixerim , ridiculam foret , si Protestantes quidem *Vicariatum* DEI *Monarchicum* Papae , aut *Aristocratico-Monarchicum* Papae Conciliorumque Pontificiis in causa Religionis denegare , sed tamen sibimet ipsis in eadem causa *Vicariatum* DEI *Aristocraticum* quoad Synodos , aut *Aristocratico-Democraticum* quoad Synodos populumque Ecclesiasticum per plurima vota tribuere vellent ? Quodsi vero hancce rerum repugnantiam viderint , nihil amplius contra *aequalitatem* hominum in causa Religionis obmolebunt , sed Jus *Libertatis* Religionis tam falsae , quam verae quoad effectum saltem *externum* singulis ultro citroque tribuent. Et quidni hoc aequae , ac in Jure Gentium , immo adhuc multo magis in causa Religionis , ubi nulla alterius laesio est , obtineret ? Ita V. gr. Gentes inter se sunt aequales , nullumque agnoscunt judicem humanum , cum quaeliber gens sit libera actionum suarum moderatrix ; quamobrem eosdem juris Naturae *externi* effectus quoad bellum non minus *injustum* , quam *justum*

sum agnoscere debemus, ita ut quaelibet gens quodlibet bellum gentis alterius, quamvis *injuste* belligerantis, quoad effectus nimirum *externos* pro *justo* bello reputare teneatur; nam alias nulla unquam pax inter Gentes firma manere posset. In jure Religionis autem omnes homines adhuc in statu vivunt *Naturali*, in statu proinde *Aequalitatis* et *Libertatis*, in statu per consequens, quod pace Latinitatis dixerim, *Independendiae*, ubi nullum inter homines judicem habemus; hinc omnino quoque ex ordine universi sequitur, ut singuli teneantur, aliorum quorumcunque Religiones, etiam *falsas* pro *veris* habere quoad effectus scilicet juris *Naturae externi*; ideoque et idem jus Libertatis Naturalis, quod tantum est moralis facultas inter homines ita agendi, ne ab alterius hominis arbitrio, sed unice a DEI voluntate pendeamus, et sic jus Naturae tantum *externum* est, neutiquam respectu obligationis, quae ex Lege Naturae venit, sed intuitu juris *perfecti*, quod nulli mortali hinc in re in alterius actiones competit, hoc respectu, inquam, jus Libertatis Naturalis quilibet cujuslibet Religioni aequae falsae, ac verae omnino tribuere debet, ne unus alterum ex Religione ob Religionem perdat, et sic totum genus humanum religiose, ut ita loquar, vel potius irreligiose pereat; nam si fortiori imbecilliozem cogere eumque propter Religionem opprimere liceret, fieri posset, ut fortiores omnes *falsae*, imbecilliores autem *verae* Religioni essent *addicti*, an et tunc *falsae* Religioni liceat, *veram* opprimere, extirpare penitusque tollere? At, inquit, soli *verae* Religioni jus alios cogendi competere; sed quae, *sodes!* est

est vera Religio? Sua cuique optima et verissima videtur. Fortior itaque, si jus cogendi Religionem hominibus competeret, secundum conscientiam suam ageret, si propriam alienae Religioni praefert et dissentientes omnes poenis coërcet; immorigerosque demum ultimo afficit supplicio.

Tantum Religio poterit suadere malorum!

Haec cum revera sese ita habeant, nescio, quo spiritu ducuntur; qui homini tribuunt imperium in aliorum conscientias, aut jus cogendi Religionem; nam sive id Principi in Republica adscribatur, de quo in subsequen- tibus plura dicam, sive etiam illud Ecclesiae concedatur, quod adhuc absurdius et iniquius est, prout idemidem in posterum ostendam, id omne jus cogendi, inquam, sive jus perfectum et externum Religionis in alterius Religionem nil nisi insania, immo nil nisi furor erit.

Nihilominus tamen multi magni Viri, etiam ex ipsis Ecclesiae Patribus, forsitan non adeo ex defectu *bonae*, quam quidem *perfectae* voluntatis, sive unice ex ignorantia Juris Naturae; singulis jus Libertatis Religionis denegarunt, prout late recensuit Jureconsultus harum rerum peritissimus Cl. Jo. Georg. Peritschius in *Histor. Eccles. Saeculi IV. Part. II. cap. XIII. §. 9: usque ad §. 15.* Quibus autem argumentis nonnulli Ecclesiae Patres contra jus Libertatis Religionis, singulis conflatum esse fuerint; plenius docebo in sequentibus. Interea de

E

hiscè

hiscē legi meretur exitiū noster *Barbeyracius* in *de la morale des pères de l'Eglise* cap. XII. §. 51. et seqq. ubi *Augustinum* refutavit. Is vero *Augustinus* contra *Cresconium* Donatistam ita ad Imperatores scripsit: *Nonne ad vos pertineat, in regno vestro quis velit esse sive Religiosus sive sacrilegus? Nonne ad vos pertineat in regno vestro, quis velit pudicus esse, quis impudicus? Cur enim, quum datum sit divinitus homini liberum arbitrium, adulteria Legibus puniantur, et Sacrilegia permittantur? An fidem servare levius est, animam DEO, quam feminam viro? Et alibi idem Augustinus ait: Frustra dicis; relinquar libero arbitrio. Cur enim non in homicidiis et in stupris et in quibuscunque aliis facinoribus et flagitiis libero te arbitrio relinquendum esse proclamas? Quae tamen omnia justis Legibus comprimi, utilissimum ac saluberrimum est.* Ex hisce *Augustini* verbis jam satis percipietis, bonum Ecclesiae Patrem, ut saepe etiam ab aliis fit, Jus Naturae *internum* et *externum* inter se commiscuisse; in adulterio enim, homicidio aliisque facinoribus laesio juris externi et perfecti, et per consequens injuria adest, quam nemo pari Lege Naturae tenetur, ideoque et jus puniendi inde laeso aut ejus nomine Rectori Civitatis competit: ac vero per dissentientium Religiones nulla laesio juris alterius perfecti committitur, neminique inde injuria inferitur; ergo et jus puniendi ob Religionem nulli hominum competere potest. Ignorantia igitur Juris Naturae tam perniciosas in Rempublicam invexit opiniones, quibus etiam ipsi Ecclesiae Patres sanctissimam Legibusque

Naturae semper consentaneam Religionem nostram Christianam aliquando foede deformarunt. Non autem omnes Ecclesiae Patres cum *Augustino* ita senserunt; etenim *Lactantius* Lib. V. cap. XX. longe rectius Religionis Libertatem defendit hisce verbis: *Nam si sanguine, si tormentis vel alio quodam malo Religionem defendere velis, jam non defendetur illa, sed polluetur atque violabitur; nihil est enim tam voluntarium, quam Religio: in qua si animus adversus est, jam sublata, jam nulla est.* Et eodem fere modo etiam *Tertullianus* ad Scapulam cap. II. ratiocinatur: *Humani, inquit, Juris et Naturalis potestatis est unicuique, quod putaverit, colere: nec alii obest aut prodest alterius Religio. Sed nec Religionis est, cogere Religionem; quae sponte suscipi debeat, non vi.* Nemo autem acrius Religionis Libertatem inter Ecclesiae Patres defendit, quam *Asbanasus*, qui ab *Eusebianis* sive *Arianis* misere vexatus fuit; unde contra Religionis persecutiones tantum cepit odium, ut Religionem persequi, inceptum dixerit *Diabolicum*, et *Arianos* vehementer increpaverit in hoc ipso, quod *proscriberent eos, qui sententiae suae subscribere nollent*, et ideo ipsos *alienos a Christianismo et Diaboli ejusque Daemonum filios et amicos* nuncupaverit. Haec et alia patrum hac de re testimonia congeffit *Jo. Dallaeus de Usu Patrum* Lib. II. cap. XI. Ex quibus Patrum Ecclesiae inconstantia constat quoad hanc doctrinae materiam.

Plura equidem de Libertate Religionis, quod jus singulis connatum et immutabile est, dicere possem, sed,

ne nimis prolixus sim, potius amandabo Vos, A. A. D. D. ad egregiam pii et eruditi Cl. *Werenfelsii* dissertationem *de jure in conscientias ab homine non usurpando*, nec non ad ejusdem Viri dissertationem apologeticam *pro plebe Christiana adversus Doctores judicium de dogmatibus fidei illi auferentes*, quae ambae in Tom. I. *Opusc. Werenf.* ubi multa plane eximia vestrisque meditationibus dignissima proposuit Vir plurimum Reverendus.

Nunc autem concludo hanc amplissimam dicendi materiam cum Cl. *Gerardi Noodtii*, Jcti Summi, verbis gravitate plenis, quae in praeclara Dissertatione *de Religione ab imperio Jure Gentium libera*, ut in causa Religionis decet, cordatius scripsit: *Ita sit una salutis via: tamen cum de una ambigitur et multae ostenduntur, ex quibus suam quisque commendat diligentissime: quod dubium est, utrum oporteat me, judicii mei, an alieni, fidem sequi: cum interim, ut salvus sim, magis mea, quam alterius intersit?*

LECTIO V.

*De Tolerantia diversarum Religionum,
fini Reipublicae haud adversarum,
Civili.*

Tolerantia diversarum Religionum alia est *Ecclesiastica*, qua in una eademque Ecclesia externa, diversi focii ejusdem Ecclesiae, diversa sentientes, sed omnes tamen in fundamento Religionis Christianae consentientes, aequo jure inter se gaudent. At de hacce Tolerantia Ecclesiastica tractabo in posterum. Alia autem est Tolerantia diversarum Religionum *Civilis*, qua in Republica humana aequo jure gaudent omnes non solum Christianae, sed et quaecunque aliae Religiones, quatenus fini Reipublicae haud repugnant. Et de hac Tolerantia diversarum Religionum *Civili* nunc verba faciam. Duabus vero Lectionibus proxime praecedentibus jus Libertatis Religionis singulorum in statu hominum Naturali praesertim contra quoscunque cujusvis Ecclesiae externae conatus vindicavi, et praeterea Lect. I. et II. late docui, homines praecipue Religionis colendae causa ex statu *Naturali* in statum transiisse *Civilem*. Quapropter nunc operae pretium erit, paullo curatius dis-

E 3

qui-

quirere: *num et qualem Religio subierit mutationem ex statu Civitatis?*

Equidem cum in praecedentibus inter *praecipuos* Reipublicae *finis* etiam ipsam *Religionem* recensuerim, videri posset, Religionem *Civili* subjectam esse debere imperio; praesertim cum finis determinet media, et ex pacto Civitatis nascatur *contracta et perfecta* singulorum, in Civitatem coëuntium, obligatio, ut huic optimo Civitatis fini, qui est ipsa Religio, convenienter vivant; et inde quoque Princeps jus adquisiverit, definiendi singulorum actiones ad Religionem rite colendam necessarias. Accedit, quod jus DEI violari credatur, si disputandi Licentia et indomita Libertas, quidvis in Religione sentiendi, quod lubet, singulis in Civitate conceditur. Quis enim, inquit Tolerantiae osiores, ambigat, verum idemque summum Numen contemni, si cuique licitum sit, idolum suae opinionis pro vero DEO colere aut sacra rite tradita et Divinitus revelata turpiter negligere? Sic porro nobis ad aurem obganient, per falsas Religiones vindictam concitari Divinam, qua mox totam Rempublicam, sui juris puniendi et extirpandi falsas Religiones negligentem, misere castigabit supremus omnium Rerumpublicarum moderator. Quisque proinde, existimabunt, ob metuendam poenarum Divinarum communicationem obligatur, et ideo quoque jus habet, adhortandi Principes, ne falsas in Republica tolerant Religiones, sed ut eas omnes funditus extirpent et *jure gladii adulterum DEI cultum submoveant atque evertant*, solamque veram et
unam

unam Religionem in Republica tueantur atque sic *Christi regnum fortiter promoveant.*

Haec aliaque speciosa argumenta, ob neglectum Juris Naturae ex statu Reipublicae Judaicae Theocratico petita, nobis objicient. Patres denique Ecclesiae allegabunt, qui causam DEI ob falsam quamcunque Religionem strenue vindicandam esse tradiderunt. Et né nos *Reformati* habeamus, cur hanc piam sacri zeli agitationem retundamus, ipsum nostrum *Calvinum* nobis opponent, qui anno 1554. libro quodam publice edito adseruerit, *jure gladii coërcendos esse haereticos.* Ejusdem quoque cum *Calviniano* argumenti librum eodem anno conscripssisse, referent, *Theodorum Beza* adversus *Martini Bellii*, id est, *Sebastiani Castalionis* faraginem, quam dixit. Et ut hisce *Calvini* et *Bezæ* violentis consiliis adhuc robur addant, duos Reformatae Ecclesiae in Frisia antistites, *Goswinum Geldorpium* et *Jannem Bogermannum*, hunc postea praesidem Synodi Dordracenae, in medium producent, qui *Bezæ* sententiæ de *haereticidio* accesserint, ita ut, testante *G. Brandtio* in *Histor. Reform.* Part. II. Lib. XVII. anno MDCL. non solum dictum *Bezæ* librum de *haereticis a civili Magistratu puniendis* ex Latina in Belgicam converterint linguam, sed et in ampla et satis memorabili praefatione huic translato libro praefixa Magistratui *Snecano* suasores fuerint, ut haecce turbulenta consilia de *puniendis haereticis* in nostro Belgio Foederato in praxin deducerent. Titulus rarioris hujus Belgici libri ita audit: *Een Schoon Tractaet des*

Godgeloerden Theodori Bezae van de straffe, welke de Wereltlycke Overichbeydt over de Kettens beboort te oeffenen, tegen Martini Bellii isamenraepfel ende der secte der nieuwe Academisten. Overghefet in de Nederduitsche sprake door de Dienaers des G. Woorts binnen Sneeck, met een Voorrede, vervatende mede int corte een verbael van 't geene sick tuschen de Magistraet met de Dienaers des Woorts der Stede voorschreven, ende de Wederdoopers aldaer heeft toegedraghen. Nae de Copie tot Francker by Gillis van den Rade Drucker der H. Staten van Vrieslandt. 1601. Vellem hujus praefationis Geldorpianae et Bogermannianae maxime notanda vobis enarrare argumenta, sed cum ea fideliter, prout mihi ex collatis inter se verbis paruit, per compendium recensuerit mox laudatus Brandt cit. loc., nolo jam actum agere. Quid vero hisce omnibus regeramus? Et quid, quaeso, respondeamus Pontificiis, dum observante ingeniosissimo et eruditissimo Baylio in *Diction. Histor. et Critic.* sub art. Beze in not. ibidem lit. F. quoties de profana curiae Romanae doctrina *praepuniendis a civili Magistratu haereticis* Protestantes conqueruntur et de persecutionibus, quas a Pontificiis perpeti debent, Magistratum Civilium subsellia querelis complent, mox curiae Romanae patroni ad ipsum *Calvinum* nostrum et *Bezam* provocare solent?

Ad *Calvinum* quod attinet, haud diffiteor, dari inter Reformatos, qui eum etiam in caussa *Serveti* de omni crudelitate absolvunt, adeo ut *Franciscus Turretii*

senus, S. S. Theol. Prof. Genevensis, in *Instit. Theol. E Jer. Et.* Part. III. Loc. XVIII. Quaest. XXXIV. §. L. ad severet, *Magistratum Christianum posse poena capitali in similes pestes et hominum monstra animadvertere*, et praecedente §. pho XLIX. num. 5. testetur, *Bucerum* (aeque Theologum) *dignum* (*Servetum*) esse judicasse, *qui avulsis visceribus discerperetur; Melancthonem* (itidem Theologum) adfirmasse, *Magistratus Genevenses recte fecisse, quod hominem BLASPHEMUM re ordine judicata interfecerint*. Immo et ipse quoque *Theodorus Beza* in tr. *de haereticis a Civili Magistratu puniendis*, qui libellus extat in Ejusdem *Viri Volumine Tractationum Theologicarum* Editionis secundae ab ipso Auctore recognitae A. MDLXXVI. ibique pag. 86. testatur, *quod idem hoc argumentum Viri illi clarissimi et omni laude majores, Philippus Melancthon, Joannes Calvinus, Henricus Bullingerus, Volphgangus Capito copiose et luculenter explicarint*. At nunc Jureconsulti, saltem Protestantium Religioni addicti, ejusmodi patrocina cum moderatioribus nostri aevi Theologis crudelitati humanae non praetexunt, nec *Calvinum, Bezam, Bucerum, Bullingerum, Capitonem, Franciscum Turretinum, Bogermannum* tamquam suos Legislatores respiciunt, sed *eos*, teste *Böehmero* in *Jur. Eccles. Prot.* Tom. IV. Lib. V. Tit. VII. §. CLXII. *aeque, ut Hispanicae inquisitionis fautores, rejiciunt*. Saltem *Calvinum* nostrum a persecutionis crudelitate ob illorum temporum conditionem et superstitionem melius excusari, quam quidem jure defendi posse, dudum com-

monstrarunt Viri Eruditiores, quos inter eminet immortalis noster *Barbeyracius* in notis Gallicis ad Orat. suam de *Magistratu*, forte peccante, e *pulpitis sacris non traducendo*, quae inveniuntur in laudati Viri Collectione sive *Recueil de discours sur diverses matièeres importantes*, Tom. II. pag. 276. et seq. et quae Latine exhibentur in Cl. *Abr. Wielingii Apologetici parte altera* pag. 114. et seq. Atque hisce omnino adjungi meretur Venerabilis Abbas Cl. *Jo. Laur. Mosheim* vel Ejus pereruditus discipulus *Henr. ab Alwoerden* in *Historia Michaëlis Serveti*; cum quibus tamen conferri debet Auctor de *la Bibliothéque Raisonnée* Tom. I. Part. II. art. VIII. pag. 366. et seqq. et Tom. II. Part. I. art. V. et VI. pag. 88 ——— 93. et seqq.

At, missis omnibus crudelitatis humanae patronis, nos in Jure Naturae non auctoritatis praepudicio, sed veritatis amore disputamus; auctoritate enim si disputandum esset, facile fieri posset, ut veritas vincatur. Nam tot ubique prostant exempla, quae satis commonstrant, nullam esse Christianorum Ecclesiam externam, a studio dissentientis persequendi immunem. Ex Patribus Ecclesiae praecedente *Lect. IV. Augustinum* jam nominavi, acerrimum *Donatistarum* persecutorem. Et de *Pontificiis* notissimum est, quali persecutionis spiritu ducuntur. At! at! nec ipsi *Protestantes*, quos tamen minime decebat, ab hac pestifera purioris Christianismi macula plane liberati sunt. Exempla habemus in *Lutheranis* Reformatos quondam persequentibus, prout in eorum opprobrium narrat *Böbmerus*, ipse Lutheranae
Con-

Confessioni ceteroquin addictus, in *Jur. Eccles. Protest.* Tom. II. ibique in Dissert. praelim. *De jure circa Libertatem conscientiae* §. 34. Et de *Reformatorum* Theologis, *Calvino, Beza, Franc. Turretino, Bogermanno* aliisque mox dixi: atque in *Helvetia* quoque eodem persecutionis zelo ingentem *Anabaptistarum* numerum aquis suffocatos novimus, quod aequum scilicet videretur, talionis lege per aquam puniri, qui in aqua peccavissent.

Plura, immo innumera exempla addere possem, quibus indicarem, quam truculentus fuerit hominum animus in Religionis persecutione, ut dissentientes, si non rationibus, saltem tamen externa vi in suas de Religione opiniones quasi obtorto collo pertrahant et ita hac in re sibi magnifice placeant, quasi causam DEI optime egissent, quod scilicet alios, quos ad meliores redigere mentes non potuerint, (nam hoc solius DEI est) vi quadam impulerint, externam simulare Religionem, quasi summae pietatis esset, alterum hominem, aequali jure nobiscum gaudentem, inducere, impellere, cogere, ne suum animum in re animi sequatur. Siccine, qui pius et orthodoxus esse velit, censebit alium, ut suam salutem obtineat, non suam, sed alienum judicium, reluctante quamvis propria conscientia, sequi debere? Tam vana est hac in re orthodoxorum quorundam Religio! *Sie geben den menschen Giff ein*, inquit plurimum Venerandus *Mosbeimius* in *Ethica* S. Scripturae, *damit sie genesen mögen; sie übertretten die pflichten der Liebe, um ande-*

re zu bewegen, in eine Gemeine zu treten, deren Kennzeichen die Liebe ist. Welch eine Raſerney! anderen Menſchen das größte unrecht zu zuſügen, damit ſelbige ſich entſchließen mögen, niemand unrecht zu thun. Plenius haec eximii Mosheimii verba jam in meis *Inſtit. Jur. Civ. priv. comm. et Reip. Groningo-Oml. propr.* §. CLXXIV. in not. allegavi, quae hic, Germanico licet ſermone, ob ſingularem tamen eorundem emphasin, repetere volui, ut tales quorundam Orthodoxorum mores derideamus aut deploremus. Quid enim, quaeso, in jure Naturae *externo* est orthodoxia, niſi inane nomen? In jure autem Naturae *interno* Orthodoxia non ab alterius arbitrio, ſed a cujusvis conſcientia pender. Quiſque exiſtimat, Religionem, quam profitetur, eſſe bonam et veram: quivis igitur eam Religionem, de qua maxime ſibi perſuaſum eſt, ſecundum conſcientiam ſequitur. Et quamvis fieri poſſit, plures verſari in conſcientia erronea; non tamen ideo, nondum illuminato eorundem intellectu, Religionem ſuam mutare poterunt, nam qui contra conſcientiae dictamen agit, utique peccat.

Adeone itaque orthodoxus cenſebit, haereticum, quem putat, non ſuum, ſed orthodoxi judicium, reluſtante licet propria ſua conſcientia, ſequi debere? Quid! ſi recte ſenſerit haereticus, quem orthodoxus errare exiſtimat? uterque ſane ſuam Religionem, quamvis toto coelo diverſam, optimam putabit? Quis litem diſimet? Princeps! At forſan Princeps ab utroque diſentiet. Quid tum? An ſic utrumque Principis Religioni

accedere oporteat? Sed inde nondum salva res erit. Diversi Principes diversa inter se sentiunt, cui igitur Principi calculum adjiciamus? Sine dubio, inquam, illi Principi, cui jam subjecti sumus; veruntamen hodie Principi *Reformatam* profitenti Religionem subjecti sumus, dein forsitan *Lutherano*, postea, uti fieri potest, *Pontificio*, denique, nescio cui Religioni addicto, num igitur in dies pro temporis ratione suam mutare liceat Religionem? Id ego equidem, nec ullus Juris Naturae peritus existimaverit unquam.

Allucinantur itaque, qui Principi dominatum quendam in Religionem adscribunt; nam Princeps in *duplici persona morali* quoad hanc Religionis materiam spectari potest, videlicet ut *Princeps* et qua *DEI cultor*. Sin autem qua *Princeps*, heic considerari deberet, omnibus sane Principibus idem jus foret, Ecclesiam, cui adhaerent, per modum *Legis Civilis* solam orthodoxam pronunciare, subditosque, qui hanc Principis sui auctoritatem agnoscere nollent, tamquam rebelles et turbatores Reipublicae punire. Et unus profecto Princeps prae alio sibi praerogativam sumere nequibit; nam eadem est ubique Civilis potestas et sua cuique Principi orthodoxa Religio; quod igitur uni Principi aequum est, alteri non debet esse iniquum. Quivis proinde Princeps in suo territorio orthodoxiam pro suo arbitrio sub gravissimarum poenarum comminatione juste definiret. Agite! jam ponamus, ut fieri potest et revera quondam primis Christianismi saeculis factum fuit, neminem Principum in toto terrarum orbe verae Religioni esse ad-

addictum ; omnes tamen orthodoxiam suae Religionis severissimis legibus praescripisse : tunc sane tota perit vera Religio , si a Principum arbitrio penderet. Unde sane quis facile argumentari poterit , absurdissimum esse , ordinique Universi vehementer repugnare , in Religione Principem , qua Principem , agnoscere.

Si vero Princeps , qua *DEI cultor* spectetur , qui certam amplexus fuit Religionem ; aequale tunc ipsi cum subditis , qui eundem *DEUM* colunt eandemque Religionem profitentur , jus est. In cultu enim *DEI* unus prae alio praerogativam quandam non adfectet ; unus alterum solidiore doctrina vitaeque sanctimonia et morum integritate superet : at hoc Principi non magis datum est ; quam subditis. Humanum est , omnes errare posse , nulli igitur competit imperium in veritates ; una errantis poena est , doceri ; nec prudentioris est , errantes odisse , sed meliora docere. Sin autem alius id non valebit , suae inde agnoscat mentis imbecillitatem , sicutque alterum animi sui sensu abundare , ipse quoque mentis suae iudicium secutus. Sic pari jure gaudebimus omnes , nec alter propter alterius injuriam conqueri poterit. Princeps quoque , nisi illegitimus imperii usurpator esse velit , sibi plus juris arrogare nequibit , quam quod singuli in eum transtulerunt ; singuli vero jus Religionis , quod est jus connatum , ex connata obligatione naturali ortum , in Principem transferre non potuerunt. Ergo injustum semper est omne imperium *humanum* , quod in *Divinam* Religionem , sive *Naturalem* sive *Revelatam* , exercetur. Dogmata igitur Religionis ad imperium humanum

et

et ad objectum Legum Civilium neutiquam pertinent, cum in iis juribus, quorum exercitium nemo in alium transferre unquam potest, singulorum Libertas illaesa semper manere debeat, in quocunque etiam statu homo constitutus fuerit; status quippe hominis *originarius et absolutus*, quem dicunt, per statum hominis *adventitium*, utpote Civitatis, tolli nequit. Ergo Religio singulorum in Republica quoque semper libera esse debet; nam in Religione non datur Princeps humanus, sed solus DEUS, omnium hominum Dominus, in Religione tam Naturali, quam Revelata, unicus est Princeps, omnes vero homines, etiam Princeps, in hac Civitate DEI sunt subditi. Quid autem absurdius esset, quam subditos inter se, sive unum, qui eadem obedientia tenetur, ac ceteri omnes, in alios, sui aequales, imperium exercere velle? Hoc utique crimen laesae Majestatis involveret, quod subditus jura Majestatica sibi arrogaret. Quid igitur homo est, imbecillis creatura DEI, qui tam audacter jura Majestatis Divinae invaderet? Et qualis DEI cultor esset, qui ob imperium humanum, quod sibi forsitan arrogantissimus hominum in Religionem sumeret, imperio se subducere Divino seque ab obligatione connata et immutabili impie liberare vellet? Quis, obsecro, adferere ausit, unicam illam angustam, quae ad coelum ducit, semitam, Magistratui magis notam esse, quam privatis? Quare igitur eum ducem sequeretur, qui, cum viae potest esse aequae ignarus, de mea salute non potest non esse minus sollicitus, quam ego ipse?

Ipsa igitur Religionis Natura satis aperte clamat,

tat, eandem liberam esse in Republica humana, nec ullum in Religione dari posse inter homines Principem. Graviter quoque, prout virum gravem in causa gravi maxime decet, hanc sententiam in publica concione defendit Cl. Noodtius, oratione quam *de Religione, ab imperio jure gentium libera* a. d. VI. Id. Feb. A. MDCCVI. Lugduni Batavorum habuit, et quidem hisce verbis antiquo Gelfico candore plenissimis: *At ne potuere quidem, inquit, ut maxime voluisse dicantur, seroam Legum facere Religionem. Cum enim magis Divino munere, quam humano arbitrio, censeatur; quae-so, ullone modo, ullove jure aut sub hominis deliberationem cadere, aut ejus pactionem recipere, potest? Quid ergo est? Sic existimo, AA. magnam esse atque excellentem Principis in civilibus negotiis auctoritatem: sed in Religione non supra caeteros haberi: ac si ei praescribat regulam, quam et poenis adversus contumaces sanciat; Divini, id est, alieni, rem imperii attingere: nec tantum nihil magnopere praestare, sed ne a tyrannide quidem excusari posse.*

Ex hisce nunc facile intelligetis, tolerantiam diversarum Religionum in Republica non solum licitam esse, sed et Principem Legem Naturae obligari, diversas tolerare Religiones. Haec igitur Tolerantia diversarum Religionum Civilis non solum est juris Naturae *permissivi*, ut Princeps diversas Religiones in sua Republica aequo jure tolerare *possit*, si velit, sed etiam haec tolerantia, prout mihi quidem videtur, est Legis Naturae *praecipiti-*

entis, ut Princeps omnes quascunque Religiones, fini Rerumpublicarum haud contrarias, quamvis inter se diversissimas, aequo jure tolerare *debeat*. Rationes vero meae sententiae, ut opinor, solidissimas jam abunde in praecedentibus a me percepistis, quae eo maximopere redeunt, quod singuli ex obligatione connata immutabili et quidem omnium obligationum naturalium *maxima* teneantur, DEUM colere; hoc tamen fieri nequeat, nisi quisque modum, colendi DEUM, quem optimum judicaverit, determinet. Ex determinatione autem modi, DEUM colendi, nascitur cujusque Religio, quae *interna* erit, si actionibus animi internis sive solis cogitationibus absolvitur. At haec subsistere aut etiam adesse nequit, nisi *externa* Religio, quae in externas hominis actiones abit, accedat aut praecedat; Religio quippe usu praesertim facultatum animae superiorum exercetur, qui usus demum exercitio acquiritur, et hoc exercitium facultatum animae superiorum fieri nequit absque aliorum auxilio sive absque vita hominum sociali, cum ne usum quidem sermonis habere possimus absque aliorum hominum ope. Et qualis, quaeso, esset Religio nostra *interna*, si nulla daretur *externa*? Habitum enim *infusum* aut homini *connatum* non habemus, sed habitus demum exercitio acquiritur; absque habitu proinde *adquisito* tantum *potentia* adesset, utendi facultatibus animae superioribus. Potentia autem, DEUM colendi, nondum Religionem facit, sed *actu* DEUM colere, Lege Naturae obligamur. Ergo non solum ad internam, sed quammaxime etiam *externam* Religionem homo obligatione connata tenetur.

F

Haec

Haec obligatio hominis est immutabilis, a qua nemo mortalium se unquam liberare valet, quoniam quisque Lege Naturae Divina tenetur, huic obligationi satisfacere. Quamobrem etiam quisque jus habet ad omnes eos actus, sine quibus obligationi suae passivae, quae ex Lege Naturae venit, satisfacere nequit. Hoc jus, quoniam ex obligatione connata oritur, est quoque connatum, ut illi obligationi necessario satisfacere debeamus; ideoque perfectum est et conjunctum cum jure, resistendi aliis, qui nos in exercitio hujus juris impediunt.

Quodsi jam nobis multitudinem hominum repraesentemus, ex statu Naturali in statum Civilem transeuntium; id fieri sane non potuit, nisi salvis singulorum obligationibus salvisque inde oriundis juribus immutabilibus; dum enim singuli cum universis *pactum* Civitatis, sive *expressum* sive *tacitum* inierunt, singuli universos et universi singulos sese tamquam *homines* respexerunt, et non ut bestias; ergo velle non potuerunt, ut eorundem pacta Essentiae et Naturae humanae, sive obligationibus et juribus connatis, quae ponuntur posito homine, adversarentur. Tale enim Civitatis pactum non aliter considerari posset, ac si a furiosis initum fuisset; ideoque omni jure Divino et humano prorsus invalidum foret. Ergo in omni Civitatis pacto, sive expresso sive tacito, hoc *quasi-pactum* adest, ut imperantes subditos tamquam *homines* regere, et subditi imperantibus, neutiquam tamquam tigrinis et leoninis bestiis, quae tantummodo potentia quadam *physica* superiores sunt, sed unice tamquam facultate *moralis*, per inaequalitatem juris ex

pa.

pacto Civitatis introductam, in actiones eorundem subditorum gaudentibus, obedire velint. At haec facultas *moralis*, actiones subditis imperandi religiosas easque subditorum actiones determinandi, in Principe humano adesse nequit, cum singuli talem facultatem in alium transferre non potuerint per pactum Civitatis, sive expressum sive tacitum, sed quisque per *quasi-pactum* Civitatis sibi potius reservaverit jus Libertatis Religionis suae; ideoque singuli universis et universi singulis per hocce *quasi-pactum* se obligasse censeantur, ne quispam quempiam propter Religionem laedat, sed omnes perfectam inter se *aequalitatem* in causa religionis servare velint.

Princeps igitur, in quem exercitium jurium singulis competentium translatum est, nomine singulorum exercere debet jus resistendi omnibus, qui alios in hocce jure Aequalitatis et Libertatis Religionis laedere conantur, eosdemque laedentes eo gravius punire tenetur, quo magis in hac Aequalitate et Libertate Religionum communis Reipublicae salus consistit. Unde consequitur, Tolerantiam diversarum Religionum Civilem neququam esse arbitrariam sive pendere a Principis arbitrio, sed quammaxime esse juris Naturalis sive necessitatis moralis, ita ut ad hanc Tolerantiam omnium Religionum, fini Civitatis haud adversarum, in Republica tuendam, quarumcunque Rerumpublicarum Principes omnino obligati sint.

Quamobrem Princeps, qui Religionem *falsam* in
F 2 Re-

Republica tolerat, quae tamen non repugnat fini Civitatis, recte observante *Thomasio* in *Jurisprud. Div.* Lib. III. cap. VI. §. 153. minime peccat contra jus Naturae aut boni Principis officium. Nam ita depravatae sunt indolis homines, ut nulla in re minus Religiosi videantur, quam in ipsa Religionis causa: quisque odio erga alios datur plus quam Vatiniano ob solum Religionis dissenfum, cum tamen Religio, si veri nominis sit, ad mutuam nos impelleret benevolentiam: ac nunc multiplicatis inter homines sacris dissidiis ipsae Religiones, quae tam parum religiosae sunt, in diffidentiam illico mutuam, in odia internecina, in convicia, injuriasque et diras persecutiones degenerarunt, prout pluribus ostendit eruditissimus *Samuel Petitus* in suo rariori opusculo *de Sacrorum dissidiis, causis, effectis et remediis*, quae elegantissima et attentiore lectione dignissima dissertatio nobis integra exhibetur in Cl. *Wielingii* Apologetici parte altera. Haud postrema itaque causa, cur homines, variis Religionibus addicti, ex statu naturali in civilem transferint, mihi quidem videtur, ut quisque suae *Religionis Libertatem* contra quoscunque ejusdem turbatores eo fortius tueri posset et sic singuli viverent in communis omnium tranquillitatis statu. In hunc optimum Civitatis finem consentire omnes; ergo et consenserunt in mutuam diversarum Religionum, tranquillitati Civitatis haud repugnantium, *Tolerantiam*. *Civiliter* proinde omnes diversae diversorum Religiones pro *veris* habendae sunt, quae huic Civitatis tranquillitati haud adversantur, quamvis *Theologice* spectatae omnes simul verae esse nequeant. At quando fini Civitatis repugnat

Re-

Religio, ea aequè minus *Theologice*, quam civiliter pro vera haberi potest, quoniam *vera* Religio juri Civitatis, quod Naturale est, nunquam adversari potest. *Civiliter* autem nemini competit judicium de veritate alterius Religionis, quae fini Civitatis non repugnat; ergo *civiliter* alter alterius Religionem, quamvis a sua Religione diversam, pro *vera* habere tenetur, quoniam alter quoad Religionem *aequali jure* cum ipso gaudet. Et in hoc foro civili quoad Religionem spectatur tantum jus Naturae *externum*; eodem modo, quo illud jam *Lect.* IV. ex jure Gentium quoad effectum belli aequè *injusti*, ac *justi* inter gentes externum ob statum earundem *aequalitatis* illustravi.

Civiliter igitur falsissima est Religio, immo et *Theologice vera* esse nequit, quae *intolerantiae* favet, et diversarum Religionum tolerantiam *civilem* aegre fert; nam inde Respublica turbatur. Quanta autem damna in Rempublicam metuenda sint ex *falsa* Religione *intolerantiore*, ex historia tam vetere, quam recentiore per totum fere terrarum orbem et in primis per totam Europam notissimum est, ut adeo harum rerum, tristitiae plenarum, exempla longa serie recensere superfluum foret. Id tantum ex dictis mecum concludatis velim, Principem, qui persona tantum est *Civilis* et *adventitia*, quae ex translato ab aliis jure nascitur, etiam *civiliter* teneri, omnes quorumcunque Religiones, fini Civitatis haud adversas, licet inter se diversissimas, *civiliter* pro *veris* habere; ideoque hasce omnes in sua Republica aequo jure tolerare. Quatenus vero prudentiae

tae regulis conveniat, uni alterive Religioni, salva tamen omnium quoad jus *externum* et *perfectum*, aequalitate, quandam concedere praerogativam, de eo differendi opportunior in posterum dabitur occasio.

L E C T I O VI.

Continuatio materiae *de Tolerantia diversarum Religionum, fini Reipublicae haud adversarum, Civili.*

Praecedente Lectione docui, Tolerantiam Religionum *Civilem* non solum esse juris Naturae *permissivi*, ut loqui amant, ita ut Princeps diversas Religiones in sua Republica tolerare *possit*, si velit, sed et quammaxime esse Legis Naturalis *praecipientis* et *jubentis*, ita ut Princeps omnes Religiones, quaecunque etiam sint, dummodo fini Reipublicae, sive securitati *externae* et tranquillitati Civitatis *internae*, aperte haud repugnant, a quo jure tolerare *debeat*; subditisque ideo competat jus resistendi Principi, qui easdem tolerare nolit. Haec Tolerantia diversarum Religionum *Civilis*, paene dixerim, est optimum criterium Gentium moratorum, quo a barbaris distingui solent. Nam non solum est officium *humanitatis* in Principe, quod diversas toleret in sua Republica Religiones, sed et officium est *necessitatis*, quod Principi perfectam imponit obligationem etiam diversissimas tolerandi in sua Republica Religiones, dummodo
sub-

subditi, diversis addicti Religionibus, quiete et tranquille inter se vivant in Civitate, nec unus alterum ob dissensum Religionis turbet. Ut adeo *Intolerantia* Religionum Civilis sit *illicita*, utpote repugnans Legi Naturae *prohibenti* et *vetanti*. Quodsi autem subditi ob Religionum diversitatem turbas in Republica concitaverint; Principis tunc officium est, ejusmodi *turbatores juris* omnium hominum quoad profitendam Religionem *con-nati*, omniumque proinde *aequalis*, graviter plectendi, licet etiam isti turbulenti homines ceteroquin quoad reliquas partes verissimae addicti fuerint Religioni.

Etenim nullum datur gravius delictum in Republica humana, quam quidem est ipsa *Intolerantia* Religionum *Civilis*; siquidem DEUS per ipsam humanae Naturae necessitatem singulis concessit hominibus jus commorandi in hac terra: hoc jus est omnium connatum et ex communi primaeva inter homines quoscunque residuum, quod nobis minime concessum est ex hominum arbitrio aut ex Principis cujusdam humanitate, sed per Divinam nobis indultum benignitatem. Hoc jus a DEO toti generi humano *aequaliter* datum et per sanctissimas Naturae Leges easque immutabiles sapientissime sancitum, si Princeps humanus per inhumana Edicta ob Religionis dissensum tollere studet, non sane erit benignus Patriae Pater, sed a crudelissima tyrannide vix excusandus. DEUS quippe ad sui cultum nobis omnibus immutabilem imposuit obligationem, nec hunc DEI cultum sive ipsam Religionem humano submisit arbitrio, cum potius Religio Religio esse desinat, quamprimum ob hu-

manam auctoritatem Religionem profiteamur aut eandem simulemus vel dissimulemus. Sin igitur nostra Religio non demum in impliam degeneret idololatriam, nobis omnibus jus competere debet *aequale*, nostram inter homines libere profitendi Religionem.

Haec Libertas Religioni naturalis est, quae omnem respuit coactionem; per hanc Religionum Libertatem nemini mortalium ulla infertur injuria, licet etiam quis falsissimam profiteatur Religionem: nec verae Religioni competit jus imperii in falsam, sed huic quodam jus Naturae *externum* cum illa *aequale* jus est, ita ut Naturae repugnet, in causa Religionis imperium fingere humanum, quod imperium potius sibi soli per immutabiles Naturae Leges reservavit DEUS, qui in Religione, quae soli DEO et nulli hominum debetur, hominem hominis arbitrio subicere noluit, nec etiam potuit; talis enim Religio, creaturarum arbitrio subjecta, non pietas, quae agendi motiva a summis summi Numinis perfectionibus unice desumit, sed profana potius impietas foret, quae perfectiones Divinae cultusque DEI ipsis tribuerentur creaturis. Unde meo iudicio certissimum est, si vera Religio in Republica vigeat, omnino necesse esse, ut Tolerantiae quarumcunque Religionum, fini Civitatis haud adversarum, amplissimus concedatur locus.

Longe igitur latius sese extendit haec Tolerantia Religionum *Civilis*, quam quae *Ecclesiastica* audit. Ideoque prudentiae regulis minime conveniret, iudices tolerantiae illius *Civilis* constituere velle *Ecclesiarum An-*
ti-

istites; hi enim ex suae *orthodoxiae* principiis dijudicarent, quasnam Religiones in sua Republica tolerare deberet Princeps? Haec sane Tolerantia *Civilis* non pendet a vera aut falsa Ecclesia, nec dijudicanda est ex fine Religionis, qui est aeterna felicitas; hic quippe summus Ecclesiae finis remediis cogentibus obtineri nequit; et hinc omne Imperium respuit humanum. Id equidem Principis officium est, recta media ad veram propagandam Religionem in Republica adhibere, sed ineptissima et tyrannica remedia sunt poenae humanae in causa Religionis, ubi solus DEUS est Princeps.

In Ecclesia *vera Catholica* tolerare Lege Naturae obligamur omnes, qui fideles sunt, nec in fundamento fidei a nobis dissentiunt, prout in posterum prolixius docebo. Sed in Civitate tolerare debemus non solum fideles, qui in CHRISTUM credunt, sed et quoscunque incredulos, utpote Naturalistas, immo Turcas et Ethnicos, et quos non? Haec enim Tolerantia *Civilis* est juris Naturae *externi*, quod quoad Religiones exercendum omnium hominum *aequale* est; nec ulla Principis humani auctoritas tanta est aut unquam esse debet, ut quempiam propter solum Religionis dissensum e Republica expellat eumque ideo coërceat; ubinam enim terrarum tunc commoretur expulsus, si alii Principes eodem hocce jure expellendi contra eundem uterentur? Fame tunc expulso pereum dum esset, cum nullibi terrarum subsistere posset, nisi quandam ex opinione hominum simularet Religionem. Insana profecto orthodoxia! quae ordini universi vehementer repugnat, quaeque jura commorandi

ia hacce terra hominibus Divinitus concessa violenter et impie conturbat. Obligatio Principis, veram propagandi Religionem, sane non alia esse potest, quam ut aptissima media ad hunc optimum finem ducentia instituat, eligendo nimirum idoneos Ecclesiae Doctores et Academicarum Professores, qui alios doceant, quibusvis autem dissentientibus plenam relinquendo libertatem; nam quod in humana non est potestate, utpote Religio, ejus successum Divinae committere Providentiae debet bonus et pius Princeps, ne unquam infringat jura hominum connata, quae sancta semper et illaesa in quacunque bene ordinata Civitate subsistere debent.

Atque ex hisce dictis nunc porro sponte fluit, hanc Tolerantiam diversarum Religionum *Civilem*, quae Juri *Naturalis* est, maximopere quoque Sanioris *Politicis* regulis convenire. *Non aliter enim*, recte inquit Cl. *Just. Henn. Böbmerus* in *Jur. Eccles.* Tom. IV. Lib. V. Tit. VII. §. 188. *conseruari potest* pax et tranquillitas *in Republica*, *in qua cives et subditi diversas sententias ratione Religionis fovent et defendunt, quam* proscripito studio persequendi *dissentientes et imperata Tolerantia. Hoc comprobant innumera bella, clades, seditiones, quibus multa hominum millia, ut in Gallia, Hispania etc. ceciderunt: immo maximae regiones sunt eversae nullam aliam ob causam, quam ex studio persequendi tyrannico, et quod unus alicui concedere nolueris, ut Religionem a dominante diversam amplecteretur, quia* dominantem orthodoxam *consuerunt. Praeterea Tolerantia, ait, Religionum op-*

simum est artium liberalium et exercendorum ingeniorum praesidium, plurimumque facit ad augendum numerum civium et ad amplificandam extendendamque rem tam publicam, quam privatam. Immo alio modo conservari non potest pax in ipsa Ecclesia, quam per mutuam Tolerantiam, qua quisque amice fert et tolerat alios in rebus fidei a se dissentientes. Et porro laudatus vir in *Jure publ. Univers. part. spec. Lib. II. cap. II. (c. 3. in not. lit (d) eximie monuit: Deplorans, dixit, adhuc plurima regna imprudentiam Majorum, qua Clero (intolerantiori) tantam ubi-vis auctoritatem et potentiam indulserunt, quam suppressendi jus fasque fuisset. Quantae strages, quantae turbae in Rebuspublicis inde ortae? Est quippe plebs ita comparata ex judicio Curtii, ut, ubi semel superstitione capta est, plus pareat vatibus, quam Ducibus.*

Interea tamen, si plerorumque hominum indolem et conditionem examinemus, facile comperiemus, plurimos homines ex obscuris tantum ideis sibi ens perfectissimum voluntatemque Divinam repraesentare, et ex hac obscura cognitione se ad certam quandam Religionis formam, ab Ecclesiae cujusdam antesignano aut sectae προμαχῶ efflictim deamatam, simiorum instar, qui aliorum imitamentis feruntur, anxie componere, de cujus veritate adeo pertinaciter sibi persuadent, ac si tota inde aeterna penderet beatitas. Hanc itaque Religionem suam singuli contra singulos dissentientes tueri, hanc mordicus defendere, tanto magis se obstrictos putabunt,

quan-

quanto magis salus aeterna temporali felicitati est praefenda. Ideoque quivis quaevis extrema potius patietur, divitiasque et honores, ac consanguineos, et omnia denique status externi commoda, immo ipsam quoque vitam, facilius ultro derelinquet, quam ut Religionem, qua se recta ad coelos via iturum esse obfirmate mente credit, ad nutum *Civilis* potestatis rejiciat. Quid igitur eveniet, si Princeps subditos suos ad unam eandemque Religionem, quamvis verissimam, adigere vellet? Nihil aliud sane inde continget, nisi ut Princeps ideo regione sua expellat plurimos, rerumque, quibus Civitas carere nequit, abundantiam idcirco impediatur atque sic ipsi Reipublicae fini adversetur improvide. *Nibil enim cuilibet imperio calamitosius infrequentia hominum, quam denique Provinciarum tenuitas, urbium squallor, agrorum vastitas sequitur, ceu recte observavit Guido Ferrarius, vir politissimus, in elegantissima, quam in universitate de arte politica habuit, Oratione.*

Nec proinde ineptum mihi videtur, quod Cl. *Georg. Hornius* in *Orbe Politico*, cap. II. *Can. XV.* robur ac praecipuum munimentum regni Galliae in *Libertate Religionis* posuerit; nam si pensitaverimus, quod ex relationibus fide dignis constet, quondam anno 1619. Reformatos in Gallia quindecim milliones, ut Mathematici loquuntur, id est, quindecies centena millia hominum excessisse. Quam Religionis Libertatem si Galli in regno suo usque in hunc diem lenius temperassent et illaeram servassent, vix dubitari posset, quin Galliae
reg-

regnum omnes totius Europae Respublicas felicitate sua et potentia inultum superasset; sed jam post revocationem *Edicti Nannetensis* anno 1685. saeva persecutione oppressis et patria expulsis *Hugonottis* res artificiales majore industria excolere ab iis didicerunt etiam aliae quaecunque Europaeae Nationes, Protestantium Religioni additiores. Inter maximos igitur Gallicanae Politices sollocismos merito referri debet horrenda illa *laniena Parisina*, qua anno 1572. D. 24. Aug., ipso nimirum die *Bartholomaeo* sacro, plus quam triginta millia Protestantium, quos *Hugonottos* nominavere, sub *Carolo IX.* misere trucidati sunt. De quo *Bartholomaei die Gabriel Naudaeus*, licet Romano-Catholicorum Religionem professus, in suis meditationibus politicis sive *Considerations politiques sur les coups d'Etat C. 3.* inquit: se lubenter velle, ut sanctus ille *Bartholomaeus* aequae a Catholicis, ac Protestantibus in perpetuum condemnaretur secundum versus *Tbuani*:

*Occidat illa dies aevo, neu postera credant
Saecula; nos certe taceamus, et obruta multa
Nocte tegi propriae patiamur crimina gentis.*

Hanc autem cruentam historiam prudentiores Politici adscribebant Curiae Gallicae principiis *Machiavellisticis*, quasi Regi et Principi quidvis liceret et sola parenti gloria subditis relicta esset etiam cum eversione Religionis et internecione civium. Sic plurimi Galli ingenio et familia eminentiores in alterum extremum politicum prolapsi, *Monarchomachorum* doctrinae fautores
ex-

existere, quae politicorum secta, nescio, numne adhuc inter amplissimas Galliae familias vigeat? Postremo dira Religionis persecutio, quae revocato *Edicto Nannetensi* sub *Ludovico XIV.* instigantibus Clericis, qui raro in rebus civilibus moderate sapiunt, miserandum in modum contra *Hugonottos* grassata fuit, tantopere vires regni Gallici ad summam gloriam florescentes debilitavit, ut spes fere decollarit, recuperandi pristinam Gentis gloriam, nisi *Religionis libertas* concedatur omnibus.

Nihil autem est, quod Pontificii hic obmoveant: *Principem pium et religiosum causam DEI agere, subditos ad unam veram et Catholicam Religionem adgendo, et satius esse, subditorum quorundam fortunas perdere; quam Religionum Tolerantia haereses propagare*, at verba haec tantum sunt sonora, quibus Divini Juris Naturae saniorisque Politices ignorantiam produnt. Et utinam! ne et inter ipsos Protestantes ejusmodi incondita Papizantis Politices argumenta contra Tolerantiam Religionum Civilem adhiberent illi, qui dominatum in conscientias adfectant; haud facile enim persuadebunt viris cordatis et prudentioribus, se sincero animo cupere, fratrem in futuro saeculo tutum salvumque fore, quem in praesenti saeculo siccis oculis et prono animo vivum tradiderunt carnifici concremandum aut aliis violentis persecutionibus in deplorandas detruserunt vitae miseras; at vero tam crudeles sunt *intolerantiae civitatis* patroni, ut in causa Religionis *Christiana*, quae sui cultores reddat mansuetissimos, nihil minus, quam *Christiani* videantur, cum ne *hominis* quidem speciem gerant,

gerant, violato concussoque nimirum omni humanitatis jure.

Id equidem lubenter concedimus, boni Principis officium esse, subditorum pietatem, quae est fundamentum felicioris status politici, quantum in sua potestate est, promovere; at hoc tamen fieri debet non vi metue remediisque cogentibus, sed methodo Naturae *humanae*, quae rationalis est, consentanea: ideoque Princeps felix et pius sapienter utique facit, si talia media in Republica optimo ordine sanxerit, quibus subditi ad meliores redigantur mentes. Virtutes autem morales non dantur absque virtutibus intellectualibus: quapropter Princeps publicos constituere debet Academiarum Doctores Oratoresque Ecclesiasticos, qui ingenio pollent, ut aliorum obscuras boni malique ideas ad distinctam doctrinae morales cognitionem, profundiore Legum Naturalium scientia perficiendam, atque ad solidam verae pietatis Christianae notionem omni industria bonoque vitae moralis exemplo perducere adlaborent, ac dissentientes moderatius ferre et cujusque sectae aliorum errores, quae possunt, argumentorum vi redarguere, errantesque invictis rationibus modeste convincere, et denique eos cum amore et mansuetudine in rectam reducere viam gestiant. Plus sane non est in Principis potestate: cetera igitur DEO relinquenda, quae non sunt in humana potestate. Interea cum pauci homines debitam attentionem mentisque reflexionem adhibeant in cognoscendis veritatibus sive excolendis virtutibus intellectualibus; hinc non sperandum est, omnes, immo nequidem pluri-

rimos in Republica ad unam veram Religionem perducī posse, sed fieri pro nostra conditione aliter vix potest, quin maxima sit inter homines Religionum diversitas. In tanta igitur ingeniorum varietate ineptum esset, omnes ad unam opinionum consonantiam redigere velle. Quamobrem Princeps in rebus fidei sive Religionis non potest non, quemlibet patri suo sensu abundare, modo subditi quiete vivant nihilque doceant, quod tranquillitati publicae seu fini Civitatis repugnat.

Lubet hanc rem cum acutissimo *Jo. Lockio* ex praecleara ejus *Epist. de Tolerantia*, quam in praecedentibus jam laudavi, ab origine retexere. Is vero perspicacissimus Auctor *cit. Epist. pag. m. 57. et seqq.* ita causam illustravit; *Venit in Etbnicorum ditionem, inquit, Christianorum parva et debilis turba, omnium rerum egena: postulant extranei ab indigenis, homines ab hominibus, uti par est, subsidia vitae; dantur necessaria, conceduntur sedes, coalescit in unum populum utraque gens. Christiana Religio radices agit, disseminatur, sed nondum fortior; colitur adhuc pax, amicitia, fides; et aequa servantur jura: tandem Magistratu in eorum partes transeunte fortiores facti sunt Christiani: tum demum pacta proculcanda, violanda jura, ut amoveatur idololatria, et nirisus suos antiquos relinquere et in alienos novosque transire velint, vita, bonis terrisque avisis exuendi innocui et juris observantissimi Etbnici, utpote contra bonos mores, et legem civilem non peccantes; et tum demum, quid zelus pro Ecclesia, scilicet cum amore*

dominandi conjunctus, suadet, aperte constat: et quam commode rapinae et ambitioni praetextitur Religio et salus animarum, palam demonstratur. Si legibus, poenis, ferro et igne alicubi extirpandam credis esse idololatriam, mutato nomine de te fabula narratur. Quandoquidem non meliore jure res suas in America amittunt Esbnici, quam in regno aliquo Europaeo ab Ecclesia aulica quovis modo discrepantes Christiani, nec magis hic quam illic propter Religionem civilia vel violanda vel mutanda jura. Dices: Idololatria peccatum est, ideoque non toleranda. Resp. Si dicas, idolotria peccatum est, ideoque studiose vitanda, recte admodum inferis: si vero, peccatum est, ideoque a Magistratu punienda, non item: non enim Magistratus est, in omnia, quae apud DEUM credit peccata esse, vel legibus animadvertere, vel gladium suum stringere. Et porro, dices: Lege Mosaica idololatrias exterminandos. Resp. Recte quidem Mosaica, quae nullo modo Christianos obligat. Quam thesin vir eximius ibidem egregie probat atque tandem concludit: Sub Evangelio nullam prorsus esse Rempublicam Christianam. Multa, fateor, inquit, sunt regna et civitates, quae in fidem transierunt Christianam, retenta et conservata veteris Reipublicae et regiminis forma, de qua CHRISTUS nihil sua lege statuit. Qua fide, quibus moribus vita aeterna singulis obtinenda sit, docuit; veruntamen nullam Rempublicam instituit, novam Civitatis formam et suo populo peculiarem nullam introduxit, nullos Magistratus gladio armavit, quo

homines ad fidem vel cultum eum, quem suis proposuit, cogentur, vel ab alienae Religionis institutis arcerentur.

Quid autem, si ponamus, Principem per se jus habere, subditos cogendi ad unam quandam Religionis confessionem secundum formulam ideo praescriptam: tum sane quod uni Principi in suo territorio licet, id etiam alteri illicitum esse nequibit. Quodsi jam diversos Principes in diversis territoriis nobis repraesentemus diversissimis addictos Religionibus, unum scilicet Judaeorum, alterum Gentilium, tertium Mahumedanorum sacra sequentem, an hoc in casu nos, qui Christiani sumus, jussu Judaici Principis CHRISTO maledicere, aut jussu Ethnici Principis idola Gentilium colere debeamus? Id sane nemo Christianorum dixerit unquam. Quare igitur, amabo vos, Christianus Princeps plus juris in Judaeorum, Gentilium aut Mahumedanorum Religionem haberet, quam hi in nostram habent Religionem? Princeps enim, qua DEI cultor spectatus, non Princeps, sed privatus est, qui iisdem obligationibus teneretur omnium connatis, iisdemque proinde etiam juribus gaudet connatis, aequae ac ceteri homines quicumque; ideoque qua DEI cultor subditis suis aequalis est, nullaque illi prae hisce competit praerogativa aut eminentiori gaudet imperio: qua Princeps igitur jura sua, quae hac in re connata sunt omniumque communia, ex eo, quod huic vel illi Religioni sit addictus, alterare nequit. Principi itaque si jus adscribamus, definiendi subditorum Religionem, immorigerosque ideo poenis afficiendi; tum
jure

Jure egerunt quondam *Nero, Domitianus, Trajanus, Antoninus Pius, Antoninus Philosophus, Septimius Severus, Maximinus, Decius, Valerius et Diocletianus*, Imperatores Ethnici, dirissimis Christianos propter Religionem persecutionibus coercendo. Jure tum quoque Principes, Pontificionum sacris addicti, egissent, si *Lutherum, Calvinum* aliosque plane diversa ab ipsa sentientes et docentes mox ultimo adfecissent supplicio. Et merito quoque suo tunc *Jo. Hus* ad ignem damnatus fuisset. Immo adhuc hodie processus, quos vocant, *Inquisitionis* contra haereticos, utpote nos Protestantes, qui scilicet praescriptae ab ipsis in suo territorio Religioni credere nolunt, instituere valerent Pontificii. At, Medius fidius! Belgarum *φιλανθρωπία* horret ejusmodi cruentissimum barbarae Religionis furorem, multo Majorum sanguine terribilem: quam deformem Christianismi maculam et rudioris saeculi squalorem utinam! ut tandem omnes Europae Gentes, quae *moratorum* nomine salutantur, nitidiuscule abstergerent et sanguinarium illud *Inquisitionis* tribunal, tamquam triste aliquod dirumque bidental, quo cultissimarum etiam Nationum gloria obfuscatur sanctissimumque jus humanitatis nefandum in modum violatur, refugerent atque a finibus suis quam longissime arcerent. Quod tanto magis sperandum est, quo majore industria plurimi Europae Principes jurisprudentiae Naturalis eaque innixae sanioris Politices studium praesenti nostro saeculo ad summum evehere fastigium gloriose adlaborant.

At sentio, splendorem Principum me in aliqualem ser-

monis digressionem abripuisse. Id tantum indigitare vellem, Religionem sanctionibus Principum, licet severissimis, subjectam nunquam stabilem esse, sed pro varietate temporum saepius variare. Sic contingere potest, ut quae Religio antea ab uno Principe pro norma credendi fuerat definita, postea ab ejus successore pro hujus arbitrio publica iterum Lege rejiciatur et plane alia Religio denuo praescribatur. Eritne, obsecro, haec vera Religio? Tum profecto diversissimas habemus veras Religiones, prout nimirum Principes in diversis territoriis illas excogitare, renovare, immutare et abrogare velint: et nihilominus una haec sit veritas, una fides!

Nihil proinde absurdius est, quam Religiones arbitrio Principum submittere; omnemque obligationem naturalem eamque immutabilem tollere conantur, immo ipsi etiam Atheis pollicem premunt, qui diversitatem Religionum in Republica ad unitatem Legibus Civilibus remediisque cogentibus reducere et quandam unius formae Religionem introducere in Rempublicam adnituntur, Religionumque diversitatem cum salute publica subsistere non posse docent, quasi singuli ex statu naturali in statum Civilem transeuntes totam actionum suarum moralium directionem voluntati Principis submittere censeantur; solamque igitur Principis voluntatem ubique et sic etiam in ipsa Religione agendorum normam agnoscere debeant. Ita vero, ut ego quidem auguror, brevi tempore ex rationalibus et moratoribus subditis cultissimisque et ingenuis hominibus viles abjectique errores fient et tota denique nostra Religio in merum
for-

fortioris potentiae desinet. Quas Atheorum lacinias plenius excussit Vir egregie doctus, Venerandus *Rad. Cudworth in System. Intellect.* Cap. V, Sect. V. §. §. 35. et 36. pag. 1203. et seqq. Edit. *Mosheim*. Cui geminari meretur Cl. *Jo. Clericus* in bibliotheca selecta sive *La Bibliothéque cboisie* Vol. IX. art. II, et III. ubi pag. 93. inquit: *Les Atbées Politiques, par leur Droit sans bornes, et qui convient mieux à des Bêtes, qu'à des Hommes, les déchargent les uns et les autres de toute obligation. Ce lien n'est autre chose, que la Justice Naturelle. Et paulo post: Je ne nie pas au reste, que la Force et la crainte ne soient nécessaire, pour obliger d'obeir ceux, sur qui les sentimens naturels du Devoir ne font pas assez d'effet. Mais la Crainte seule de l'Epée, que le Souverain porte, ne suffiroit pas, pour cela, si elle n'étoit soutenue de la Religion.* Quibus omnibus pag. 97. hanc addit epicrisin: *Ainsi les Atbées, en flattant les Souverains et les prévenant contre la Religion, leur font autant de tort qu'à la Religion elle même; puis qu'ils leur ôtent tout Droit, excepté la force, et qu'ils dégagent leurs sujets de toute obligation, si non de celle qui vient de la crainte.* Et denique art. III. pag. 171. hoc graphicum contra *Baylium* subjungit monitum: *Si néanmoins la Raison et la Religion Chretienne étoient détruites, je ne croi pas que les Beaux Esprits, qui se divertissent à les mettre aux prises l'une avec l'autre, passassent fort agréablement leur tems. On verroit parmi les hommes une vie de Bêtes Sauvages, ou l'on ne reconnoitroit de*

regle que l'Interêt et la Passion, jusqu'à ce que la Providence vint de nouveau débrouiller ce Chaos. Hisce adjungerè poteritis J. H. Bœbmeri *Jus Eccles. Protest.* Tom. IV. Lib. V. Tit. VII. ubi de *haereticis* prolixè differtur atque ibidem §. 27. usque ad §. 32. *haereticum mores falsè depexos dedit, simulque ostendit, inter artes Machiavellisticas sive inter arcana Atheistico-politica referendum esse, quod homines, qui a communi ceterorum vita, doctrina et moribus differunt, statim criminis haereseos suspecti reddantur.* Sic Jo. Lassenius, Theologus Danus, quem Bœbmerus cit. loc. allegavit, *arcana Atheistico-politica* contra Machiavellistas Ecclesiasticos edidit, ubi per ironiam etiam hanc regulam praescripsit: *Si bonum aliquem noveris, qui argutiis tuis contrarius est, in remedium: haereticum eum dicito: obtinebis omnia; Religionis enim magna vis est.* Plura de ejusmodi fraudibus Machiavellisticis, quas forsàn non nulli *pias* vocare malunt, in ipsa Religione inter subdolos homines grassantibus dicam in posterum,

Sunt vero alii, qui non tam ex principiis Atheisticis aut *Hobbefianis*, quam ex superstizioso pietatis zelo Tolerantiam diversarum Religionum in Republica deplorant. At aniles sunt ejusmodi lacrimae, quae absque ulla causa effunduntur. Quid enim? si naturam expendamus humanam, nonne deprehendemus, ita cum hominibus esse comparatum, ut in Religione vix duo inter se in omnibus consentiant; immo saepe offendemus, haud

facis

satis hominem cum semet ipso aut saltem non omnitem-
pore in Religione convenire; non enim unico actu ad
cognitionem veritatis pervenimus; intellectus quippe hu-
manus est tantum facultas successive cognoscendi; a fa-
cultate autem cognoscendi pendet etiam facultas appe-
tendi, ut adeo virtutes morales non dentur absque vir-
tutibus intellectualibus. Natura igitur humana nunquam
facit saltum, nisi interveniente quodam miraculo Divino,
quae tamen miracula absque necessitate non fiunt. Er-
go gradatim in ruminandis veritatibus procedendum est,
ut perveniamus ad ipsam pietatem veramque Religionem.
Quot interim praesudicia humanas occupaverint mentes,
quae postea, ubi continuo exercitio ad solidiorem per-
venerint cognitionem, irridere poterunt? Quae variae
opinionum plurimos in Religione homines districtos te-
nent, quas si rite demonstrare deberent, saepissime eo-
rundem demonstrationes in fumum abirent. Quodsi jam
unus velit, ut alter eidem absque solida veritatis demon-
stratione credat; alter quoque eodem tunc jure idem
postulabit. Sic quilibet in Religione sibi optimus vide-
bitur et alter alteri salva conscientia cedere nequibit,
quamdiu ipsi de sua opinione persuasum fuerit. Nihil
itaque superest, nisi rationibus dissentientes convincere.
Hoc vero opus, hic labor erit! ita ut ne millesimus qui-
dem idoneus sit, nexum veritatum moralium nexumque
Religionis Naturalis et Revelatae tam clare et distincte
evolvere, ut aliis scrupulos eximere queat, dum quisque
fere ex suo compendio, quod memoriae mandavit, uni-
ce sibi sapere videtur, sectae, cui a prima pueritia tam-
quam glebae adscriptus adhaesit, in extremam usque se-

neſtutem additiſſimus. Teſtantur hoc tam ſtupendae in-
 ter ipſos quoque Eruditos diſſenſiones, tam multae ina-
 nes, in quas improvidi incidimus, Logomachiae; quid
 igitur de ipſa rudiore plebe judicemus? Quo major au-
 tem ignorantia, eo pertinaciora ſunt cujuſvis orthodoxi-
 ae praepudicia. Mira proſecto orthodoxia, qua corruptio
 generis humani tantopere inculcatur, quam tamen
 in ſacris diſſidiis, ubi maxime graſſatur, ἐθδοξοταται ag-
 noſcere nolunt, ſed in hiſce ſibi ſaperdae videntur om-
 nes. Fieri itaque pro corruptiſſimo generis humani ſtatu
 nequit, ut Religionum unitas in Rempublicam introdu-
 catur. Ergo ne fortior injuſte opprimat debiliorem et
 ſic *Hobbefiano* Juris Naturae ſyſtemati locus conceda-
 tur, diverſae Religionum aequo jure in Republica tole-
 randae ſunt. Nam, ut ait *Buddeus* in comm. de *Con-*
cord. Relig. Chriſt. ſtatusque Civ. Lib. I. cap. II. §.
 XII. pag. m. 73. *et ratio docet et experientia teſta-*
tur, quiete et tranquille vivere poſſe in una eadem-
que Republica, qui diverſas tamen circa nonnulla
doctrinae coeleſtis capita ſovent opiniones. Prudentia
tamen, fateor, hic opus eſt et circumſpectione, ut fe-
roces animi demulceantur, omniſque occaſio ſub Re-
ligionis νεφρω, ambitioni, odio, aliisque pravis cu-
piditatibus litandi, illis adimat. Et proſecto nihil
 eſt verius; non enim Tolerantia diverſarum Religionum,
 quae *tolerantiores* fuerunt, unquam Reipublicae turbas
 concitavit, ſed *intolerantia* ipſius Religionis ſive *tol-*
erantia intolerantium Religionum ſaepe Rempublicam
 in periculum adduxit. Cui malo a Republica *επεντρο-*
caſe

cando optimum remedium est, in Republica, ubi diversae vigent Religiones, singulis *Tolerantiam* saltem *civilem* inculcare, immo etiam *imperare*, et intolerantes cives tamquam turbatores Reipublicae *punire*.

Digna omnino sunt verba acutissimi *Lockii*, quae ex Ejus Epist. de *Tolerantia* pag. 86. et 87. coronidis loco vobis praelegam, ita vero graviter inquit: *At Ethnicum apud te mercaturam exercere permittes, DEUM vero precari vel colere prohibebis? Judaeis habitatio et tecta privata conceduntur, Synagoga cur negatur? An eorum doctrina falsior, cultus turpior, vel concordia periculosior, in coetu publico, quam in privatis aedibus? Si haec Judaeis et Ethnicis concedenda, pejor ne erit in Republica Christiana Christianorum conditio? Dices: immo vero, quia ad factiones, tumultus et bella civilia magis proclives. Resp. Anne Religionis Christianae hoc vitium? Si ita, pessima certe omnium est Religio Christiana, et digna, quam nec tu profitearis, nec Respublica omnino toleret. Nam si hic sit genius, haec natura ipsius Religionis Christianae, ut turbulenta sit et paci civili inimica; ipsa illa, quam fovet Magistratus, Ecclesia aliquando non erit innocens. Sed absit! ut hoc dicatur de Religione, avaritiae, ambitioni, dissidiis, jurgiis, terrenisque cupiditatibus contraria, et omnium, quae unquam fuerunt, maxime modesta et pacifica. Alia igitur malorum, quae Religioni impurantur, quaerenda causa; quae, si recte rem repu-*

semus, in ea, de qua nunc agitur, quaestione tota consistere apparebit: NON OPINIONUM DIVERSITAS, QUAE VITARI NON POTEST, SED NEGATA DIVERSA OPINANTIBUS TOLERANTIA, QUAE CONCEDI POTERAT, (immo ego adderem, et debebat) PLERAQUE, QUAE IN ORBE CHRISTIANO NATA SUNT, DE RELIGIONE JURGIA ET BELLA PRODUXIT; dum primores Ecclesiae, avaritia et dominandi libidine acti, Magistrum saepe, ambitione impotentem et populum superstitione semper vanum, adversus heterodoxos omni modo excitarent et acuerent et contra Leges Evangelii, contra charitatis monita, schismaticos haereticosque spoliandos exterminandosque praedicarent, et DUAS RES DIVERSISSIMAS MISCERENT, ECCLESIAM ET REMPUBLICAM.

LECTIO VII.

Continuatio materiae de *Tolerantia diversarum Religionum, fini Reipublicae haud adversarum, Civili.*

Duabus praecedentibus Lectionibus *Tolerantiam Civilem* diversarum, immo quarumcunque Religionum, quatenus tranquillitati Reipublicae haud adversantur, propugnavi, docendo, omnes *tolerantes* Religiones *civiliter* esse orthodoxas, *intolerantes* vero, quae sibi jus faevendi in alias a se dissentientes Religiones tribuunt, licet etiam in sensu *Ecclesiastico* orthodoxas, nihilominus tamen *Civiliter* non tantum, sed et pro hac parte etiam *Theologice* sive in sensu *Christiano* vehementer esse haereticas; nam recte monuit vir eximius Cl. *Thomasius* in *Jurispr. Div.* Lib. III. cap. VI. §. 151. *ut Religio illa falsa habeatur, quae aperte pugnat cum tranquillitate Rerumpublicarum, quoniam DEUS nunquam voluit ejusmodi doctrinis imbui homines, neque enim voluisse potuit, quia est Auctor Rerumpublicarum, nec adeo potuit voluisse contradictoria.* Quamobrem, arbitro *Thomasio* cit. loc. §. 149. *Civitati expedit, ut publice ejusmodi doctrinis personae, quae cum recto fine et usu civitatum congruunt, simulque animi civium a puero istis imbuantur.* At prout laudatus *Thomasius* ad res humanas et subdola hominum ingenia pernoscenda perspicacissimus erat, sic quoque
facile

facile praevidebat, fore non nullos nigrae loliginis homines, qui hanc suam sententiam cavillando per meram aëruginem eo interpretarentur, acsi tantum *politicam* foret Religionem, cujus veritatem *unice* ex utilitate Reipublicae deduceret; hinc mox §. subseq. 152. collato cum §. praeced. 150. mentem suam rotundis verbis explicat, statuens: *Religionem, quae cum fine Civitatis pugnat, esse FALSAM*; sed hanc argumentationem inverso ordine non valere, ita ut *Religio, quae fini Civitatis congruit, ideo sit VERA*. Equidem *civiliter*, prout in praecedentibus jam explicavi, quoad effectum scilicet juris inter homines *externum*, hanc pro *vera* habere tenemur, neutiquam tamen *Theologicae* sive in sensu *Christiano*: at hoc sensu nullum jus inter homines *externum* datur, sed soli DEO hoc jus privum est, qui sui Vicarios aut Vicarium inter mortales non constituit, veruntamen omnibus quoad hoc jus *externum* benignissime Natura concessit *aequalitatem*, quam si quis violat, nae ille in jus DEI irreverenter involat hominumque sanctissima *Libertatis* jura vehementer conturbat, brevibus Gyaris et carcere dignus.

Qui vero *orthodoxae* Ecclesiae in errantem vel *haereticam* jus saevienti tribuunt, illi mire cothurnati incedunt, magnisque et speciosis verbis nihil plane dicunt; quaelibet enim Ecclesia sibi orthodoxa est, aliis erronea vel haeretica, siquidem quae credit, vera esse credit, quaeque in diversum abeunt, erroris damnat. *Itaque de dogmatum veritate*, egregie scripsit acutissimus *Lockius* in saepe citata Epistola *de Tolera-*

110

via pag. m. 27. Edit. Amstelod. ann. MDCCV. *decus
rectitudine, inter utramque lis aequa est, nulla
judicis sententia componenda. Quaestionis decisio ad
supremum omnium hominum judicem unice pertinet,
ad quem etiam solum pertinet errantis castigatio. Po-
testas Civilis, ita pergit Vir in hoc doctrinae genere
perspicacissimus cit. Epist. pag. 28. ubique eadem est,
nec majorem potest tribuere Ecclesiae auctoritatem
in manu Principis CHRISTIANI, quam ETHNICI,
id est, nullam. Quanquam hoc observatu forte di-
gnum est, inquit eximius Tolerantiae patronus laud-
Epist. pag. 29. et 30. quod animosiores hi veritatis
satellites, errorum oppugnatores, schismatum impa-
rientes, zelum istum suum pro DEO, quo toti accen-
duntur et ardent, nusquam paene expromunt, nisi
ubi faventem sibi habent Magistratum Civilem. Ubi
primum gratia apud Magistratum, adeoque viribus sunt
superiores, violanda illico pax et charitas Christiana;
alias toleranda est mutua Tolerantia. Quando robore
civilis impares sunt, innoxie et patienter ferre pos-
sunt, a quo tantum sibi et Religioni metuunt, ido-
latriae, superstitionis, haereseos in vicinia conta-
gium: nec libenter et feroide arguendis erroribus,
qui Aulae et Magistratui placent, impendunt ope-
ram; quae tamen vera et sola est propagandae veri-
tatis methodus, juncto scilicet cum humanitate et be-
nevolentia rationum et argumentorum pondere. Nub-
lae igitur sive personae, sive Ecclesiae, sive demum
Respublicae, jus aliquod habere possunt, bona civilia
invicem invadendi seque mutuo rebus mundanis spo-
li-*

bandi, sub praetextu Religionis. Qui alior sententur, velim secum reputent, quam infinitam praebent humano generi laesum et bellorum materiem: quantum ad rapinas et caedes et aeterna odia incitamentum: nec usquam securitas aut pax, nedum amicitia inter homines stabiliri aut subsistere potest, si ea obtineat opinio. DOMINIUM scilicet FUNDARI IN GRATIA: et RELIGIONEM VI ET ARMIS PROPAGANDAM.

Nec *Lockium* ita citra rei veritatem differuisse, restantur veteres et recentiores Ecclesiarum historiae; primum enim de *Augustino*, eminentissimo Ecclesiae Patre, constat, illum statuisse, *fidelium et piorum jure omnia esse*, improbos vero *aliena possidere*. Hanc *iniquitatem male habentium tolerari* scripsit, dum *quaedam inter eos constituuntur jura, quae appellantur CIVILIA*. Ex quibus *Augustini* verbis, quae inveniuntur in Ejus Epist. 153. evidenter liquet, laudatum Ecclesiae Patrem Jus Naturae *internum et externum* minime distinxisse, atque jus *Aequalitatis Libertatisque Naturalis*, quod tamen connatum est, penitus cum multis aliis ignorasse. Ex qua supina ignorantia ipsius absurdissima et in Civitate maxime periculosa profluxit sententia. Respectu equidem DEI lubenter concedimus, nos omnes, aequae etiam pios, ac impios, tantum esse *usurarios rerum creaturarum*; ideoque jure Naturae *interno* non aliam nobis a DEO concessam esse facultatem utendi hisce rebus, nisi Legibus Naturae *convenienter*, sive prout officia erga se ipsum, erga alios

et

et erga DEUM postulant. Atamen cum omnes jure Naturae aequales simus; hinc cujusvis conscientiae relinquendum est, quomodo rebus suis utatur. Quamvis itaque impii abutantur rebus suis et sic Legi Naturae minime satisfaciant, non ideo tamen piis competit jus, cogendi impios, ut rebus suis, ad gloriam scilicet Creatoris, Legi Naturae convenienter utantur, multo minus pii inde jus acquirunt, rapiendi impiorum bona, ut fidelibus sub specie pietatis liceret, in infamem raptorum et invasorum classem abire, sed tolerandus est inter homines rerum suarum abusus, cum nemini competat jus in alterius conscientiam; ideoque impii respectu fidelium neutiquam aliena possident; aequale enim jus domini habent, ac ipsi pii quoad jus videlicet *externum*: quoad jus vero Naturae *internum* soli DEO, cui omne jus inter homines *internum* in foro Divino semper est *externum*, soli itaque DEO, inquam, et nullo modo piis et fidelibus hominibus *iniquitatem* male utentium rebus puniendi jus competit. Et per consequens non solum jura *Civilia*, prout *Augustinus* per ignominiam scripsit, sed et quammaxime ipsae Sanctissimae Leges *Naturales* hanc *aequalitatem* pios inter et impios quoad jura Domini *externa* non solum tolerant, sed et jubent, ut jus Naturae *externum* subsistere debeat inter homines, licet pro corruptissimo generis humani statu etiam plurimum juri Naturae *interno* repugnet, ne tyrannidem in aliorum conscientias sub larva pietatis introducamus et jura *Aequalitatis Libertatisque Naturalis* omnium connata impie cum *S^{to} Augustino* infringere studeamus. Ad statum vero *Civitatis* quod attinet, haec

haec nostra Libertas Naturalis quoad usum rerum suarum restringitur per *finem Civitatis*, sed hic tamen finis non involvit jus cogendi actus hominum *internos*, ideoque versatur tantum, circa exercitium juris *externi*, inter homines locum obtinentis, quod, sive impius regnet in Civitate sive pius, semper eodem modo determinatur: ergo etiam nihil inde solatii fidelibus occurrit, ut *iniquitatem male habentium*, quae *Augustini* sunt verba, amplius *tolerare* necesse non habeant.

Immo si haec *Augustini* sententia procederet, aethi Imperantium in exercitio imperii sui turus foret, nisi ex opinione fidelium orthodoxus esset et pius; nam imperium quoque ad res saltem *incorporales* pertinet, quod jus imperii proprium est Principi, ita ut hoc respectu etiam illud, licet non quoad *substantiam* seu ipsam imperii *proprietaem*, saltem tamen quoad *exercitium* seu imperii *usumfructum*, sit in *dominio* ipsius. Quodsi igitur Princeps ex opinione fidelium infidelis esset, liceret quoque tunc piis imperium invadere, illudque dejecto legitimo principe, cuiusdam ex fidelibus defetere. Quanta autem inde nasceretur rerum Civilium perturbatio! possem ejusdem *Augustini* aliorumque Ecclesiae patrum erroneas in sanctissima Juris Naturae disciplina sententias pluribus recensere, sed id non est hujus loci. Potius verba *Lockiana*, quibus opinionis, *dominium scilicet fundari in Gratia*, mentionem fecit, aliqualem hanc a me flagitarunt digressionem.

Deinde, ut *Lockium* porro defendamus, sufficiet,

eundem *Augustinum* denuo in medium producere, qui suo et aliorum *exemplis* commonstravit, quantopere sub persecutionibus viventes conscientiae libertatem propugnaverint, at persecutionibus istis liberati mox eodem dissentientes persequendi furore tamquam oestro corripiantur; primitus enim ipsi sententia erat, et tum ita recte sentiebat, *neminem ad veritatem Christi esse cogendum, verbo esse agendum, disputatione pugnandum, ratione vincendum*: dum vero ita sentiebat noster *Augustinus*, erat adhuc *Arianorum* furore perterritus sacraeque persecutionis periculo expositus, veruntamen postea cum orthodoxis suis superior evadens, mutavit turpiter vultum suumque *Donatistas* persequendi animum palam prodidit, in *Epist. XCIII. ad Vincentium* ita scribens: *His igitur EXEMPLIS a collegis meis mihi propositis cessi. Nam mea primitus sententia erat, neminem ad veritatem Christi esse cogendum, verbo esse agendum, disputatione pugnandum, ratione vincendum. Sed haec opinio mea non contradicentium verbis, sed demonstrantium superabatur EXEMPLIS.* Quam postremam *Augustini* de intolerantia Civili sententiam cl. *Barbeyracius*, vir nobis et seris nepotibus adhuc colendus, in tr. *de la morale des Pères de l'Eglise Chap. XVI. §. XXIX.* merito l'opinion horrible de ce père dixit: en quot, inquit, il est d' autant plus blamable, qu'il avoit été d' abord dans des sentimens de Douceur, et de Charité. C' est à COMMENCER PAR L' ESPRIT, et FINIR bonteusement PAR LA CHAIR. Hanc intolerantiam civilem paucis quidem verbis, sed gravitate plenissimis, descripsit, tamquam une

H

ma-

maxime contraire à toutes les lumières du Bon Sens, à l'Équité Naturelle, à la Charité, à la bonne Politique, à l'Esprit de l'Évangile.

Et utinam! ne hac in re turpissima *Augustinus* plures haberet imitatores; at vereor tamen, ne multi fuerint, qui mansueto *Tolerantiae* spiritu, ut cum *Barbeyracio* loquar, Religionem propagare occipiant, sed carnalibus *Intolerantiae* armis eam inquinare postea pergant. *Hic illud primum mirari convenit*, admonente magno *Grotio* in illo libro auctoritate publica anno 1613. edito, qui inscribitur *Ordinum Hollandiae ac Westfrisiae Pietas*, pag. 34. *mirari convenit*, ita loquitur vir eximius, *quomodo soleant Theologi quidam pro usu temporum dogmata immutare, et quae quondam in Romanensibus oppugnarunt, ea ubi necesse est, a Romanensibus mutuari.* Nolim jam ipsum nominare *Catvinum* nostrum, qui, licet in *Opp. Tom. VII. ibique Comm. in Pauli Epist. II. ad Corinth. cap. I. vs. 24.* recte adferuerit: *Idem prorsus ab hominum iugo solutam liberrimamque esse debere, eamque non aliam subjectionem agnoscere, quam verbi DEI; hominum autem imperio minime esse obnoxiam; atque nullum esse dominium spirituale, nisi unius DEI; nullumque Pastoribus esse imperium in conscientias, quia Ministri sint, non domini; erga Mich. Servetum tamen, et Sebast. Castalionem se talem gessit, ut Augustino quoad studium persecutionis haud videatur secundus.*

Nolite autem putare, me hæc insultandi animo dixisse; hæc enim eo potius consilio dicere debui, ut ex hisce aliisque *exemplis*, quae omni fere tempore, ex demonstrantium auctoritate, licet non saniores et moderatores, quos veneror, nihilominus tamen ambitiosi Ecclesiarum antistites, teste historia Ecclesiastica, secuti fuerunt, ex ejusmodi, inquam, *exemplis* vobis; si qui vestrum prudentes Civitatis Rectores aliquando esse vultis, cavere discatis, ne quispiam vobis imponat, ac si Tolerantia Civilis Religionumque diversitas Reipublicae noceret; potius vobis ex solidioribus rationibus persuasissimum sit, maxime Reipublicae noxium fore, si Princeps sub unam Religionis formulam coarctare vellet subditos. Etenim pro ingenii humani varietate fieri aliter vix potest, quin in externa Religionis societate reperiantur plurimi, qui ad internam Sanctorum inter se communionem, quippe quae solidam verae pietatis cognitionem animique emendationem et interiorum cum DEO conjunctionem supponit, haud quaquam pertinent; plurimi enim homines ex obscura cognitione DEUM colunt et se externae Religionis societati ex consuetudine quadam adjungunt. Ipsi Religionis antistites saepius magis ex infantiae et obstinatae orthodoxiae praejudiciis, quam ex genuina moralitatis ratione seu ex clara et distincta cognitione se ad Religiosos aliorum actus componunt: et hinc fieri adsolet, ut aliquando ex superstitione, aliquando autem ex dominandi prurigine imperium quoddam adfectent civile, brachiumque Spirituale, cui brachium Saeculare subordinatum sit, sibi infauste adaptare studeant.

H 2

Ni-

Nihil autem magis hominem in transvorsum rapit, quam imaginaria et superficialia Religio, ita ut in praeconceptis orthodoxiae opinionibus nec Principem observent, nec quidvis metuant. Nulla igitur res aptior est, Rempublicam in Republica constituere, quam universalis quaedam omnium subditorum ejusdem tantum Religionis Societas, cujus ipse quoque Princeps membrum est; Princeps enim si ad nutum hujus Societatis sese componere nolit, statim pro Religionis suae sociorum arbitrio ex ipsa ejicitur Societate, nigreque depingitur et sic in odium mox incurrit subditorum suorum. Quae res tam periculosa est, ut, testante historia Ecclesiastica, per *dominantem*, quam dicunt, Religionem nimium crescentem suaeque vi abutentem ima saepius in Republica mixta fuerint supremis; praepriis eo tempore, quo auctoritatem Conciliorum pro aevi superstitione adeo stabiliverant ambitiosi Religionis Episcopi, ut sibi regnum quoddam Sacerdotale vindicarent, et sic ipsi Principes quoad condendas fidei-formulas ex clericorum arbitrio penderent. Felix itaque Princeps, felices subditi et felix tota Respublica, ubi variae tolerantur et vigent Religiones.

Et hinc notatu quoque dignissimum est, quondam *Aegyptios* ad firmandum imperium, referente id *Diodoro Siculo* in *Bibl. Hist.* L. I. cap. 89., varias fovisse Religiones earumque aequilibrium cautius servasse, ne scilicet omnes conspirare possent. Eadem quoque hac arte politica usus fuit *Julianus* Imperator, qui dissidentes Christianorum antistites cum plebe discissa in pal-

ti.

tium intrōmissos monuisse dicitur, ut civilibus discordiis consopitis quisque, nullo vêtante, Religioni suae seruiret intrepidus. Quod, ut *Ammianus Marcellinus Rer. Gestar.* Lib. XXII. ait, agebat ideo obstinate, ut *diffensiones augente licentia non timeret unanیمانtem postea plebem.* Et hanc *Juliani Apostatae* artem politicam pluribus ex *Marcellino* recensuit vir elegantioris ingenii *Michaël Montanus* in Tentaminibus moralibus sive *Michel de Montaigne dans les Essais* Liv. II. chap. XIX. *de la liberté de Conscience* prope finem, ubi imitatus *Marcellinum*, addit: *ayant essayé par la cruauté d' aucuns Chrestiens, qu' il n' y a point de beste au monde tant a' craindre a' l' homme, que l' homme;* sive, ut ipse *Amm. Marcellinus* cit. loc. loquitur, *nullas infestas hominibus bestias ut sunt sibi, feralibus plerisque Christianorum expertus;* scil. *Julianus.* Dum enim homines perverso superstitionis aut pomposae pietatis Zelo, ut saepius fit, agitantur, nullae leges civiles sufficient, refrenandae Religionum audaciae. Non igitur *Tolerantia diversarum Religionum* in Republica, sed potius ipsa eandem *Intolerantia* tam multas easque tremendas produxit turbas civiles.

Eandem, quam ego de Religionum *Intolerantia*, Civitatum peste, foveo sententiam, optime quoque ex hac ipsa, quam ego nunc, licet verborum tantum tenuitate, sustineo, cathedra defendit Vir non solum de Academia nostra, sed et de tota Republica Litteraria

optime meritis, *Barbeyracius* in tr. de la Morale du Pape de l'Eglise Chap. XII. §§. 31 — 38. cujus verba, licet jam alibi a me allegata fuerint, merentur tamen; ut denuo hic proferantur, quae enim pulchra, bis et ter-repetitu jucunda juxta et utilia sunt: ira vero *Notter* inquit: *Enfin, tout Souverain, comme tel, est tenu de faire ce qui est avantageux à l'Etat et d'éviter ce qui peut lui nuire. Or, à parler généralement, il n'y a rien de plus avantageux à un Etat, que la multiplication des Sujets; rien de plus pernicieux, que ce qui tend à en diminuer le nombre. Mais l'expérience a assez fait voir, que l'Intolérance Civile est la peste des Etats à cet égard, comme à tout autre. Et paullo post: Qu'on voie au contraire les Pais, où chacun a une bonne Liberté de Conscience: on trouvera qu'elle contribue à les faire fleurir, à proportion de l'étendue qu'on lui donne. Rien n'est plus faux, qu'une maxime de Politique toute contraire, dont les Ecclesiastiques abouissent les Souverains, pour dominer eux-mêmes sur les Consciences et pour avancer d'ailleurs leurs intérêts temporels. Ils font sonner fort haut, Que le bien d'un Etat veut qu'il n'y ait qu'une Religion, parce, disent-ils, que la diversité de Religions produit des divisions et des troubles. Mais ce n'est nullement la diversité des Religions qui cause par elle-même ces mauvais effets: c'est au contraire l'Intolérance, qui veut élever un Parti sur les ruines de l'autre. Le Souverain n'a qu'à tenir, comme il le peut et IL LE DOIT, la balance égale, en*

(sarc)

sorte qu'il ne laisse à aucun Parti les moyens d'opprimer l'autre: tout sera bien tôt calme et la diversité de Religions ne produira pas plus de discorde, pas plus de désordres, que la différence des goûts sur toute autre chose. Ce n'est pas ici une prophétie de Système. Sans remonter jusqu'au Paganisme, on va à qu'à jeter les yeux sur les Païs où l'on permet à chacun de servir DIEU à sa manière, et professer la Religion qu'il croit la meilleure. On remarquera, que, plus la Tolerance y est exactement observée, et plus la paix y régne, non obstant la diversité des Religions. Et porro: Au fond, quand il naîtroît quelques inconvéniens de la diversité des Religions, cela ne suffiroit pas pour autoriser l'Intolérance Civile. Il faudroit toujours en venir à examiner, si l'on a droit d'employer un tel moyen pour prévenir ces inconvéniens. Denique concludit Vir et antiquitate generis nobilique profapia Majorum et sua doctrina illustris et generosus: Mais, bien loin, que la Tolérance des Religions doive nécessairement les multiplier à l'infini, je soutiens au contraire que rien n'est plus propre à en diminuer le nombre, et à réunir les diverses Sectes. Quod consilium dudum jam dedit Amplissimus Elb-
Leonius, quondam Consiliarius Concilii Status et Cancellarius ac Praefes Curiae Duc. Gelriae et Com. Zurphaniae in praeclara Oratione, D. XXV. Novembr. MDLXXIX. in conventu statuum Generali-

um Antverplae congregatorum habita, quam Ejusdem Viri prudentissimi editae *Centuriae Consiliorum* adjectam plenius legere poteritis, ubi pro tollendis Religionum diffidiis inter alia suadet: ut, *quoniam disputatio infinita est, neque in unam sententiam consentire possimus, Religio, quae a DEO est, permittatur DEI voluntati et tempori, optimis talium rerum arbitris.* Et hifce Viris laudatis jungi meretur *Thomas Morus*, Vir prudentia et doctrina inclytus, in sua *Utopia* Lib. II. Hic fane in *Utopiae* historia formam bonae Reipublicae exhibere volens, cautum ibi scribit: *Ne sua cuiquam Religio fraudi sit; variasque itaque esse ibidem Religiones, ait, in summa omnium pace.*

LECTIO VIII.

Continuatio materiae de Tolerantia diversarum Religionum, fini Reipublicae haud adversarum, Civili.

Præcedente Læctione nonnullas doctiorum virorum, præsertim *Barbeyracii* nostri, cohortationes pro Tolerantia Religionum civili vobis exposuit; sed quid juvant privatorum consilia, nisi iisdem etiam Principum animi imbuantur? At vero si unquam, tum præsentis huius sæculo Europæarum Gentium Principes, de quo immortales sint DEO T. O. M. grates! *Tolerantiae Religionum Civili* maxime favere videntur. Liceat mihi primo loco omni cum venerationis cultu nominare FRIDERICUM *Magnum*, Borussiae Regem; qui in *Suis Memorialibus* sive *Memoires pour servir à l'histoire de la maison de Brandebourg* part. II. art. III. pag. 277-287. Tolerantiam diversarum Religionum, et præsertim Protestantium, sanioris Politicæ principis adeo convenire merito existimat, ut inter felicissimas generis humani conditiones referat, diversas in Rebuspublicis fovere Religiones, ne nos Latæi aliquando necesse habeamus, ut iterum sub dominata Sacro ingemiscamus, nostramque totam quaeramus felicitatem in caeca obedientia Clero præstanda. Sive, ut Poëta, nescio quinam, cecinit:

*Ille dicit deo latebit, nec postera cernant
Saecula! et o! nostros fugiant haec fata nepotes:
PRINCIPIS ut rapiat sublimia sceptrum SACERDOS,
Et MOSIS solum frater conscendat AARON.*

Ita vero hanc rem describit Augustissimus Auctor cit. pag. 277. *S' il n' y avoit qu' une Religion dans le monde, elle seroit superbe et despotique sans reserve; les Ecclesiastiques seroient, autans de tyrans qui exercent leur severité sur le Peuple, n' auroient indulgence que pour leurs crimes; la Foi, l' Ambition et la Politique, leur asserviroient l' Univers: à present qu' il y en a plusieurs, aucune de ces Sectes ne sars, sans s' en repentir, des voies de la moderation.* Et tandem in fine dicti art. III. pag. 286. *REX tyrannizans pro Tolernsua Civili ja concludit: Le faux zele est un tyran qui dépeuple les Provinces; la Tolérance est un tendre mere, qui les soigne et les fait fleurir.*

Eadem jam quondam MAXIMILIANI II. Sapien-
tissimi Germaniae Caesaris vox celebratur: *nullum enormius peccatum dari posse, quam in conscientijs imperium exercere velle. Qui enim conscientijs imperare vult, eos arcem caeli invadere, et plerumque terrae possessionem perdere.* Immo ut dixi, nostris praesentibus temporibus, ubi observato Clarissimo De Felice in Praefatione Principiorum Juris Naturae et Gentium Excellentissimi Burlamaqui Tomo VI. Gallice praemissa, accensum jam inter Gentes Juris Naturae studium

diū vigere incipit: *Connoissance*, inquit, elegantissimus Auctor, si intimément liée avec le bonheur de l'humanité, qu'elle est seule capable de maintenir l'équilibre de l'Etat et de prévenir les maux inexprimables de l'anarchie et de la tyrannie; Et pag. VIII pergit: Je le répète donc, le dix-huitième siècle offre le triomphe de la philosophie politique, et par là même le triomphe de l'humanité; nostro proin felicitiori aevo pro gradu majoris Legum Naturalium scientiae etiam tolerantiores fiunt Civitatum Rectores quoad diversas in Republica Religiones. Testantur id jam allegata FRIDERICI M. Regis Borussiae, eximia effata; testatur quoque illud augustum potentissimae et tamē humanissimae CATHARINAE II. gloriosissime regnantis Russorum Imperatricis, omnibus Principibus imitandum exemplum, quo in *Codice Legum formando*, in Belgicam nuper translato linguam, art. 495. ita graviter edixit: *De vervolging verbittert de gemoederen. De Vryheid van consciencie doet in zegendeel de verharde berten zacht worden, doet de balssterigen buigen, en verdooft de verschillen, die voor de gerustheid van den staat zo rampzalig zyn, en met de Eenigheid, die onder de Burgeren moet beerschen, zo srydig is.* Et ipse sane haud levis est, quod etiam Invictissimus Germaniae Imperator, Semper Augustus, huic Tolerantiae Religionum impensius faveat. Sic ipsi Principes Romano-Catholici jam quoad hanc Tolerantiae materiam sapere discunt, cum in nostra Protestantium Ecclesia et in libero nostro Belgio non nulli privati

vati homines, quos nominare nihil attinet, desipere incipiant.

Veruntamen; quae nostra est felicitas, prudentissimi Belgii Foederati Moderatores satis perspiciunt, tranquillitatem Belgii publicam maxime ex Tolerantia diversarum Religionum Civili pendere; in nulla enim Republica ejusmodi Tolerantia magis est commendanda, quam ubi variae et amplissimae exercentur mercaturae, opificia, navigationes et quaecunque commercia. Ad haec quippe promovenda et longe lateque provehenda diversi ingenii variaeque nationis homines desiderantur, quorum singuli singularem suam habent et profitentur Religionem. Ideoque Serenissimus Arausiae et Nassaviae Princeps, Divus **GUILIELMUS CAROLUS HENRICUS FRISO**, Foederati Belgii, dum viveret, Gubernator hereditarius, Pius, Felix, Inclytus, sapientissime judicavit, Tolerantiam diversarum Religionum Civilem Reipublicae Belgicae pro instaurandis commerciis maxime conducere; exhibuit nimirum Celsissimus Princeps in Comitibus Ordinum Reipublicae Belgii Foederati Generalium die XXVII. Augusti, MDCCLL *Verhandeling van den Koopbandel van de Republyk der Vereenigden Nederlanden*, ubi verba pag. 12. ita se habent; *Onder de Moreele en Politieke Oorzaaken* (scilicet, van den Opkomst en bloey van den Koophandel) *mag men stellen de onoveranderlyke maxime en* **FUNDAMENTEEL** **GRONDWET** *van de Vryheid omtrent de verskillende Godsdiensten en deeze* **TOLERANTIE** *en conniventsie, altoos considereren,*
als

als het KRAGTIGSTE MIDDEL, om vreemde Ingezeetenen uit de omleggende Landen berwaards ter woon te trekken en daarmede deeze Provincien te bevolken. Et recte Serenissimum Principem, juris publici peritissimum, hanc Tolerantiam Civilem Legibus Republicae nostrae *fundamentalibus* apprimè consentaneam dixisse, mihi quidem persuasissimum est.

Movent me causae belli Belgici Civilis justiticae, quas D. GUILIELMUS Nassavius Princeps Auranii, Patriae Libertatis vindex, in *Denuntiatione ad Ordines et populum* die 16. A. MDLXXII. data, recensuit, quae *Denuntiatio* verbotenus adjungitur Editioni posteriori Belgicarum Historiarum *Petri Borrii* et quidem Vol. I. ibique in additamentis documentorum authenticorum sive *Byvoegsel van Aushentyke stukken* pag. 131. et seqq. ubi inter causas hujus belli justiticas Patriae Liberator *primo loco* retulit, ut *rescissis omnibus edictis, quibus vis fit conscientiis et legibus, libera fiat amplecti volentibus Prophetarum, CHRISTI et Apostolorum doctrina, idque ad exemplum Ecclesiarum hactenus ea doctrina utensium; RECUSANTIBUS, SI QUIETI ESSE VELINT ET FUISSE DEMONSTRENT, NULLA INJURIA UT FRUI UTI FRUI SUIS REBUS LICEAT.* Et tum *secundo loco* addidit: *Inquisitionis nomen in sempiternum dispungatur.*

Huic prudentissimo Serenissimi Principis consilio postea anno MDLXXIX. D. 29. Januar. *Unionis Ultrajecti-*

judicinas articulus XIII. convenienter definitus est, quo Jus circa sacra singulis Belgii Foederati Provinciis seorsim adscribitur, hac tamen lege: *niss dat een yeder PARTICULIER in syn Religie vry sal moghen blyven en dat man niemand ter cause van de Religie sal moghen achtseebaten ofte ondersoeken, volgende die voorsz. Pacificatie tot Gendt ghemaect.* In quantum vero hicce articulus XIII. Foederis Utrechtani quoad dominantem, quam dicunt, Religionem mutatus postea fuerit, non est hujus loci, pluribus indicare; nam hoc loco sufficiat, inde commonstrasse, in Republica nostra cujuslibet *Privati* Religionem liberam esse debere et sic Tolerantiam diversarum Religionum Civilem ipsis Legibus Reipublicae nostrae *fundamentalibus* stabilitam esse. Patet hoc quoque ex ipsa, cujus in allegato art. XIII. mentio fit, *Pacificatione Gandavensi*, anno MDLXXVI. D. 8. Novembris inita; ibidem enim art. IV. cautum est, *ne quispiam Religionis causu injurias patiatur aut verbis vel factis ideo irrietur et quidem*, ut dictae *Pacificationis* vocabulis Belgicis utar, *op poene van gestraft te werden als perturbateurs van de gemeene ruste, anderen ten exemple.* Cujus Sanctionis ratio art. subsequ. VII. additur in verbis: *op dat de Provincien niet gedemembreerts en worden en om alle twist en tweedracht te scbouwen.*

Nec etiam post abdicationem Regis Hispaniae, cum Ordines Hollandiae D. 24. Julii A. MDLXXXI. durante illo Bello summam rerum gerendarum Principi Auriaco derulissent; Tolerantia Religionum Civilis in
hi-

hiscē terris imminuta fuit; nam, licet Princeps, referente *Wagenaario in Histor. Patr.* part VII. Lib. XXVIII. pag. 435. ea Lege Reipublicae Hollandiae praefectus fuerit, ut *solam Religionem Reformatam Evangelicam iustaretur*; ex P. Borrii tamen *Belgicarum Historiarum commentariis*, Vol. II. ibique ex *additamentis documentorum aubenticorum* pag. 21. liquet, ordines Hollandiae D. 5. Julii MDLXXXI. statuisse, ut haec clausula diplomatis de transferendo in Principem Reipublicae imperio: *zal zyne Excellentie handhouden de Oeffeninge alleen van de Gereformeerde Evangelische Religie*, surrogata fuerit loco formulae antea in exemplari adhibitae: *doende surcheeren ende ophouden de exerciitie van alle andere Religien den Evangelio contrarierende*. Praeterquam quod in ipso Diplomate Principi tradito et a laud. Borrio cit. loc. pag. 33. exhibitō illa clausula satis restricta fuerit hiscē verbis: *Sonder das Syne Excellentie sal toelaten, datmen op yemants geloove, ofte consciencie sal inquireren, ofte dat yemand ter cause van dien eenige moeyenisse, injurie, ofte letsel aengedaen sal worden*. Ut adeo Tolerantiae Religionum Civili hac clausula salutarī prudenter prospectum sit.

De hac quoque Tolerantia Religionum notatu dignissima sunt verba, quibus Proceres Lugdunenses quondam pro Libertate Religionis contra Synodum Middelburgensem utebantur in *Remonstrance of versoog by die van Leyden den Heeren Ridderſchappen en Sieden representerende de Staten 's Lanis van Hollandt*,
in

in Februario, MDLXXXII. bare mede-litmaten gedaen, noopende 's verbandelde der Predikanten, in den laetst voorledenen Somer tot Middelburg in het Nationael Synodus (so sy 's noemen) vergaders geweest zynde, met den gevolgen van dien. Hanc Remonstrationem, sit venta verbo, integro titulo allegavi, non eo consilio, ac si inde Remonstrantismum, qui postea inter sectas Theologorum invaluit, quaeratis, sed ut ex hac fideli summorum virorum cohortatione quoad singulorum Religionis Libertatem tolerantius sentire discatis. Plena vero haec Procerum Demonstratio exhibitur in P. Borrii rerum a Belgis gestarum commentariis ibique Vol. II. Edit. posterior, in *additament. Document. Aubens.* pag. 115. et seqq. ubi inter alia maxime notanda dicitur: *Ons heeft een kranckheit bovanden: een heilige kranckheit der OPINIEN: waermede wy malkander verteerende sullen ten laetsten selfs verteert werden, by aldien wy nies in syds raedt en gebruiken. Goeden raet is hier dier ende so veel te dierder, als weynigh yemand dese syne kranckheids bekennen wil.* Et porro pag. 116. haec habentur verba: *Den Grooten Constantyn heeft om de Christelycke Religie yerende, den Paus synen stoel geset, daer hem Karel de Groote volgende op verbeven heeft, tot grooten verdriet der armer verdruyvel der Christenheids. Van welken Pauselicken banst soo wy nu door Godes gratis ontbonden geworden zyn; zyn sommige ernstbafige luyden, deur haeren onverschandigen yoeer weder opgeweckt: nies nochtans om yemand tot de valsche leer, als de Paus gedaen hadde,*

te dryven: maer om de Overbeit aen te porren, als dien behoort den waren Godes dienst met bare macht voor te staen. Niet merckende, dat de beginselen des Pausdoms niet geweest en zyn, om eenen valschen Godes dienst aen te rechten, maer om denselven gelove, sêo voor de gewrouchde afgrjselickheit des Pausdoms bekens werde, in alder neerstigheidi in te dringen. DAN DIT BEDWANG, EN GEEN ANDER DINCK, IS DE RECHTE MOEDER DES PAUSDOMS GEWEEST. Ac paulo post: zyn ook daeromme wel rypelicken geresolvoers ende gessoten, dat wy tot geenen Religionsdwang, in 't kleyn noch in 't groot, noch tot eenige statuten ofte decreten daer berstreckende, aen te nemen, souden verstaen willen. Waer deur of wel eenigheit der liberteyt in eenen waeren gelove gesocht wordt: nochtans wetende, dat rechte eenigheit niet en kan in dwang bestaen: en versocht hebbende dat deur sodanige eenigheids, liberteyt gevonden is, om de menschen, sonder weder spreken te volgen genodigt zynde, in alle Barbarischer onwetenheit te voeren. Post quaedam alia: Wy hebben ons, met recht vindicerende ende ontreckende der Spaenscher wreedigheit te samen verbonden: Liever waer toe? Is 't om eenige particuliere Religie alleen te foveren, te beweren en in vryheit te besitten? Alle die in 't stuk van Regeeringe met eenig aanmercken verkeert hebben, weten dattet eerste vier onses elendigen brants, met bet branden, blaken, ende wurgen der ketteren aengestecken is. Hier hebben wy ons niet tegen geset, als dat sy geen ketters

en waren: maer wy hebben gesuffincert, dat de ket-
 teren, ende met namen de Wederdoperen ende Sa-
 cramenters, soo wy die doen ter tydt selfs genoemt
 hebben, niet en behoorden met sulcke manieren, als
 na 't advys der Ecclesiastiken, volgende de bloedige
 Placaten, getraecteert te worden. Praeterea addunt:
 maar ten lesten heeft de goadertierene Godt in deser
 Provincie vryheidt gegeven, en ons gesterckt, dat wy
 tegen den vyandt tot noch toe het landt behouden heb-
 ben. Die ons hier toe geholpen hebben: die haer lyf
 en leven by ons gewaeght hebben; die op onse poort-
 ten, vesten, of waer 't van doen was, als mylten ge-
 arbeydt en met Leeuwen berten gestaen hebben, dat
 en zyn niet al te mael kryden van eender gesintheit:
 maer veel zyn daer onder geweest, die nu sommige
 (de welke het weynigste by ons opgezet hebben) gaer-
 ne souden, als 't schynt, benauwt sien. Egregie vero
 ratiocinantur, dicentes: Ende wy en vinden geen
 maght, waer uit wy straffelick tegens die procederen
 souden, die, haer in baren burgerlicken handel en
 wandel niet anders als eerbaerlicken hem met ons te
 dragen, bevonden worden. Wy kunnen oock niet an-
 ders verstaen, als dat het tot conservatien der poli-
 tien beter is, dat een vegelycke syn opinie in 't par-
 ticulier behoudende, wy alle gelyck vereenigt blyven,
 om de gemeene saecke te bevorderen, daer toe dan een
 yegellicken, 't sy met contributie, ofte anders, soo veel
 te williger en van herten geneyghder sal bevonden
 worden, als by siet, dat het om vryheit der conscien-
 tie te doen is, dat het hen selfs aengaet, dat hem de

Beul

Beul van de neck geweerts sal worden: dan dat wy deur gedwongene eenigheit, met veel nieuwe decreten, en scherpe Placaten, met schelden en ketteren onsen nabueren en verwanten, ja mogelick de vrouwen in onse armen, de kinderen van onsen eygen bloede, wy swygen de luyden van onse burgerfchap, daer over wy als Vaderen gestelt zyn, verbitteren, tot onsen haet verwecken, en afkeerig van ons maecken souden. Et pag. 117. ita pergunt Amplissimi Proceres: Voorwaer dewyl der geloovigen het minste deel op ter aerden wesen sal, na 't woordt des Heeren, dat niet faileeren kan; soo kunnen wy ons qualick inbeelden, dat met eenigh gedrang, oft toedoen des maghts van de Overigheit (derwelcker authoriteyt men hier in 't abuseeren i' allen tyden geponght heeft) geheel de geunierde Provintien, soude Christenen gemaect mogen worden: maer, wel onder den naem van Christenen, een weêrelt vol boose buychelaers, daer deur den grooten naem onses Heeren gelasterd: sy zelfs niet te beter, dan wel soo veel te arger worden souden, als 't beter is, voor een ongeloovig mensch, als voor een buychelaer uittegaen: ende de gemeente soude van een werelt der quaetwilligen vervolght worden.

Ignoscite, Commilitones humanissimi! quod tam proluxe haec verba Procerum Lugdunensium Vobis et quidem patrio sermone enarraverim. Cautius hoc iudicavi, quam ut latine ea reddidissim, ne malevoli cavillari possint, me Procerum mentem non satis accurate expressisse. Plura etiam de Conciliorum et Synodorum

abufu hac Prudentium Virorum Cohortatione continentur, quæ autem suo loco in posterum de Synodorum auctoritate acturus proferam.

Tantopere vero me delectat foecundissima, quam tractandam sumsi, Tolerantiae Religionum Civilis materia, ut translaticia opera eam absolvere, in libera nostra Republica, cujus robur ac fundamentum in ipsa hac Tolerantia consistit, piaculum duxerim. Saltem ipsi Praepotentes et Illustrissimi Reipublicae nostrae Foederatae Ordines Generales D. 1. Octobr. A. MDCXI. Regi Magnae Britanniae declararunt, se ob hanc praecipue, causam Libertatis Religionis bellum, contra Hispanos suscepisse, *Dat in specie*; inquit, *de eerste en principaelste reden van het neemen en houden der voorsyden Resolutie, de voorsyde Tyrannie over de Conscientie, lichamen en goederen, door het invoeren van de Inquisitie en de DWANG TOT DE RELIGIE geweest is.* Veniam quoque mihi facile dabit, si vestros animos ad memoriam prudentissimi et memoratu dignissimi responsi, quod a laudatissimis Reipublicae nostrae Foederatae Ordinibus Generalibus anno MDCCXXV. *Veneti* tulerunt, comiter revocavero; nostis quippe, Venetos per Legatum suum Praepotentes DD. Ordines rogasse, ut hi *Jansenistas* Ultrajectenses ad obedientiam Pontifici Romano, tamquam Capiti Ecclesiae repraesentativo, praestandam redigerent: at illi responderunt, se tolerare omnes Religiones et unam contra alterius oppressionem tueri. Digna omnino responsio est, quam pro illustranda hac Tolerantiae Civilis

ma-

materia Vobis quoad praecipua capita praelegam. Invenitur ea in *Hedendaagsche Historie of Tegenwoordige Staat der Vereenigde Nederlanden XI. Deel* blz. 59. en 60. Ubi verba ita audiunt: *In Godsdienstige zaaken en die de Kerkenugt betreffen, moet, zeydenze, de overruiging alteen plaats hebben, zonder den minsten dwang. 't Staats elk vry, in zaaken van Godsdienst, te geloven, 't geene by oordeelt bekwaam te zyn, om de zaligheid te verwerven. Wy oordeelen, vervolgdente, dat onze Godsdienst de beste is, en wy wenschten, dat alle onze onderdanen zig 'er aan onderwierpen; maar wy willen niemand daartoe dwingen. Elk belyde zodanigen Godsdienst, als by den besten oordeelt; mids dat by zig maar als een goed en getrouw onderdaan gedraage. Op deezzen voet, gedoogen wy de Roomsche-Katbolyken, zonder ons met hunne byzondere geschillen te bekreunen. Wy konnen ons gezag, volgens de ONVERBREEKELYKE GRONDWETTEN VAN ONS GE-MEENEBEST, niet gebruiken, om die geschillen te beslegten. - - - Wy zyn verpligt, de eene party, zo wel als de andere, tegen de vervolging te beschermen.* Plenius hanc moderatam prudentissimamque Ordinum Reipublicae nostrae responsionem recensuit J. WAGENAAR in *Vaderlandsche Historie XIX. Deel. LXXIII. Boek. bladz. 82. en 83.* Hasce igitur constitutiones Reipublicae nostrae fundamentales, hosce patrios mores, hanc Religionum libertatem et Civilem earundem Tolerantiam, haec 'felicis Reipublicae nostrae stabilimenta perquisitus mecum pensitetis,

et ideo tamquam liberi Belgae et ingenui Cives, immo ceu humaniores Juris Naturae cultores abhorreatis ab omnibus, quocunque etiam nomine veniant, diris Religionum persecutionibus.

Interea immensam veneror DEI sapientiam, quod in hoc Universo tam admirabilem ubique constituerit moralitatis Ordinem. Unica quippe vera Religio Civili diversarum Religionum Tolerantia promovetur ac magis magisque excolitur; vi autem quoad diversas Religiones adhibita subvertitur veritatem inquirendi Libertas; hac autem subversa brevi tempore tollitur Rationalis Religio et mascula pietas: eadem quoque Religionum Libertate et Tolerantia earundem Civili salus et tranquillitas Reipublicae obtinetur; at persecutionibus, quaecunque etiam illae sint, etiam levissimae, et ipsae quoque *poenales* heterodoxorum librorum censurae, de quibus alio tempore plura dicam, hisce, inquam, persecutionibus in Religionum Libertatem intentatis, optimus et Reipublicae et ipsius Religionis finis sufflaminatur. Non solum igitur prudentis Politici, sed et pii Theologi est, in Religione quoscunque dissentientes aequo animo et amice tolerare. Et qui contra agunt, nae! isti et DEO et Reipublicae injuriam inferunt.

Quid enim? Si innocui homines, qui, quamvis tranquille vivant, ob id tamen solum, quod Religiosi sunt sive quod in causa Religionis non alienum, sed, prout par est, mentis suae iudicium unice sequuntur, ob id,

in-

inquam; solam, et hoc plus quam barbaricum est; inquietantur, contemnuntur et coercentur; nonne abhorrebunt ab ejusmodi inhumana et atroci societate? Et sic cum uxoribus, liberis, familiis, amicis, divitiis emigrabunt in alienas terras, ubi liberum erit Religionis suae exercitium? Hoc igitur modo non tantum Regioni, sed et ipsi Religioni pessime consulitur. Etenim exules mentem non mutant, sed inveteratam Religionem majori potius ardore excolere et propagare student, ut exilii sui innocentiam aliis apertius ostendant. Et sic Religio ista tantum loco mutatur; quid vero DEI, terrarum Domini, interest, num heic vel alibi ita colatur? At etiam dissentientes, Tolerantiae Civilis osiores, inquit: Republicae tamen interesse, ut haeretici, quos putant, expellantur, ne scilicet justa DEI judicia ob injuriam ab ejusmodi hominibus DEO illatam perferant tota Civitas, suaeque negligentiae, conniventiae et fœcordiae poenas Divinas luat gravissimas. Verum enim vero hanc speciosam quorundam Theologorum objectionem, ex statu et indole Republicae Judaëorum Theocraticae desumptam et ad nostrum statum civilem perperam applicatam, alio tempore refutabo plenius.

Id unicum hoc loco in antecessum moneo, quod DEUS neminem, nisi Juri Naturae transgressorem puniat: jam autem nulli mortalium jus competit perfectum in alterius Religionem. Ergo omnis persecutio humana ob erroneam et licet etiam falsissimam Religionem Juri Naturae, quod inter homines obtinet, plane adversatur. Sin igitur justa DEI judicia metuantur in Civitate, pro-

fecto metuenda illa sunt ob Religionum, quamvis falsissimarum, persecutiones, quae omnes, qualescunque etiam illae sint, tamquam iniustae haberi debent, utpote juri Aequalitatis et Libertatis, cuique homini in Religione perfecte competenti, vehementer repugnantes. DEUS vero punit Civitatem unice ob delicta Civitatis seu Univerforum, sed neutquam, quod bene notandum est, ob delicta singulorum in universate. Hoc non capiunt, qui, licet morum Magistri sibi videantur, in nostra autem sanctiore Juris Naturae disciplina parum sunt versati, sed tamen nihilo minus verissimum manet. Delictum vero Civitatis, et hoc iterum probe attendatis velim, nequaquam est *Tolerantia*, sed quam maxime ipsa Religionum *Intolerantia*; nam per intolerantiam Religionum *Civilem* ipsa graviter peccat Civitas, quod jura infringat singulis per Naturam Divinitus concessa. Arcem igitur DEI invadit humana Civitas per hanc intolerantiam. Nec haec intolerantia Religionum Civilis est leve quoddam Civitatis delictum, sed profecto inter horrenda universitatis peccata recenseri debet, quoniam per hanc intolerantiam ipse Princeps rebellis fit in Ordine Univerfi seu Civitate DEI, in qua aequae, ac ceteri homines sui aequales, subditus est: Princeps praeterea per hanc intolerantiam ex Patriae Patre in hostem generis humani degenerat, atque Vicariatum DEI, nemini mortalium concessum, sibi temere tribuit per vim et crudelitatem, quae DEO placere nequeunt; DEO quippe nihil placet, quod Legibus Naturae repugnat.

Econ-

E. contrario Tolerantia *Civilis* quarumcunque Religionum, fini Reipublicae haud contrariarum, Legibus Naturae apprime congruit; ideoque DEUS, Auctor Naturae, ob hanc Tolerantiam, quae Juris Naturalis est, Civitatem nunquam puniet. Ejusmodi insulfae et in ipsum, DEUM injuriae hypotheses quorundam Theologorum potius ex supina Juris Naturae ignorantia fluunt, quae a prudentioribus Politicis cautius sunt vitandae, ne iterum magnis passibus in crassimum regrediamur Paparum. Singuli equidem peccant, qui falsam amplectuntur Religionem, sed hoc non est delictum Universitatis in Civitate, nisi quatenus Civitatis Rectores non recta adhibuerint media, ad veram perveniendi Religionem et sic universi cum singulis delictum communicaverint: ubi vero nulla est delicti communio, ibi quoque nulla poenae communicatio locum habebit; delicta enim, sane in foro DEI justissimo, semper suos tenent Auctores, nec ulterius progredietur poena Divina, quam delictum reperitur humanum. Delictum vero nullum consistit in aequa Religionum Tolerantia, sed potius ad hanc Tolerantiam Civitas ipso jure Naturae et sic per ipsam DEI sanctissimam Voluntatem obligatur; quis autem, si sapiat, unquam dixerit, DEUM punire Civitatem sive universitatem in Civitate, quod juri Naturae Voluntatique Divinae convenienter egerit? DEUS utique jus habet perfectum, puniendi singulos ob falsam Religionem, sed singulos in suis individuis ideo puniet, non vero universos seu ipsam Civitatem humanam; singulos autem dum DEUS in Civitate Divina adhuc benigne tolerat, quaenam, obsecro, ratio esse possit, ut

homo, imbecillis creatura, in jura Majestatica Divina invaderet? Numne potius in Civitate humana verendum est, ne summum illud Numen injustam Religionum persecutionem ulciscatur, quod hominum arrogantissimi sibi tribuant, quae uni DEO relinquenda sunt, ipsamque Civitatem, quae Religiones singulorum non tolerat, quas tamen DEUS Jure Naturae inter homines tolerari jubet, ceu laesae Majestatis Divinae ream, aliquando graviter puniat.

Hanc materiam ut plenius intelligatis, ubique ex disciplina Juris Naturae momentosam illam de *communicatione poenarum* doctrinam profundius intelligere debetis, quam egregie, si non nulla emendemus, explicavit magnus nostras *Grocius* de J. B. et P. L. II. Cap. XXI. Ut adeo nunc iterum inde constet, quam necessaria sit Theologis exasciatio Jurisprudentiae Naturalis cultura, ut de peccatis, quae *Landszonden* vocant, profundius differere discant, et ne aliquando publice in Civitate humana iniquius taxent moderatiores prudentissimorum Civitatis Rectorum mores in tolerandis diversorum Religionibus.

Nec est, quod ex Republica Hebraeorum Theocratica argumenta petant ad gubernandas septem Belgarum Civitates; nam apud Hebraeos DEUS erat peculiaris Princeps eorundem Reipublicae, qui ex suo imperio singulares easque positivas hac de re promulgaverat Leges: haec proinde ex speciali DEI mandato executioni dare

debebant Rectores illius Theocratiae. *Intelligitis animi,* inquit Vir Summus; *Gerardus Nodde* in saepe laudatâ Orat. de Rel. ab imp. jur. Gent. lib. *intelligitis,* ait; *legum opportunitates ac poenas non Natura, sed publica utilitate; distingui: nec utique, quae Hebraeis utiles fuere, nostris moribus convenire. Magis expectatis, vobis demonstrari, cur poenam idololatriae, quam apud alios populos ab injustitia non libero, ea apud Hebraeos absolvam; id enim quo plerumque vincam objectae vim difficultatis, adhuc demonstrandum restat. Quid autem facilius? intelligentibus, non eam quae in Hebraeis fuit, aliorum rationem esse: quia quae Hebraeis forma imperii fuit, aliorum non est. An est tanta alicujus Reipublicae fortuna, ut Principem habeat DEUM? Agnoscimus eum orbis Dominum, et humana generi societate rationis imperare, sed cui scriptas leges ac civilia jura ponat, constituta pacto civitate, quem populum indigites? Fuit tamen hanc Hebraeorum gloria, ut eos DEUS suo foedere atque imperio dignaretur, dum ei fidem servarent juris Religionisque formam: in quam interprete Mose, consenserant. Hoc tam insigni publici juris capite continebatur communis omnium spes atque salus: hoc vivebat, hoc valebat, populus: hoc quis quis invito mutaret DEO; quid aliud agebat, quam ut imminueret REIPUBLICAE MAJESTATEM? Dum spiritum imperii, quo cederebat et regebatur CIVILE corpus, sciens dolo malo abrumperet, seque alii, quam qui legibus Princeps erat, nova su-*

per-

perfitione subjiceret. Audistis; AA. cum Hebraei indolem Reipublicae, tum caussam, qua subnixam fuit lex de punienda morte idololatria. Quam si quis nobis aut aliis aptes populis, qui diversa utuntur imperii forma: nonne eum pro infano ad agnatos remittendum esse, optimo dicamus jure?

Haec ita egregie edixit *Noodtius*, cui magno Jurisconsulto si Theologum adjungere vultis, evolvatis quae-
 so, *Venerandi Jo. Spencersi tractatum de Legibus Hebraeorum ritualibus*, qui, licet non omnibus aequè placeat, hac tamen in re maxime audiendus est; is vero in *Dissert. De Theocratia Judaica* cap. VI. pag. m. 254. Edit. Tubing. cur. Cl. *Pfaff* ita scripsit: *DEI regimen idololatriae non parum obstitit, quatenus ipse, jure Regio usus, leges tulit Deut. cap. XIII. vs. 6. 7. 8. et 9. et cap. XVII. vs. 2. 3. 4. et 5. de idololatriis morte mulctandis, utpote rebellibus et Majestatis imminutae manifestis. Inter leges eas locum haud obscurum tenet lex ea, qua praecipit DEUS, ut, Civitatis alicujus incolis idololatriae compertis, homines et bestias omnes interficerent Israëlitae, Civitatem ipsam cum bonis omnibus in cineres redigerent, nec urbem illam unquam instaurarent, Deut. cap. XIII. vs. 16. E legibus hiscè perperam colligitur, quod nobis etiam in idololatrias et haereticos ferro et flamma saevire liceat; nam manifestum est omnibus, nisi quos Ζηλος πικρος (Jacobi cap. III. vs. 14. invidia amara, ex versione Theod. Bezae) occaecavit, Israëlitae le-
 ges*

ges illas a DEO accepisse, non quatenus Jehovah, sed quatenus Jehovah Stator esset et inter eos, instar Regis Politici, modo visibili et externo versaretur.

Sublata igitur jam Theocratia cessant istius modi Leges, quae formam Reipublicae Hebraeorum respiciebant; et hisce antiquatis non aliae, nisi Divinae Leges Naturae in gubernanda Religione hodie amplius locum habere possunt. Faxit DEUS, Juris Naturae, quod defendimus, Auctor! ut hae aequissimae et sanctissimae Leges Naturae ubique terrarum reverenter observentur, tunc enim Civitates quoad singulorum Religiones multo fient *tolerantiores* et per Tolerantiam erga singulos, etiam humaniores. Sic demum inter Gentes vigeant Leges *Humanitatis*; et plus valebunt cultissimi mores, quam *intolerantes* Leges Civiles et Canonicae.

LECTIO IX.

*De varia haereseos significatione ejusque
injustissima poena.*

Quid haeresis sit? definire molestum et tradere periculosum est; haeresis quippe et orthodoxia sunt opposita; oppositorum autem eadem est scientia. Ergo, ut, quid haeresis sit, sciamus, prius definiendum esset, quid sit orthodoxia; hoc autem accurate definire velle, res aequae ardua et periculi plena est; quando enim de orthodoxia quaestio est, cuique sua Religio optima videtur, ut quae plerumque non ratione, sed affectu determinatur. Quilibet igitur in sua Religione sibi orthodoxiam antea definiat, necesse est, ut sciat, quid ipsi haeresis sit. Quilibet autem jure Naturae *externo*, vi libertatis Naturalis cuiusvis competentis, est liber arbiter suae orthodoxiae, nec iudicium orthodoxiae in alium sive Principem sive Ecclesiam transferre potest, sed quilibet tenetur, in definienda orthodoxia suum, et non alienum iudicium sequi. Unde consequitur, quemlibet etiam jus habere, omnes ab orthodoxia sua dissentientes tamquam haereticos reputandi. At vero dissentientes eodem jure Libertatis Naturalis gaudent, orthodoxum, qui sibi ita videtur, tamquam ab eorundem orthodoxia quoque dissentientem ceu haereticum habendi. Veruntamen hoc jus haereticandi, quod bene notandum est, solummodo est jus

Na-

Naturae *internum* nullumque effectum inter homines *externum* producere potest.

Sic res quidem satis in tuto erit; at! at! non ita humaniter haeretices cum haeticis, quos putant, orthodoxiae suae causam instituunt, sed vi quadam, absque haeticorum voluntate et absque ullo in orthodoxos, qui sibi ita putant, translato orthodoxiae jure, jus Naturae *internum* in *externum* jus mira metamorphosi transmutant: quo sane jure, quod sibi vindicant orthodoxi, nihil est injustius. Etenim ex jure Naturae omnes, ut spero, satis nostis, aliam esse obligationem ad aliorum *perfectionem* promovendam, aliam autem esse obligationem, ne alios *imperfectiores* reddamus, Quisque ex lege Naturae obligatur, ut suam perfectionem quaerat; hoc fieri nequit, nisi secundum Legem Naturae vivamus et veram Religionem excolamus.

Quilibet praeterea Lege Naturae tenetur, non modo suam, sed et aliorum perfectionem promovere, quantum id citra neglectum officiorum erga se ipsum fieri potest. Haec obligatio ad perficiendos alios, quatenus ex *lege Naturae* venit, est quidem *perfecta*, et inde etiam jus competit eo modo agendi, quo optime huic nostrae obligationi satisfacere queamus; sed ideo tamen alter non tenetur, ut suas actiones secundum nostram voluntatem dirigat, nisi quatenus invenerit, nostrae consilia nostrosque conatus ejus commodis et verae ejusdem felicitati inservire, cum aequè alter eadem lege Naturae obligetur, ut suam perfectionem quaerat et aliorum

rum quoque perfectionem promoveat. Alter igitur aequo jure postulabit, ut nos in promovenda perfectione secundum ipsius voluntatem agamus. Ergo respectu *juris agendi*, *uni adversus alterum* competentis, quilibet est liber arbiter actionum suarum, quoniam quilibet secundum Legem Naturae tenetur, ut suum et non alienum judicium in promovenda propria sua perfectione sequatur. Nemini itaque jus competere potest *cogendi* alios, ut alii ex alterius voluntate perfectionem suam aestiment. Pro hac igitur rerum moralium facie quilibet, scientia juris Naturae instructus, facile perspiciet, omne jus, quod uni in alterius Religionem, qua quisque suam perfectionem quaerit, unquam competere potest, esse tantum jus *internum, imperfectum* et ab omni jure *cogendi* denudatum; idoque consistit tantum in jure precandi, adhortandi, suadendi, consilia suppeditandi, docendi et quae sunt similia. *Singulis* hoc jus competit, quoniam singuli Lege Naturae tenentur, aliorum perfectionem, quantum in sua potestate est, promovendi. Hoc exercitium juris autem sive singuli in Principem, sive in Ecclesiam transtulerint, manebit tamen jus internum et imperfectum, quoniam quilibet Lege Naturae obligatur, ut suum et non alienum judicium in re animi sequatur. Et quamvis singuli hoc jus promovendi aliorum perfectionem per veram Religionem in Principem aut in Ecclesiam transtulissent; non inde tamen, singuli ab obligatione sua Naturali, quae immutabilis est, quoniam ex lege Naturae venit, perficiendi scilicet alios per veram Religionem, sese liberare potuerunt. Ergo si Princeps
 aut

aut Ecclesia forsan ex translatõ juris exercitio, quod singulis competeat, non recta media instituant, promovendi aliorum perfectionem per veram Religionem: singuli tum adhuc per Legem Naturæ immutabilem obligantur, Principi aut Ecclesiæ meliora suppeditare consilia. Et neutri, neque Principi neque Ecclesiæ, ideo jus cogendi competere potest contra singulos, nec etiam singulis contra Principem aut Ecclesiam. Nam licet homines ex obligatione naturali, se conjunctis viribus perficendi, rectius judicaverint, in societatem transire sive Civilem sive Ecclesiasticam, et singuli jus determinandi media in universos aut etiam quosdam, nominatim ideo electos, transfulerint: manebit tamen hoc exercitium juris *imperfecti*, quod in promovenda aliorum perfectione consistit atque ex obligatione contracta fluit, a qua quis per translationem juris sui vel potius exercitii juris sui in alium se liberare non valet. Haec itaque sunt jura, quae ex obligatione *perficiendi* alios fluunt, quaeque semper respectu aliorum sunt *imperfecta*.

At longe alia est rerum facies quoad obligationem Naturalem, ne alios *imperfectiores* reddamus; quilibet enim Lege Naturæ jus *perfectum* habet non patiendi, ut alter eum *laedas* seu *imperfectiorem* reddat; ideoque cuilibet competit jus resistendi illis, qui laesionem ipsi intentant sive qui eum aut statum ejus *imperfectiorem* reddere conantur. Imperfectior autem status meus *internus* redditur, si obligationi meae naturali non satisfaciam: *judicium vero de statu meo interno perficien-*

K

do

do penes me ipsum est, non penes alium. Ergo si quis me impedit, quo minus meam perfectionem consequar, is me imperfectiorem reddere conatur, dum mihi denegat jus Libertatis meae Naturalis et me privat perfectione, quam per usum facultatum animae meae absque ulla alterius laesione habere possem. Nemo autem tenetur pati, immo nec unquam debet pati, ut alius eum impediatur, quo minus obligationi suae Naturali satisfaciat, ne quispiam facto suo ab obligatione immutabili se liberare velle videatur, a qua tamen per Legem Naturae divinam se nunquam liberari valebit. Hinc quoad Religionem quilibet tenetur, suum et non alienum iudicium sequi; ideoque quilibet Lege Naturae immutabili obligatur, suam propriam orthodoxiam determinare, nec quisquam vi Legis Naturae in definienda orthodoxia aut Principis aut Ecclesiae iudicium salva conscientia sequi potest, sed quilibet *jus* habet, quamvis saepius *potentia physica* deficiat, non deficit tamen *facultas moralis*, quilibet igitur, inquam, per Legem Naturae jus habet, fortissime resistendi omnibus, qui orthodoxiam ipsi obrudere volunt, sub comminatione imputandi ceteroquin *criminis* haereseos aut *poenae* cujusdam humanae infligendae. Hoc enim jus non patiendi, ut alter nos *imperfectiores* reddat, aut impediatur, quo minus satisfaciendo Legi Naturae, nostram quaeramus perfectionem, hoc inquam, jus est *perfectum*, ita ut alter, sive Princeps sit sive tota etiam Ecclesia, inde *perfecte* obligetur, ne inde ullum nobis praejudicium faciat aut qualemcunque inferat laesionem.

Hacc

Haec genuina et solidissima juris Naturae principia, ut obiter hoc addam, si tam Jureconsulti, quam Theologi rectius didicissent, tunc sanè illorum nemo tam confusas Juris Ecclesiastici Protestantium universalis notiones aliis insinuare ausus fuisset, quales in posterum vobis suo loco clarius proponam. Quid autem Vos, qui jam solidiora juris Naturae principia affluentius hausistis, nunc de *haeresi* cogitatis? Ego illam tamquam monstruosam deformis Ecclesiae *repraesentativae* filiam limis aspicio oculis et albis dentibus derideo, mecumque deridebunt aut, prout cujusque animus fert, deplorabunt alii, juris Naturae periti. Ita quoque olim de haereticis liberius judicavit *Salvianus de Gubernat.* DEI, Lib. V. ubi ait: *Apud nos sunt haeretici, apud se non sunt. Nam in tantum Catholicos se esse judicant, ut nos ipsos titulo haereticarum appellationis infament. Quod ergo illi nobis sunt, hoc nos illis.* Immo hisce *Salviani* dictis nihil est verius, cum in definienda orthodoxia et sic quoque in *haeretificandis* aliis omnes, non solum qualescunque Ecclesiae, sed et singuli divisim spectati, aequali inter se jure gaudeant. Hisce igitur generalioribus juris Naturae principiis praemissis, nunc de *haeresibus* paulo specialius agendum est. Ita vero hujus materiae tractationem instituam ut 1. de varia *haereseos significatione*, tum 2. de haeresi in sensu *Theologico*, et porro 3. de haeresi in sensu *Politico* agam; denique autem 4. disquiram: num et quales dentur *haereseos poenae*.

Ad primum itaque quod attinet, vox *haereseos* ae-

K 2

que

que in bonam, quam malam partem sumitur. *Intio*, inquit *Nolsenius* in *Lex. antibarb.* pag. 658. in fin. *baeresis erat laudis, sed consuetudine loquendi in vitio poni coepit.* Sic quondam apud Ictos pro *opinionem quadam singulari* accipiebatur. Ita *Proculiani* et *Sabiniani* in Jurisprudencia *baeretici* erant. Sic quoque Ictus *Modestinus* in L. 6. §. 2. ff. *de excusat.* ait, in unaquaque Civitate esse numerum Rhetorum et *baereses quasdam lege propositas.* Ubi *Dionysius Gotbolfredus* in notis taxavit *Accursium* glossatorem, quod per *baereses* intellexerit *divisiones civitatum*; potius per *baereses lege propositas* intelligendas putarem sectas philosophorum decreto ordinis sive *Lege* probatas; Rhetores enim apud Romanos erant Professores liberalium artium et *baereses* erant diversae sectae Professorum philosophiae, quae, dum *lege* probantur, utique in bono sensu *baereses* ita dicebantur absque ulla alicujus opprobrii formidine.

Similiter in Theologia tam in bonam, quam in malam partem *baeresis* accipitur; nam sectam quandam, sive singularem quorundam opinionem denotat V. gr. *Actor.* V. vs. 17. dicitur *αἵρεσις των Σαδδουκαίων*, et *Actor.* cap. XV. vs. 5. Phariseorum secta itidem *αἵρεσις των Φαρισαίων* nuncupatur; hanc autem Phariseorum sectam ipse Apostolus *Paulus* *Actor.* cap. XXVI. vs. 5. *την ἀκριβεστατην αἵρεσιν accuratissimam* sive *exquisitissimam baeresin* vocat, haud dubie, quin in bonam partem ita dixerit Apostolus. Aliquando etiam in sensu *indifferente* sumitur, utpote, cum Judaei doctrinam Christiano-

tura

rum τὴν ἀρετὴν τῶν Ναζωραίων nuncuparent, ipse *Paulus* confitetur, quod secundum viam illam, quam ἀρετὴν vocant, coleret DEUM, prout patet ex *act. Apost.* cap. XXIV. vs. 5. et 14. Ex hisce vero liquet, vocem *baereseos* antiquitus saepe absque ullo opprobrii vitio usurpatam fuisse. Et hoc sensu V. gr. in nostra Reformata Religione *baereses Voetianorum* et *Coccejanorum* nominare liceret. At non semper vocabulum *baereseos* in bonam intelligitur partem, sed in *malam* partem usurpatur 1 *Cor.* XI. vs. 19. ubi dicitur: oportet inter vos *baereses* esse, quo qui probati sunt, manifesti fiant inter vos. Sic etiam in *malam* partem *baeresis* sumitur *Galat.* V. vs. 20. ubi Paulus inter opera carnis quoque *baereses* recenset. Et Apostolus *Paulus Tito* suadet in *Epist. ad Tit.* cap. III. vs. 9. ut ἀρετῶν ἀνδραγῶν post unam vel alteram admonitionem fugeret. Ex hisce satis apparet, vocem *baereseos* nihil aliud denotare, quam sectam aut singularem opinionem, quae communi aut vulgari opinioni opponeretur; haec itaque *baeresis* si veritate et virtute niteretur, utique per se *bona* erat; sin autem variis et vagis opinionibus niteretur, utique *mala* tunc haeresis erit.

Paulo tamen aliter apud Germanos Belgasque usitata vox *Ketzzer* sive *Ketter* sumitur; nam haec vox cum demum saeculo XII. in usum venerit, mirum non est, quod semper in *malam* partem accipiatur et ejus imputatio cum infami ignominia conjunctum sit. De origine autem hujus vocis *Ketter* dignus est, qui legatur *Gundlingius* in *Gundlingianis* Part. II. art. VI. Non

nulli vocem *Ketter* derivant a Graeco vocabulo *καταρεσ* mutato * in e, et sic *καταρεσ* sive *Ketter* significaret quasi *purum* a vulgaribus orthodoxiae praëjudiciis, ideoque in hoc significatu nomen *Ketter* admodum gloriosum foret. Veruntamen cum *Gundlingius* cit. loc. jam satis ostenderit, hoc vocabulum ex media barbarie esse desumptum, ubi Graeca non legebantur et praeterea maxima cum gloria habebatur, coeque credere, quicquid Clerus edixerat: hinc minime probabile est, tam gloriosam voci *Ketter* ex graeco vocabulo *καταρεσ* sive *καταρεσος* originem deberi. Potius missis ejusmodi deliciis rem ipsam examinabimus.

Secundo itaque loco inquirendum est, qua ratione haeresis in sensu *Theologico* accipiatur. Et in hoc sensu Pontificii iterum a Protestantibus multum inter se discrepant. Pontificii enim Ecclesiam infallibilem statuunt eique vim *Quonversivam* tribuunt; in Ecclesia autem *hierarchiam* fingunt, cui brachium spirituale adscribunt, quo omnes Laicos ad coecam obedientiam Clero praestandam adigunt, ut pro articulis fidei agnoscere debeant, quos Romana Ecclesia stabilivit: hinc omnes haereticorum numero accensent, qui dissentiant ab articulis fidei, in eorundem Ecclesia a Pontificibus maximis aut a Conciliis stabilitis. Ideoque in Jure Canonico per *Can. Haeresis 27. causa. 24. quaest. 3* haeresis dicitur graece ab *electione*, quod scilicet eam sibi unusquisque eligat Religionem, quam putat esse meliorem. Haec haeresis igitur tanto majus Pontificiis crimen est, quanto magis Majestas Divina Majestatem humanam superat. Vicariatum autem DEI Pontifex ma-

ximus aut Clerus in Conciliis sibi tribuit; quamobrem, qui hujus Ecclesiae summam et Divinam auctoritatem non agnoscit, is apud Pontificios crimen laesae Majestatis Divinae perpetrare videtur. Et quoniam Pontifex Rom. aut Clerus in Conciliis vicarios DEI agunt in hisce terris; hinc et jus puniendi haeresin, quod DEO competit, sibi arrogant, omnemque haeresin tamquam gravissimum et atrocissimum crimen coercent. At quia jus puniendi ultra territorium sive extra Civitatem non extenditur; hinc ad suum dominatum sacrum sive ad suam hierarchiam tantummodo referunt eos, qui semel per Baptismum intra Ecclesiam Christianam recepti sunt: hos tamquam subditos suos respiciunt. Ideoque nos Protestantes, qui baptizati sumus et tamen obedientiam Ecclesiae *repraesentativae* non praestamus, in sensu juris Pontificiorum Ecclesiastici multo pejores sumus haeretici, quam infideles Ethnici aut Turcae aut Judaei. Et quod hicce verus Juris Pontificiorum Ecclesiastici sensus sit, evidenter patet ex Cl. *Judovici Engel Collegio universi juris Canonici*, Lib. V. Tit. VII. ubi mentem Pontificiorum, ipse eorundem Religioni additus et in alma Universitate Salisburgenfi Juris Can. Professor Ord. latius explicavit.

Nec putetis, ejusmodi dogmata in solo Corpore Juris Canonici contineri; eadem enim Ecclesiae *repraesentativae* fundamenta ponuntur quoque in Codice *Juristinio*, ut scilicet nos Protestantes habeamus, cur de hujus *Utriusque Juris* titulo ex Papalls politices doctrina superbiamus. Sic in L. 2. §. 1. C. *de Haeretic.*

et *Manichaeis*, haereticorum vocabulo continentur, qui vel levi argumento a iudicio *Catholicae Religionis* et trames desecti fuerint deviare. Iudicium vera *Catholicae Religionis* et trames dicitur *orthodoxia* certis formulis per Clerum sive, si mavultis, per Patres Ecclesiae determinata et per modum Legis praescripta in Ecclesia dominante. Et qui huic fidei *formulariae* jugiter inhaerent, vocantur *Catholicae Legis et Religionis observatores* in L. 1. C. Eod. Hanc Legem Ecclesiae *repraesentativae* aut Clericorum sequentes Laici Christianorum Catholicorum nomen amplectebantur; reliqui autem, qui hanc *formulariam* fidem non sequebantur, tamquam dementes vesanisque homines, haeretici dogmatis infamiam sustinere non solum, sed et post motus animi, quem cum *Grasiano*, *Kalensiniano* et *Theodosio* Imperatoribus ex coelesti arbitrio sumsisse gloriabatur pius *Justinianus*, graviolem ultionem et vindictam pati debebant, per L. 1. §. 1. C. de *summa Trinit.*

At, nisi me omnia fallant, Protestantes Scripturam S. tamquam unicam fidei normam agnoscunt, nec *Θεοπνευστικῆς* Ecclesiae, multo minus non nullis tantum in Ecclesia, utpote solis Clericis adscribunt, ideoque nec Ecclesiam externam infallibilem statuunt, et per consequens nec jus decidendi controversias fidei ulli mortalium tribuunt, sed orone imperium in conscientias dampnant; quapropter et fidem *formulariam*, sive formulas fidei per Ecclesiam tantum pacis *externae* conservandae gratia determinatas, nemini per modum *Legis* obrudunt, sed cuique libertatem relinquant, eam Religionem amplecten-

stendi, quae sibi optima videbitur: prout haec Protestantium, saltem Reformatorem in Belgio nostro, sententias quoad jus eorundem Ecclesiasticum evidenter proposuerunt Patres Synodi Dordracenae, quos jam supra laudavi, in Orthodoxa Confessione, quae in *actis Synodi Dordr. Sess.* 146. habetur, ibique art. 7. 28. et 32. Ex quibus ego jam concludo, in sensu juris Ecclesiastici Protestantium nullam dari haeresin quoad effectum juris Naturae *externum* sive, quod idem est, haeresin non esse *crimen* inter homines in statu eorundem societatis Ecclesiasticae spectatos.

Equidem in Civitate DEI haeresis, etiam quatenus tantum error est in Religione vincibilis, utique crimen est, sed in hac Civitate DEI homo non est Legislator, nec iudex, sed omnes sumus subditi. DEO itaque soli circa haereses competit iudicium. Asserta enim jam in praecedentibus singulorum Libertate circa Religiones et asserta hominis connata et immutabili obligatione ad Religionem; sponte nunc inde fluit, nemini hominum, quantavis etiam sanctitate praedito, competere posse jus *perfectum*, determinandi alterius Religionem. Ubi vero hoc jus, definiendi alterius Religionem, cessat, ibi quoque nullum effectum juris externi habere potest orthodoxia, a singulis divisim aut ab Ecclesia conjunctim determinata, sed quisque manet inter homines liber arbiter suae Religionis, nec unquam propter obstantem cujusvis perpetuam et immutabilem Religionis obligationem connatam quaquam jus Religionis suae in alium transferre potest. Unde per se pater, omnes homines quoad Religionem

inter se *aequales* esse, ac proinde nec uni competere posse jus, quod non simul etiam competat alteri.

Jus igitur haeretificandi aut singulis aequaliter, aut nulli competit. Sin autem singulis hoc jus, haeretificandi alios, competat; tunc Ecclesiae, ex societate *aequali* singulorum compositae, conjunctim spectatae, non majus jus haeretificandi quempiam, competere potest, quam singulis, divisim consideratis, etiam jus competit, haeretificandi integram Ecclesiam. In hoc autem sensu haeresis nihil aliud est, quam declaratio dissensus alterius Religionis ab orthodoxia, quam quisque vi juris Libertatis sibi statuit. Non video igitur, quare libere sentire et dissentire in Religione non aequè licitum sit, quam in Philosophia aut aliis veritatum disciplinis; et si hoc licitum erit, quare tunc dissensus alterius a nostra orthodoxia magis *haeresis* audiat, quam dissensus alterius a nostro systemate philosophico. Haeresis in hoc sensu non infamat, nec quicquam infert, nisi quod cujusvis jus libertatis Religionis connatum secum fert. Immo cum haeresis a Graeco verbo *αἵρεσις* dicatur, quod *eligere* significat, haeticus nihil aliud denotat in sensu *Theologico generaliori*, quam hominem, qui in Religione *eclecticus* est. Cum itaque quisque in Religione secundum legem Naturae non alienum, sed proprium suum judicium sequi teneatur; hinc et quisque in hoc sensu *haeticus* sive *eclecticus* esse debet. Et prout *eclectici* sunt optimi philosophi, sic etiam *eclectici* sive *haetici* in hoc sano sensu sunt optimi Theologi, qui *ex libertate veterum Christianorum*, ut *Grotius* in *Proleg.*
de

de J. B. et P. §. 42. monuit, *veritatem sparsam per singulos, per sectasque diffusam in corpus colligere, id existimant nibil esse aliud, quam vere Christianam tradere disciplinam.*

Et haec, quae dixi, in sensu juris Ecclesiastici Protestantium universalis mihi equidem verissima videntur; Protestantes enim omnes S. Scripturam tamquam unicam fidei Christianae normam agnoscunt; nullamque proinde authenticam, sed solummodo doctrinalem S. Scripturae interpretationem admittunt; quapropter etiam Ecclesiam *repraesentativam* in causa fidei tamquam judicem revereri nequeunt. Ergo Protestantes determinatam per formulas fidei ab Ecclesia doctrinam tamquam normam fidei suscipere non possunt, sed *eclectici* in Religione fieri debent, ut formulariam fidem examinent, num et quatenus ea cum S. paginis conveniat, nec ne. Quod si jam post debitum examen invenerint, veritatem V. gr. Reformatorum formulis fidei propius accedere, quam Augustanae confessioni, ex suo proprio judicio Reformatam amplectuntur Religionem, non ob auctoritatem Ecclesiae aut dignitatem doctrinae cujusdam formulariae, sed *unice ob Divinitatem Sacrae Scripturae*. Sic etiam sese res habet, si quis forsan V. gr. Augustanam confessionem cum S. Scriptura magis convenire putaverit, quam Reformatorum fidem formulariam. Ut ita quilibet Protestantium, eclecticus sit oportet, qui summi proprium, et non ecclesiae judicium in determinanda sua Religione sequitur; ideoque nemo Protestantium plus juris, haereticandi alios, Ecclesiae adscribere potest, quam quis-

quisque sibi ipse tribuit. Et licet quis jam certae Ecclesiae externae membrum factus fuerit, non ideo tamen veritatem suae Religionis, Ecclesiae iudicio submittit, sed quilibet manet liber arbiter suae Religionis, ut discedere ab Ecclesia possit, cuius membrum jam factum est, si postea invenerit, quod se Ecclesiae quoad doctrinam falsae adsociaverit.

L E C T I O X.

Continuatio materiae *de varia haereseos significatione ejusque injustissima poena.*

Praecedenti Lectione docui, haeresin ex principiis Protestantium crimen esse non posse quoad jus Naturae externum, cum singulis hominibus, vi libertatis naturalis jus competat, determinandi orthodoxiam ex suo proprio iudicio, nec ullus mortalium iudicium Religionis in alterius arbitrium conferre possit aut debeat; id eoque auctoritas Ecclesiae hac in re non major sit, quam est auctoritas singulorum hominum pro suis individuis; omnes enim inter se aequales sunt. Sic v. gr. *Lutherus* et *Calvinus* sese ab Ecclesia *Pontificiorum* recte separarunt suamque Religionem ex proprio iudicio determinarunt; hoc autem facere non potuerunt, quae Ecclesiae Doctores; nam hoc respectu utique non aliam

nam ab Ecclesia, cujus membra erant, doctrinam proferre debebant; ergo tamquam singuli, divisim spectati, hoc jus habuerunt ex obligatione omnium hominum connata.

Unde ex hacce prima *Protestantismi* facie satis patet, Protestantes sibi et ipsis repugnare, si quandam Ecclesiae *repraesentativae* auctoritatem agnoscere vellent; nam si Ecclesia *repraesentativa* daretur, cui auctoritas puniendi haereticos competeret, tum et Ecclesiae Romanae competitivisset jus puniendi *Lutherum* et *Calvinum*, tamquam haereticos et schismaticos; quia tum iudicium hac de re penes ipsam Ecclesiam fuisset. *Lutherus* quippe et *Calvinus* tamquam singuli ab Ecclesia externa disjuncti, Ecclesiam amplius *repraesentare*, aut munus Ecclesiae Doctorum ex potestate Ecclesiastica subire non poterant, nisi cum Pontificiis somniamus characterem Clericorum esse indelebilem; at tum quoque obstarat poena degradationis, qua Clerici haeretici puniuntur. Nihil igitur superest, quam ut ingenue confiteamur, *Lutherum* et *Calvinum*, postquam ab Ecclesia Romana discesserunt, non amplius tamquam ab Ecclesia *ordinatos* Doctores spectari potuisse, sed fuisse *singulos*. Post discessum igitur ab Ecclesia Laici, et non amplius Clerici ordinati fuerunt. Unde facile suspicari poterimus, potestatem Sacerdotalem apud Protestantes nullam esse posse, nisi quatenus singuli sive Laici omnes in societatem Ecclesiasticam coeuntes hanc potestatem in eorundem Doctores transtulerunt. Non itaque plus juris Protestantium Ecclesiae Doctores habere possunt, quam
per

per societatem Ecclesiasticam in ipsos translatum est; ideoque jus definiendi haeresin non habent, sed docere debent secundum formulam fidei ab Ecclesia, in qua constituti sunt, ipsis praescriptam, quoniam sub hac conditione electi sunt, qua conditione non adimpleta, Ecclesia, qui eosdem elegit et constituit, iterum eos quoque dimittere potest.

Apud Protestantes proinde Ecclesia faciem Reipublicae neuiquam induit, sed est manetque societas *aequalis*, ubi singuli aequali jure gaudent, nec ulli jus in alterius actiones *externum* competit. Ergo nulla potestas leges ferendi, nullumque jus puniendi, Clericis aut Ecclesiae *repraesentativae* competere potest; sed quodcumque jus in Ecclesia obtinet, id omne constituitur per pactum Ecclesiasticae societatis, ideoque Jus Ecclesiasticum Protestantium est *mere pactitium*.

Et cum nullum jus externum Universae Ecclesiae in actiones singulorum quoad ipsam Religionem acquiri possit, dum quilibet ex obligatione sua connata immutabili libertatem Religionis sibi reservavit: hinc et nullum jus puniendi haeresin sive talem Ecclesiae socium, qui postea a recepta doctrina iterum recedit, Protestantium Ecclesiis ex propriis eorundem principiis, quibus Libertatem Religionis tuentur, unquam competere potest. Quod eo magis patet; quoniam haeresis, quamvis gravissima, non est laesio juris Ecclesiae perfecti, quod jus *perfectum* ecclesia quoad singulorum Religionem secundum ipsorum Protestantium principia habere nequit. Ubi vero

vero nulla est læsio, ibi nullum delictum inter homines, nullum per consequens jus puniendi.

In eo quippe, ni fallor, maxima datur, inter Pontificios et Protestantos differentia, quod illi Ecclesiam sibi repræsentent instar Reipublicæ sive societatis *inæqualis*, in qua jura imperantium essent penes Clericos, gloria autem obtemperandi relicta Laicis; at Protestantes Ecclesiam instar Reipublicæ non respiciunt, ubi inæqualitas jurium et obligationum inter Ecclesie socios obtineat, ut imperium seu jus perfectum Clericis aut Synodis et Conciliis seu universis competat in actiones singulorum, sed Protestantes omnes, nisi sibi met ipsis repugnare velint, Ecclesiam externam respicere debent tanquam societatem *æqualem*, ubi omnium sociorum eadem sunt jura, eademque omnibus incumbunt obligationes. Et hanc diversam Ecclesie notionem, unde diversa Pontificiorum et Protestantium juris Ecclesiastici systemata fluunt, probè contra aliorum præjudicia observandam esse jam recte monuit Cl. *Böehmerus* in *Jur. Eccles. Protest.* Tom. III. ibique in Dissert. praelim. de *Jure Liturgiarum Ecclesiastico* §. §. 66. et 67.

Ipsi Patres Ecclesie, immo et ipsi Protestantes tam ~~ut~~ quam Theologi, hanc diversam et Ecclesie et Reipublicæ seu societatis *æqualis* et *inæqualis* conditionem non satis attenderunt. Inter Patres Ecclesie hanc confusionem Ecclesie cum notione Reipublicæ illorum scripta satis commonstrant, prout in posterum, genuinam veræ Ecclesie notionem explicaturus, ostendam

dam prolixius. Et ne quis interea putet, id a me aut aliis Jureconsultis solo insultandi animo doceri, lubet in antecessum potius Theologi, quam Jurisconsulti sententiam proferre. Ita vero Cl. *Joh. Franc. Buddeus* in *Commentatione de Concordia Religionis Christianae Statusque Civilis*; cap. V. §: IX. Pates et primitivae Ecclesiae Scriptores notavit, quod convenientiam quandam inter Civitatem et Ecclesiam animo conceperint atque Civitatis nomine Ecclesiam insigniverint. *Eo securius autem*, inquit laudatus Theologus cit. loc.; *hisce formalis usi sunt, quod Philosophiae plerumque rudes non cogitarent, quae incommoda tandem ex hisce locutionibus oriri possent.* Deinde laborarunt plerique horum scriptorum vitio omnibus hominibus innato. *Spiritualia scilicet sub schemate rerum Civitatum sibi exhibere, admodum convenit ambitioni et philautiae hominum, quibus imperium, dominium; potestas, res admodum praeclearae videntur. Adeoque cum boni isti viri mundano non gauderent imperio, in Spiritualibus tamen, et Ecclesiasticis, ut imperium, Civitatem, similiaque cogitarent, facile se induci passi sunt. Quae in re cum incautius versarentur, effecerunt, ut Episcopi tandem, nihil aliud nisi imperium spirantes, ex pastoribus in principes; immo tyrannos et anticristos mutati sint.* *Nostrum ergo erat, recte monuit citatus moderatoris ingenii Theologus, ad divinarum litterarum et rectae rationis ductum hosce veterum errores emendare, non autem iis ad Sacrum istud imperium, Lutheri opera destructum, postliminio revocandum abusi.* Huic Theo-

Thèologo adhuc alterum, aequè moderatum ex *Lutheranis* Theologum adjungere poteritis, Celeberrimum videlicet *Pfaffium*, qui in *Originibus Jur. Eccles.* pag. 121. *Cypriani* dicta proposuit, quae, ipso fatente *Pfaffio*, aperte indicant, *semina imperii Ecclesiastici eo tempore jam improvide facta esse, ubi nempe potestas Sacerdotalis Veteris Testamenti ad ministros Novi Foederis tracta fuit.*

Hanc inconsiderantiam etiam non satis evitare videtur ceteroquin venerandus *Mosheimius* aut saltem ejus gener, *Cl. Windheimius*, qui in *algemeen kerk en regt der Protestanten*, quod nuper ex Germanica in Belgicam linguam translatum Ultrajecti prodit, ibique pag. 6. Ill. *Wolffii* *Juris Nat.* partem 8. et quidem cap. 1. §. 65. in Schol. allegavit, ubi *Wolffius* Hebraeorum Republicam per partes imperii summi *potentiales* quoad *sacra* et *profana* divisam proposuit, et ex hocce exemplo *Windheimias* probare voluit, Ecclesiam in Republica constitutam a regimine Reipublicae minime pendere. At quid hoc aliud est, quam Christianorum Ecclesiam instar Reipublicae sibi repraesentare et sic Papizantium principiis adhaerere? Etenim Respublica Hebraeorum non erat ita divisa Respublica, ut per divisionem diuinae diversae inde existerent Respublicae, sed erat divisa per partes imperii *potentiales* circa *sacra* et *profana* et quidem secundum leges ab ipso DEO conditas: DEUS in hac Republica erat Princeps, cui omnia competebant jura Majestatica; exercitium autem horum jurium Majesticorum ab ipso DEO demandatum

erat non nullis gubernatoribus tum quoad sacra, tum quoad profana. Hinc in hac Republica Theocratica multa dantur crimina, quae talia non sunt in Rebus-publicis humanis. Ex. gr. *blasphemia, atheismus, idololatris* &c. Haec crimina in DEUM commissa gravissime puniebantur, quoniam in Theocratia erant crimina *laesae Majestatis*. Hae poenae proinde apud Hebraeos erant justissimae, sed apud nos injustissimae forent, prout jam praecedente Lect. VIII. docui et in posterum plenius demonstrabo.

Hoc loco tantum moneo, Ecclesiam apud Hebraeos fuisse ipsam Rempublicam seu partem saltem Reipublicae *potentialem*, et sic ineptum esse, hocce exemplo Theocratiae probare velle, Ecclesiam quoad exercitium juris *externi*, quod inter homines *externum* producat effectum, etiam in casu controversiae, in quo praecipue cardo rei versitur, a Republica non pendere; nam haec argumentandi ratio eodem recidit, ac si probare vellem, ipsam Rempublicam esse independentem, quod facile de omni Republica libera concedimus. Probare igitur dissentientes antea debent, Ecclesiam Christianam habere formam regiminis *Theocratici*, aut constituere *Christocrati*am, et si quis hoc probaverit; tunc omnes *Protestantes* sunt rebelles contra Ecclesiam, quae Reipublicae formam sibi tribuit, sive contra ipsam *Pontificiorum Ecclesiam*. Nesciunt proinde Protestantes, quid dicunt, si ejusmodi argumentis ex Hebraeorum Theocratia desumptis jura Ecclesiae suae defendere adlaborant; Ecclesiae quippe Judaicae imperium et jurisdictione compete-

bat

bat, at ejusmodi jura Majestatica Christianorum Ecclesiis adscribere velle, esset, omnes Respublicas humanas penitus evertere. Etenim tum eadem jura Majestatica diversis Christianorum Ecclesiis in una eademque Republica constitutis *aequaliter* competere deberent, et sic una Ecclesia haberet jus puniendi alteram Ecclesiam ab ea in articulis Religionis diversam et hinc quoque huic competeret jus puniendi illam. Atque ita Republica sive Ecclesiae tamquam partes Reipublicae *potentiales* in propria sua viscera saevirent, ut nulla communis salus et publica tranquillitas amplius subsistere posset, sed monstro similis foret ejusmodi Respublica, ubi diversae et sibi adversae Ecclesiae partes Reipublicae *potentiales* efficerent.

Accedit, quod Ecclesiae Christianorum per partes imperii *subjectivas* inter se sunt divisae sive per varias et diversas Respublicas humanas dispersae: ideoque si omnibus Ecclesiis eadem regiminis forma per totum terrarum orbem competeret, ita ut jura earundem Majestatica seu summa forent, tunc nulla Respublica humana, integra jura Majestatica, nequidem per partes *potentiales* divisa, in se contineret, sed pars quaedam *potentialis* imperii summi, per partes iterum *subjectivas* divisa, penes Ecclesias extra territorium Reipublicae constitutas resideret. Quae doctrina Protestantium, si forsan sunt, qui eandem fovent, mihi equidem multo adhuc absurdior videtur, quam Pontificiorum opinio, qua unam tantum Ecclesiam Catholicam externam, instar Reipublicae cujusdam *maximae* sibi repraesentant, cui omnes

nes aut. saltem Christianorum Republicae quoad sacra
subjectae sint.

Unde satis mecum percipietis, quam caute procedendum sit in jure Ecclesiastico Protestantium universali, ne in Scyllam incidamus, dum Charybdin evitare volumus. Firmiter itaque apud Protestantes tenendum est, Ecclesiam minime habere faciem Reipublicae. Quod autem si verum est, prout mihi verissimum videtur, sponte inde fluit, non dari etiam *crimina Ecclesiastica*; et per consequens quoque, *haeresin* in sensu juris Ecclesiastici Protestantium *non esse crimen*: Ecclesiae enim universae non competit jus perfectum in conscientias et opiniones singulorum, qui sunt in Ecclesia aut etiam extra Ecclesiam; ergo etiam nec Ecclesiae competit jus imputandi alicui *crimen* propter dissensum, quantumvis gravissimum, ab Ecclesia. Merito igitur *Thomasius* in notis *ad Lancellosi Instit. Jur. Can.* Lib. IV. Tit. IV. nota 154. doctrinam illam, *quod haeresis sit crimen*, inter primaria Papatus fulcra recensuit, miratus, cur Protestantium Theologi crassissimum hunc et capitalem Papatus errorem non dudum notaverint. De quibus *Thomasii notis ad Lancellosi Instit. Jur. Can.* in transitu commemorandum esse duco, neminem feliciter arcana dominationis Sacrae detexisse, quam quidem laudatus *Thomasius* in dicto Commentario ad Jus Canonicum; quapropter huncce eximium eximii viri Commentarium ad Jus Canonicum omnibus futuris Protestantium Theologis maximopere commendandum esse putarem.

rem. Sed redeo iterum ad haeresin *in sensu Theologico*: ulterius pensitandam.

Delumbato autem et enervato; immo penitus destructo omni jure *perfecto*, quod Ecclesiae circa singulorum libertatem Religionis competat, videndum jam est, numne saltem ex jure *imperfecto* Ecclesiae potestas competat, aliorum haeresin indicare, haereticosque admonere, ut a pertinacia haereseos desistant? At quaero iterum: *quid est haeresis?* Nam quamdiu ignoramus, *quid haeresis sit*, frustra disceptamus de jure in haereticos. Vulgo equidem definitur haeresis, quod sit *error in fundamento fidei, cum animi pertinacia*, ut Canonistae ajunt, *conjunctus*. Pontificii determinant fidem per modum *Legis*, quia ipsis Ecclesia est instar *Reipublicae*, ubi Clerus imperat, nobisque miseris Laicis sola obediendi gloria est relicta; apud Pontificios igitur haeresis est pertinax dissensus ab Ecclesia *dominante*. Sed quid nunc apud nos Protestantes haeresis erit? Nos Ecclesiam *dominantem* in sensu quidem *Politico*, sed neutiquam in sensu *Theologico* agnoscimus. Quis itaque apud nos Protestantes determinet fundamenta fidei? Omnes Protestantes S. Scripturam, tamquam *unicam* normam fidei, assumunt; ergo nulli Protestantes aliam fidei normam agnoscere debent, et per consequens quoque nemo Protestantium, definitiones articulorum fidei ab Ecclesia factas aliter admittere potest, quam quatenus eadem per S. Scripturam ceu fundamenta fidei, sine quibus nullus salvari possit, inculcantur. Hi termini autem fundamentorum fidei non opor-

bus aequè conspicui sunt, sed numerus articuloꝝ fidei apud varios varie determinatur. Quomodo igitur quisque inter Protestantes haeresin evitet? Ecclesiae iudicium audire, id non satis tutum est singulis; nam diversae Protestantium Ecclesiae diversa inter se sentiunt. Singuli itaque Protestantium sua propria et non Ecclesiae iudicia secundum unicam fidei normam, S. scilicet Scripturam, pie sequi tenentur. Quis tunc erit *baereticus* inter Protestantes? Nemo sane, nisi quispiam *hypocrita* sit; ceteri enim omnes, si forsan erraverint, bono animo errant: absque animi *perstinacia*, quam tamen ad haeresin requirunt haeretifices. Ex hisce vero omnibus dictis concludo, apud Protestantes sive in sensu juris Ecclesiastici Protestantium *aut nullam dari, aut solam hypocrisim esse haeresin.*

Nunc hisce praemissis *tertio* agendum est de haeresi, in sensu *Politico* ita sumpta; Politica autem cum vel *generalis* sit vel *specialis*, et illa nuncupetur prudentia, determinandi optima media ex essentia Civitatum *communi* ad finem Civitatis obtinendum convenientissime ducentia; haec autem politica specialis consistit in prudentia, determinandi media optima ex essentia Civitatis cujusdam in *suo individuo propria* ad finem Civitatis obtinendum apprime facientia: hinc satis inde percipietis, haeresin aliam esse in sensu politico *generaliori*, aliam autem in sensu politico *specialiori*. Sic priori sensu haeresis erit omnis Religio, quae fini cujusvis Civitatis e diametro repugnat sive determinationibus Civitati *essentialibus* contraria est. V. gr. in hoc sensu haeresis
esset

effet in nulla Republica toleranda; qua quis Religionem profiteretur, *nemini licere, Magistratibus humanis obedire*; talis enim Religio fundamenta omnis Civitatis destrueret, ita ut civis esse non posset, qui talem Religionem profiteretur. At dixi, quod e diametro fini Civitatis cujuscunque repugnare debeat Religio, quae in nulla Republica tolerari possit; alias enim si determinationibus Reipublicae *accidentalibus*, tantum adversatur Religio quorundam, non ideo tamen in omni Republica eadem Religio tamquam haeresis in sensu politico *generaliori* habenda est. V. gr. *Menonitarum* Religio prohibet, ne ipsi Menonitae Magistratuum munera subeant aut etiam bella gerant; non ideo tamen prohibet, ut Magistratui obediant Menonitae aut etiam bella gerantur per alios; ideoque fini Civitatis, sive securitati Rerumpublicarum neutiquam repugnat haecce Religio, quamdiu alii sunt, qui lubenter Magistratuum munera suscipiunt aut militum officia subeunt; ipsi interim Menonitae onera Reipublicae, ideo necessaria, in commune bonum lubentissime conferunt. Apud nos Belgas igitur qui mercenarium militem alimus, Menonitarum Religio in sensu *politico* neutiquam est haeresis. Sed fieri tamen potest, ut eorundem Religio propter determinationes Reipublicae cujusdam *accidentales* in sensu politico fiat haeresis V. gr. apud Helvetios interque eos praesertim apud Bernenses status eorundem politicus est maxime militaris, ut omnes masculi idonei militiae operam navare debeant; dum enim, tanta non sit terrae abundantia, quae infinitam incolarum multitudinem alere posset, nec soli sterilitatem commercia compensent et

tamen propter aëris salubritatem propagando generi humano admodum foecundi sint: hinc ratio status suadet, ut se aptos reddant ad pugnas et certamina, ac in aliorum Principum et Regum cohortes abeant. In hunc Helveticae Reipublicae statum Religio Mennonitarum minime quadrat. Ne igitur Helveria homines in eorundem statu, utpote ubi commercia non florent, nec artes mechanicae excoluntur, plane inutiles et tantum fruges consumere natos aleret; hinc in sensu *Helvetiorum* politico *speciali* Religio Mennonitarum est haeresis, quippe quae secundum determinationes istius Reipublicae *proprias* fini Civitatis repugnat.

Ex datis igitur exemplis abunde intelligetis, qua ratione haeresis Religionis in sensu *politico* accipiat. Non equidem Potestati Civili jus competit, determinandi veritatem Religionis Christianae; potius Religio Christiana ita est disposita, ut omnibus quibuscunque Rebuspublicis apprime conveniat, et sic nulla esse possit Respublica, cui Religio Christiana haud conveniret, prout hanc Religionis Christianae praestantiam etiam ad ipsum cujuscunque Reipublicae statum praecedente *Leff. I. hujus Tom. II.* jam probavi; at tamen ea fuit hominum socordia aut dissentendi libido, ut illi, qui Christianorum sacra sequuntur, in plures Christianismi sectas abierint et sic diversas profiteantur Religiones Christianas, quarum una plus, quam altera huic vel illi cujuscunque Reipublicae statui convenit, aut etiam aliquando pro certis rerum conditionibus una vel altera Christianorum secta st-
qui

tui Reipublicae repugnare potest, prout de Mennonitis in Helvetia jam dixi.

Praeterea ex diversitate sectarum Christianismi, supposito statu generis humani corruptissimo, multae lites inter ipsos Civitatis Rectores orientur, atque inde multa mala in Rempublicam redundarent, si omnes Religionum sectae *aequali* in Republica jure gauderent, nec uni prae altera, aliqualis *praerogativa* competeret. Quamobrem ob *Christianorum imprudentiam prudentia Civilis* postulat, ut ex variis Christianorum sectis Religio *dominans* in Republica determinetur. Talis itaque Religio *dominans*, Legibus approbata, in sensu *politico specialiori* quoad illam Rempublicam, in qua viget, *orthodoxa* vocatur, utpote in nostra Republica Religio Reformata orthodoxa est; non ideo tamen ceterae Christianorum sectae *civiliter haereticae* sunt, quae in Republica *tolerantur*, sed illa tantum Religio in sensu politico haeresis est, quae plane non toleratur. Immo si fines Rerumpublicarum ob oculos habeamus, dici aliter nequit, quin Atheismus, et Deismus nulli Reipublicae convenient; hi itaque errores sunt capitales et fundamentales in omni Republica; ideoque et in quacunque Republica saltem Atheismus et Deismus tamquam haereses *politice* spectari possunt. Unde nunc disquirendum est:

Quarto loco: *Num tales haeretici, politice spectati, poenae humanae, et quali tum poenae subjiciantur? mira profecto quaestio Vobis, aut saltem non nullis Ve-*

strum videbitur, me statum quaestionis solummodo formasse de haereticis *politice* spectatis; haeresis enim cum error in fundamento fidei sit, cum pertinacia conjunctus, non aliter quam *Theologicè* eam considerari posse existimabitis. At ego quam maxime distinguo inter haeresin, respectu Legis Naturae aut Divinae Revelationis ita dictam, et inter haeresin respectu juris inter homines alteri competentis ita spectatam; priori respectu omnis error vincibilis est culpabilis et proinde est crimen in Civitate DEI, quod eo atrocius fit, quo majora aut plura motiva pro vitandis erroribus cum nostris actionibus liberis vel per Naturam vel per Revelationem Divinam conjunguntur; nam eo fortior fit nostra obligatio naturalis pro numero et gravitate scilicet motivorum, quae nobis repraesentantur. Plura denique motiva agendi actionem nostram liberam suscipiendam reddunt compositam, ex pluribus nimirum actionibus simplicibus, sive internis sive externis, constantem; quo magis autem est actio humana libera composita, eo magis influit libertas in actionem. Et pro gradu libertatis, differt gradus imputationis. Ergo ubi plurima motiva cum actione connectantur, ibi maxima est agendi obligatio; et ubi maxima fit agendi obligatio ex plurimis motivis oriunda, ibi actio nostra ex multis actionibus internis et externis simplicibus summopere fit composita; et per consequens et Libertas sive usus aut abusus libertatis in agendo inde luculentior fit. Summus proinde gradus imputationis locum habet in actione composita, quae ex plurimis motivis libere suscipitur. Quamobrem si quis in tali actione suscipienda, Libertate sua abutitur contra

tra plurima motiva ipsi repraesentata; is crimen committit omnium atrocissimum. Jam vero in antecedentibus, *Lect. III. hujus Tom. II, et Lect. XI. Tom. I.* demonstravi, nullam hominis obligationem majorem esse posse, quam quae datur ad veram Religionem. Unde ex opposito manifestum est, *nullum crimen atrocius esse, quam haeresis* est sive error in fundamento Religionis cum pertinacia conjunctus, quae haeresis eo atrocius est crimen, quo longius abit, a fundamentis verae Religionis.

At, si quid ego video, multi Theologi hoc crimen haereseos nimis restringunt ad solam Religionem *Revelatam*; meo potius judicio errores pertinaces in Religione *Naturali* atrocitate sua si non superant, saltem adaequant haereses in Religionem *Revelatam* commissas. Sic V. gr. mihi atrocissimae haereses videntur, si quis statueret, *Jus Naturae Divinum ex corrupta natura derivandum esse*; aut *Jus Naturae Divinum ex ingeniis Philosophorum Gentilium esse conflatum*; aut, *homines Christianos non teneri Legibus Naturae*; aut, *Deismum inde promoveri, si quis summam Juris Naturae praestantiam adeo extollit ejusque juris Divini amplitudinem eo extendit, ut Leges Naturae cum Legibus Evangelicis pari passu ambulent*; aut, *Religionem Naturalem, quae in perfecta praestatione omnium officiorum Legis Naturae consistit, in se non esse sufficientem ad veram hominis salutem obtinendam*; aut, *finem juris Naturae esse tantummodo temporalem hominis felicitatem*; aut, *Jus Dei externum, quod in*
cre-

creaturas habet, nullum esse vel exercitio carere; aut, corruptionem hominis moralem ipsi esse essentialem vel connatam, ut homo per Naturam suam ad quaevis vitia determinetur, nullasque vires naturales, id est, physicas aut essentielles habeat connatas, contrarium agendi seu virtutis viam ingrediendi. Aut qui sunt plures alii ejusmodi capitales in jure Naturae errores, qui mihi tam atroces haereses spirare videntur, ut nesciam, qua ratione vera Religio Christiana cum erroneis istis in jure Naturae opinionibus tuto consistere possit.

Mirandum itaque est, hosce capitales in vita morali errores haecenus a Protestantium Theologis nondum in numerum gravissimarum haeresium esse relatos, nisi cum Cl. *Thomasio* in *Not. ad Lancellotti Inst. Jur. Can. Lib. IV. Tit. IV. Num. 154.* suspicemur, quod *arcana etiam Doctorum Protestantium, non omnium quidem, sed tamen nec paucorum, paululum sagacioribus jam incipiant esse cognita.* Scilicet auctoritas haeretificandi tantum ad Theologorum Tribunal pertinere creditur; quodsi autem errores in jure Naturae capitaliores etiam numero haeresium accenserentur, saltem longe diligentius, quam haecenus factum fuit, studium juris Naturae Theologis excolendum foret. Plura de hisce non addam, ne fortassis in re gravissima argutari videar. Id unicum silentio praeterire non possum, laudatum *Thomasium*, virum in hoc studiorum genere sagacissimum, *cit. loc. pag. 1892.* jam observasse, haeretices a *Constantini M.* tempore usque ad

tem-

tempora Reformationis non adeo circa emendandas disciplinas *morales*, quam quidem circa terminos pure *metaphysicos* quaestiones movisse, adeoque tot hominum myriades non ob causam DEI, sed ob *Metaphysicam Aristotelis* aut *Platonis* tanquam haereticos fuisse trucidatos aut relegatos.

Ad me quod attinet, cum Cl. *Zimmermanno* in *Opusc. Theol.* Tom. I. p. 760. Thes. 3. putarem, *articulos Religionis vel majoris vel minoris esse ponderis, prout vel magis vel minus ad pietatem excitandam, fovendam atque perficiendam faciunt; Errorem contra vel leviozem vel graviozem esse, prout pietatis studio magis vel minus officit*; ideoque et Cl. *Pfaffius* in *Dissert. de crimine haeretificii*, quae elegantissima *Dissertatio Ipsius Institutionibus Juris Eccles.* subjuncta est, ibique art. 2. haeresin recte divisit in *Theoreticam* et *Practicam*. Illam vocavit, quae circa dogmata *Theoretica*, hanc vero, quae circa dogmata *practica* versatur. Hanc autem, quod praxin *Christianismi* immediate jugulat, illa longe perniciosiorem dixit, quoniam haeresis *theoretica* in intellectu saltem haeret nullumque influxum in praxin pietatis habere conspicitur. Quapropter et ego multo magis generi humano salutare ducerem, si praetermissis otiosis quaestiunculis homines ad puriorem doctrinam *moralem* ex disciplina *Christianorum*, cum jure *Naturae* consolidata, instaurandam adducerentur; tunc enim haeretificinae fabricatores pudore suffunderentur, quando ex jure *Naturae* agnoscerent, *nullos majores esse haereticos, quam ipsi sunt haeretifices*, prout in sub-

se-

sequentibus ostendam plenius. Hoc loco tantum huc paradoxo, quod nimirum nulli majores sint haeretici, quam ipsi haeretices, adhuc alterum addo paradoxon, quo etiam nihil verius est, videlicet; *quo magis haeresis est crimen in Civitate DEI, eo minus haeresis est crimen in Civitate humana.*

L E C T I O XI.

Continuatio materiae de varia haeresis significacione, ejusque injustissima poena.

Heresis, ut dixi et jam demonstravi, est crimen in foro Divino omnium atrocissimum, quoniam est actio hominis contra fortissimas et omnium maximas obligationes connotatas perpetrata; at eo ipso asserimus, non dari ullam hominis obligationem *contractam*, sive ex societate Ecclesiastica sive Civili sive aliunde ex facto quodam humano nascatur, quae illam maximam verae Religionis colendae homini *connotatam* obligationem unquam immutare posset. Unde porro consequitur, quo major est haec obligatio hominis connotata ad veram Religionem colendam intuitu Legis Naturae, unde illa venit, eo minus esse jus scilicet *externum*, uni homini competens in alterius actiones religiosas; ideoque cum summa sit obligatio hominis, ad Religionem colendam, respectu Legis Naturae; hinc et respectu juris, aliis ho-

hominibus competentis, summa quoque esse debet cujusvis Religionis Libertas, ut in agendo a nullius alterius, sed unice a sui ipsius judicio pendeat. Ergo licet haereticus, respectu Legis Naturae, sit crimen atrocissimum et sic in foro Divino maxime puniendum; respectu juris externi tamen, inter homines obtinens, non crimen, sed virtus est. Etenim quamprimum quis ob humanam auctoritatem aliqua spuria motiva Religionem amplectitur, ex DEI cultore fit hominis cultor et sic creaturae honorem praestat, quem omnium Creatori debet, ideoque ex religioso homine degenerat in impium idololatram. Licet igitur ore profiteatur veram Religionem, interna tamen ejus Religio est falsissima, immo nulla, ac ipso Atheismo pejor, quoniam qui Religionem simulat, qui nullam habet, et DEUM et alios homines fallere studet. Ne itaque in hyperisim, omnium haeresium dirissimam haeresim, incidamus, quilibet in colendo DEO mentis suae judicium sequi tenetur. Et qui hoc facit, is eatenus secundum Legem Naturae agit, quod nullum alterius hominis jus in conscientiam suam agnoscat aut ex hominibus DEUM facere velit. Habitus vero secundum Legem Naturae agendi, virtus est; quamobrem haereticus, licet in erronea versetur Religione sive erroneas in Religione foveat opiniones, tamen quadantenus revera virtuosus est, respectu scilicet Juris Naturae *externi*, quoniam nullum jus in Religionem suam alteri concedit, sed animi sui judicium sequitur. Quid vero absurdius est, alterum ideo punire velle, quoniam virtuosus est sive quia Religionem profiteretur ab alterius hominis arbitrio minime pendente; nam jus
pu-

puniendi non ex Jure Naturae *interno* nascitur, sed unice inter homines locum habet quoad Jus Naturae *externum*. Externum autem jus nemini hominum in alterius Religionem competit, nisi ex speciali mandato DEI. E contrario omnibus, et sic etiam ipsis haereticis, jus perfectum competit, resistendi aliis, qui eos in libero Religionis exercitio impedire conantur, laedentesque ideo puniendi. Unde concludo, licet etiam aliis hoc paradoxon videbitur, est tamen verissimum, scilicet, *non haeretifici jus puniendi haereticum, sed haeretico jus puniendi haeretificem Jure Naturae competere.*

Quod si haec omnia ita vera sint, prout mihi verissima videntur, confidentius assero, omnes haeresium poenas, qualescunque etiam sint, esse inter homines, sive in statu Ecclesiastico sive in statu civili constitutos, prorsus injustas, nisi speciale Dei mandatum, utpote in Republica Hebraeorum Theocratica accedat; DEO enim utique, sed nequam hominibus competit jus puniendi haereticos.

Nihilominus tamen magni Viri, quod aegre dico et maximopere doleo, hoc jus puniendi ob gravissimos in Religione errores tamquam hominibus competens publice defenderunt. Ex Patribus Ecclesiae jam *Lecl. IV. Augustini* sententiam de puniendis haereticis adduxi. Et utinam! *Protestantes* hanc profanam et verae Religionis Christianae perniciosissimam de puniendis haereticis doctrinam nunquam defendissent. Sed verum est, licet aegre dixerim, non tamen a viris cordatis et veritatis amantibus dissimulandum, primos *Reformatae Re-*
II.

Itionis instauratores, *Bezam* in primis puto et *Calvinum*, non solum haereticandi, sed et, quod turpius est, haereticos persequendi studio ductos famae suae apud prudentiores omnes, aequae Theologos ac Politicos, levis notae maculam inussisse. Horum Duumvirorum de *haeresicidio* sententiam praecedente *Lect. V.* jam recensui, simulque ex *Cl. Baylii Dictionario* monui, id saltem mali in rem Christianam ex ea redundasse, ut Pontificii habeant, quod suum persequendi haereticos morem exemplis nostrae Religionis fautorum comprobent et *Calvini* atque *Bezae* auctoritatem nobis opponant. Scilicet anno MDLIII. *Michaël Servetus* jussu Magistratus Genevensis et suasu, ut fertur, *Jo. Calvini*, tamquam haereticus misere combustus erat. Noster vero *Calvinus*, ut consilium suum de comburendo *Serveto* pietatis et justitiae colore coram orbe Politico et Ecclesiastico quadantenus incrustaret, mox libellum edebat, quo ostendere conabatur, *jure gladii coercendos esse haereticos. Sebastianus* autem *Castalio*, Vir mitioris ingenii, qui a *Jo. Conr. Fueslino in Bibl. Hag. Class. III. Fasc. III.* nuncupatur *rari exempli Theologus*, hoc truculentissimum *Michaëlis Serveti* vivicomburium vehementer abhorrebat; hinc publico quodam scripto egregie, quantum illa aetas ferebat, contra libellum *Calvini* demonstrabat, *haereticorum punitionem ad Magistratum non pertinere. Beza* igitur *Calvini* partes secutus, *Martini Bellii* sive *Sebastiani Castalionis* farraginem, quam dixit, refutare tentabat ac dictum libellum de *haereticis a Civili Magistratu puniendis* in lucem mittebat. At optime Auctores de *l'Encyclopédie* Edit. *Ebro-*
M *dun.*

den. Tom. V. qui nuper prodijt, sub art. *Beze*, observarunt, *Bezam* prudenter egisse, quod ob carmina sua *juvenilia* postea aetate provectior DEUM et Rempublicam veniam poposcerit, sed recte addunt: *s' il avoit eu la sagesse de retracter également son traité de haereticis a magistratu puniendis, il eût servi utilement à la cause générale, en annoblissant son caractère de ministre de l'Evangile.*

Quantopere vero ipse *Calvinus*, magnus ceteroquin Theologus, *Castalioni* iratus fuerit, quantasque injurias et quam vehentissimum acerbitatis suae virus in moderationem *Castalionem*, licet antea ipsius amicum, ob dictum *de haereticis a Magistratu non puniendis* libellum evomuerit, pluribus indicavit *Cl. Baylius* in *Dict. Hist. Crit.* sub art. *Castalion*; quae *Bayliana* scripta quoad hunc articulum non sine animi dolore legere potui, et inde didici, maximos Theologos saepius esse viros acerbissimos; et hoc ideo evenire mihi videtur, quod *Vicarius DEI*, quem sibi per somnium tribuunt, ipsis aliquando, dum vigilant, nimium ante oculos obversatur. Et nescio sane, numne ingeniosissimus *De Montaigne dans ses Essais, Liv. I. Chap. 34.* merito inter mundi dedecora retulerit, *Sebastianum Castalionem*, Virum egregie doctum, ob persecutionem scilicet Theologorum, *Calvini* et *Bezae*, vixisse ad extremam senectam in summa pauperie: ille hanc lamentabilem viri hujus excellentioria conditionem dixit *une grande honte de nostre siecle.*

Qui-

Quibus interea convitiis Calvinus, summus Theologus, Castalionem oneraverit, videre licet ex *Praestantium ac Eruditorum Virorum Epistolis Ecclesiasticis et Theologicis*, ubi Epist. CCLXVII. Joanni Urbano ita rescripsit Marcus Gualtherus: *Remitto tibi, amicissime Urbane, Calvinum tuum, quem jam olim commodatum mihi volui, ut ipsemet ex ipso intelligerem, quomodo Nebulonem suum tractaret. Legi sane, et prout ingenii tenuitas patiebatur, verba verbis contuli, res rebus composui, et post alia hætenus lecta, totum illud negotium expendi. Non est quidem meum (ultra hoc tibi aliisque largior) de Viri istius cetera magni, et sat boni, dictis aut factis censorie judicare aut definire: hanc tamen veniam, spero, nec tu, nec quisquam æquus aut prudens mihi negabit, ut libere quid de isto scripto existimem, liceat proloqui. Dicam ergo, et quidem tibi, mi Urbane: Nondum potuisse me hætenus vel leviter intelligere, illum, in quem Calvinus invehitur verius, quam sane dicit, vel canem esse, vel nebulonem, vel calumniatorem, barbarum, phreneticum, amentem, sævum, protervum, improbum, larvatum, sacrilegum, bardum, stupidum, impurum, rabiosum, mendacem, spurcum, scurrilem, petulantem, furiosum, maledicum, garrulum, vel porcum, vel denique Satanam; his enim et hujusmodi aliis flosculis large caput ejus inspergit: multo minus, qui ex inferis Diaboli instinctu prodierit, et CHRISTUM irriferit. Fidem mihi fecisset scriptor tuus, illum præpostere sentire et scribere, si tot argumentis tamque solidis rationibus adversa-*

M 2

rium

rium suum confecisset, quot illum conviciorum epithetis, parum Christiane, conspuit et dehonestavit. In quo genere disputandi tam felix vir ille mihi (hic) fuisse videtur, ut facile palmam prae maledico aliquo bajulo aut rupicone laturus fuerit, si in conviciorum arenam cum eo descendisset. Si bachari, et non tantum dicteria, sed et maledicta in adversarium eomere, est legitime differere et vincere, jam nemo prae Hecuba vicerit, quam ob importunos in quosvis latratus canem dictam veteribus nosti. Itaque suspectam mihi causam suam famosus ille Theologus reddidit, quam primum animadvertere cepi, bilem argumenta ipsi dictare, et stomachum ejus subinde stultorum thesaurum, id est, maledicentiam ipsi suggerere.

Ceterum quod attinet ad *Serveti* vivicomburium, adhuc quaedam memorare lubet ex Dialogis inter Calvinum et Vaticanum sive ex libro, cujus titulus se ita habet: *Contra libellum Calvinii, in quo ostendere conatur, haereticos jure gladii coercendos esse.* Quae *Bellii* farrago, ut *Beza* loquitur, *Castalioni* adscribitur. Latina hujus rarioris libelli editio in 8. impressa est Anno Domini M. D. L. C. XII. ubi art. 147. *Vaticanus* refert Epitaphium; quod *Musculus* (sine dubio *Wolfgangus*, celebris Theologus) de *Serveto* scripsisse dicitur sequentis tenoris:

*Servetus ex Hispania
Qui tam diu non debuit*

Inter

*Inter fideles vivere,
Hic triplicem nos bestiam,
Et Sathanae fantasmata,
Illusiones Daemonum,
Habere dicit pro DEO,
Et propter hanc blasphemiam
Linguamque detestabilem,
Non propter errores graves,
Quibus scatebat plurimis,
Flammis Genevae extinctus est.*

Versio autem hujus libri Belgica in 4. prodiit sub rubro: *Corte en duidelycke Wedderlegginghe van 't gene door Mr. Johan Calvyn, tot beweringe van de Macht der Overheyt, int straffen der Ketteren, bygebracht wert: in seker Boekken van hem geintituleert: Wederlegginghe der dolinghen van Michiel Seruet. Daer ook gheleert wert, dat men de Keters metten swaerde moet straffen. Eertyds int Latyn geschreven door den Godvruchtigen ende seer gbeleerden Sebastiaen Castellio: ende met een Voorreden verrycks, nut en oirbaerlyck gelesen in dese ghevaerlycke tyden. In 't jaer Christi 1613.* Et sic hicce libellus Belgice prodiit illo scilicet periculoso tempore, quo jam antea Bogermanni versio Bezae tractatus *de haereticis a civili magistratu puniendis* in nostris oris anno 1601. in vulgus sparsa fuerit. Praefatio huic versioni *Castalionis* libelli praemissa multas ob rationes lectu est dignissima. Epitaphium vero, cujus mentionem feci, in Belgica versione pag. 143. ita redditur.

*Servetus een Spanjaerd ,
 Die ganschblyc niet was waerd
 Soo lange hier te leuen
 Int ware Christenryok ,
 Heeft uit een baet end pyck
 Ons valschblyk nagegeuen ,
 Dat w' een dryhoofdig Beest
 End' Duyvels Spoock of Geest ,
 Welck Satan eerst verdichte ,
 Voor den oprechten God
 Ghebouden hebben , so
 End blindt zyn van gesichte,
 Niet om syn Kestery
 Oft dolingen is by
 Verbrandet te Geneuen:
 Maer om dees' LASTERING boos ,
 En syn tong Goddeloos
 Is by gebracht om 's leuen.*

*At merito Cl. Gottscheden in Observationibus Ger-
 manicis ad Dictionarium Baylianum sub art. Beza ad-
 didit: Ob nun wohl darinnen gar wohlbedächtigt ge-
 sagt wird, dasz Servet nicht um Seiner Irrbümer
 halber, sondern wegen seiner Lästereien verbrannt
 worden: so überlege es nur ein ehrlicher Protestant,
 wenn es ihm, unter einer Spanischer Inquisition oder
 Französicher Dragoner bekehrung, ebenfalls vorge-
 sagt würde, dasz er nicht seiner Irrbümer hal-
 ber, sondern wegen seiner Lästereien, wider die Mut-
 ter*

ter Gottes oder andere Heiligen verbrannt würde; wie ihm dieses gefallen würde?

Plura in re odiosa pro refutandis *Calvino* et *Beza*, primis nostræ Ecclesiæ instauratoribus, quoad puniendos hæreticos non addam. Absit vero, ut ideo eximius horum de Ecclesia nostra Duumvirorum meritis aliquid detrahere velim; *vitiosum enim est*, inquit *Auctor ad Herennium* Lib. II. cap. 27. *artem aut scientiam aut studium quodpiam vituperare propter eorum vitia, qui in eo studio sunt.* Ipse DEUS per S. Scripturam etiam Sanctorum Virorum vitia memoriale prodidit posteris, quidni igitur et nobis, quibus DEUM imitari officium est, liceret, Ecclesiæ nostræ Acquistum vitia notare, ut omnem humanam in rebus Divinis vitare discamus auctoritatem. Habent etiam magni Viri aliquando magna sua vitia. Ac prouti optassem, ut *Calvinum* nostrum in hac puniendi hæreticos materia alto silentio præterire potuissem, sic etiam vellem, ut nullum in hoc turpissimæ doctrinæ genere magis *Græiani* nominis mentionem facere deberem, sed præstat tamen, veritatem candide profiteri, quam auctoritatis præjudicio duci.

Is vero *Græius*, quamvis in Belgio quondam Libertatis Religionis acerrimus vindex, prout patet ex ipsius tractatu, cui titulum inscripsit: *Ordinum Hollandiæ ac Westfrisiæ Pletas ab improbissimis Multorum calumniis, præsertim vero a nupera Sibrandi Luberti Epistola, quam ad Reverendissimum Archiepiscopum*

M 4

Can.

Cantuariensem scripsit, vindicata anno 1613. in Jure tamen Belli et Pacis, quod in Gallia exul scripsit, paululum Clero papali velificari videtur, quod Lib. 2. cap. 20. §. 46. et seqq. talia principia posuerit, cum quibus Libertas Religionis stare nequit. Etenim generis humani maximopere interessè opinatur Grotius cit. loc., ut summam in DEUM impietatem etiam armis vindicemus atque horrenda in DEUM delicta etiam bello punitivo ex hocce terrarum orbe avertamus.

At quam graviter, erudite ac eleganter etiam *Grotius* hanc causam peroraverit, non possum tamen a me impetrare, ut cum magno ceteroquin viro, hac tamen in re se ipso minori, consentiam. Potius mihi videtur, quod error *Grotii* inde fluxerit, quoniam Vir illustris eodem cap. 20. Lib. 2. §. 3. sibi persuasit, malum in se tale esse, ut puniri ab aliis possit, et jus puniendi per naturam competere ei, qui non aequè nocens est. Et licet *Grotius*, rationem indicare haud poterit, cuiam tunc inter homines per Naturam competeret hoc jus puniendi, cum omnes corrupti sint; supposuit tamen *Grotius*, non omnes aequè nocentes esse, ideoque sibi persuasit, eos, qui male agunt, per naturam se aliis virtuti deditis inferiores reddidisse; virtuosos proinde et pios per Naturam fieri superiores: punitiōnem autem superiori competere.

Veruntamen haecce *Grotiana* principia puniendi, ex Stoicorum hypothesibus inconsideranter desumpta, oppido falsa sunt, prout illi bene percipient, qui me jus puniendi in-

ter homines ex aliis plane principiis explicantem audiverunt. Non vacat autem omnem Juris Naturae doctrinam, quae cum jure Ecclesiastico Protestantium ubique est conjuncta, ex primis suis fontibus hoc loco repetere, cum Auditores in Jure Ecclesiastico supponere debeam, qui Juris Naturae peritissimi sunt. Quapropter nunc tantum admoneo, aliam esse superioritatem inter homines *moralem* sive quae Juris Naturae *interni* est, et aliam esse superioritatem inter homines *Civilem* aut cogentem, quae Juris Naturae *externi* est; priori sensu *moralis* et prudentibus et virtuosis hominibus superioritatem concedere possumus prae hominibus stupidis et vitio deditis, sed haec superioritas consistit tantum in majore valore *moralis* quoad aestimandas hominum perfectiones: ideoque haec superioritas neutquam jus cogendi aut puniendi involvit, sed jure tantum *interno* absolvitur; neque enim alius, non aequè pius, virtuosus aut eruditus, ideo pius, virtuosus et eruditus laedit, cum omnis laesio supponat jus alterius perfectum, quod nemo in aliorum Religionem, pietatem, virtutem, veritatis agnitionem habere potest; hoc imperium in aliorum mentes soli DEO competit. Hinc facile patet, posteriori sensu *civili* seu cogente nullam adesse posse per ipsam Naturam superioritatem hominis in hominem quoad Religionem. Quamvis igitur in statu Civili aequè, ac Gentium, unus alio homine, et una gens altera gente virtutibus excellentior, moribus praestantior et pietate insignior sit, non ideo tamen quispiam superioritatem quandam cogentem, nec Princeps in subditos, nec Clerus in Laicos, nec Gens in

aliam sibi arrogare, aut ideo vitio aut impietati deditos ob mala eorundem moralia se inferiores censere potest. Et praeterea *Grotii* hypothesis de jure puniendi, Genti in Gentem competens, eo absurdior est, quoniam gentes vivunt in statu aequalitatis, ubi nulla translatio juris, ab una gente in alteram facta, adest, et sic nulla superioritas fingi potest. Commiscuit proinde *Grotius* ea, quae cum injuria in alios conjuncta sunt, cum hisce, quibus nulla injuria aliis inferitur. Quid enim nocet aut prodest uni Genti Gentis alterius Religio? Equidem *Grotius* §. 44. cit. cap. 20. Lib. 2. satis speciose ratiocinatur, quod, sicut in rebus Ecclesiae adhibentur Episcopi universalis Ecclesiae curam accepisse, ita et Regibus praeter peculiarem suae Civitatis etiam generalem pro humana Societate curam incumbere. Quid vero *Grotius* de Episcopis Ecclesiae Universalis aut de Episcopali Ecclesia senserit, non hujus loci est, pluribus examinare, sed potius infra, quando ad Ecclesiae regimen pervenerimus, curatius inquiremus. Hoc tantum loco monendum est, quod iterum confundat *Grotius* jus Naturae *internum* cum *externo*; facile enim concedimus, Episcopis aut Clericis aut Ecclesiae verae, aut Genti etiam verae Religioni addictae, immo singulis veris Christianis, etiam divisim spectatis, *verum* jus competere in alteram Ecclesiam falsam aut alterius gentis Religionem falsam; sed hoc jus est tantum *internum* et oritur ex obligatione omnium hominum connata; perficiendi alios: atque vero nostris consiliis, se perficiendi, obtemperare non tenentur, sed quilibet manet liber arbiter perfectionis suae promovendae.

dum-

dummodo nemo alterum imperfectiorem reddere conatur. Non igitur jus cogendi competit ad Religionem, sed jus cogendi potius competit contra violatores alterius Religionis, quia quisque ex jure *connato* gaudet *Libertate* suae Religionis. Haec est facultas moralis agendi omnibus hominibus communis, quae neutiquam per potentiam quandam determinatur, sed potentia physica tantum facit, ut facultas moralis in exercitium abire possit. *Physice* itaque fortior non ideo majorem facultatem *moralem* habet, et sic nemo, licet sit tota Ecclesia Universalis, immo licet sit Civitas, quam *Grozius* sibi finxit, Gentium maxima, Universitas illa quoad potentiam physicam tremenda, jus habere potest, ne unum quidem hominem in singulari cogendi ad certam Religionem amplectendam, aut propter Religionem, quam profitetur, licet falsissimam, puniendi.

Potius mihi videtur, omnibus Protestantium Principibus, immo omnibus, quibus curae cordique est, Libertatem Religionis, tamquam jus omnium hominum conatum fortius tueri, jus competere, conjunctis viribus haeretificinae fabricatoribus sese opponendi; et, dum ipsa natura commendat fortioribus debiliores, ut hisce succurramus, qui sibi defendendis non sufficiunt, humanitas postulat, ut pestes generis humani, oppressores scilicet Libertatis Religionis, qui sub praetextu *Zeli Divini* intolerabilem exercent tyrannidem Sacram, sic dicendam eodem nimirum sensu, quo *auri sacra fames*, qua sacri illi conscientiarum judices aut alii terreni commodi ardore in innoxios haereticos, quos putant, ducunt.

cuntur, aliquando per cordatiores Principes et viros ad incitas redigantur. Fuit hoc prudentissimum, quod mirum in modum mihi placet, consilium Generosissimi nostri *Barbeyracii* in *Notis Gallicis ad Pufend. J. N. et G. Lib. 8. cap. 6. §. 3. num. 1. prope fin.*

Nec est, quod suspicemini, hoc consilium a juris Naturae Doctoribus, qui haud raro apud haeretices atro carbone notantur, prolatum esse, ut famam suam contra orthodoxos eo felicius tueri possent. Idem enim et sentit plurimum Reverendus *Zimmermannus*, Theologus mitissimus, in opusculis suis Theologicis, Tom. 1. medit. 1. *de causis credulitatis* pag 343. et seqq. cujus verba nimis proluxa sunt, ut integra vobis praelegam; hinc pauca tantum recitabo: *Homines, inquit, ob dissensum Religionis mutuis oppressionibus et violentissimis persecutionibus usos, eheu! tristis omnium saeculorum doctet experientia. Animus borret luctuque refugit, adeo ut in ea opinione, quae altissime menti dudum infixata est, magis magisque confirmet, nimirum nullum forse dari magis exitialem errorem, quam eum, quo homines sibi persuadent, licitam esse, violentia omnis generis usi contra eos, quos in negotio Religionis errare putamus. Certe, nisi tot manifestissimis monumentis et documentis comprobatum esset, vix fidem haberem narrationibus, de tot execrandis et plus quam ferinis oppressionibus, quas Christiani (si tamen hoc nomine digni sunt homines, qui humanitatem exuisse videntur) adversus Christianos exercuerunt, cum nil magis tam horrendum,*

dum, atque Divinis pariter et humanis legibus contrarium excogitari possit, quam violentis et exquisitis suppliciis subdicere eos, qui de rebus Divinis aliter sentiunt, quam nos, cum tamen illi, qui nobis errare videntur, existiment, se gravissime contra DEUM peccaturos, si aliter sentirent, aliaque ratione Numen colere conarentur. Unde et nullos minus in societatibus tolerandos esse puto, quam eos, qui contendunt, dissidentes in Religione quibusvis poenis subjiciendos esse, quia ita prima juris Divini et humani jura violantur. Hinc etiam Celeberr. Barbeyracius in notis ad Pufendorffii Jus Nat. et Gent. occasione Inquisitionis Hispanicae et Tribunalis Inquisitionis tuetur, recte facturos Christianos, si de exterminandis horrendis illis Tribunalibus consilium inirent.

Allegavit praeterea optimus Zimmermannus in subsequentibus doctissimum Theologum Roque in tr. *du vrai pietisme* afferentem; nullam majorem esse haeresin, quam quidem est intolerantia diversarum Religionum; haec haeresis, inquit laudatus Theologus, ipsam Divinitatem aggreditur, quod jus homini tribuit, soli DEO competens; haec haeresis, pergit, omnes Ecclesias veras subvertit, omnesque Civitates et Societates humanas distugbat; haec haeresis, ait, omnem humanitatem dnum tollit et vincula charitatis omnis inter genus humanum penitus dirumpit et sub praetextu Religionis licentiam grassandi in aliorum famam, honorem, fortunas, et quaevis vitae temporalis commoda impu-

pune concedit. Immo inter alia, quae per haece punitiones et violentas dissentientium, quos haereticos nuncupamus, persecutiones excitantur, moderatissimus *Zimmermannus* etiam hoc addit, quod nimirum plurimi homines ob Religionem vehementer afflicti vel in crassissimum Indifferentissimum vel in ipsum Atheismum praecipites denuur: qua autem ratione hoc fiat, in dicta *Medit.* §. 5. ostendit.

Cum igitur persecutio dissentientium in Religione tantum horrenda mala in Ecclesiam aequae, ac in Rempublicam invehat, non immerito doctissimus *Laufferus* apud Bernenses, dum viveret Professor, in disert. *de recta liberorum educatione* commendat, ne praeceptores principis persecutionis in Religionis negotio animos juvenum imbuant. *Ex quo enim, inquit, falsum hoc principium in opprobrium Christiani nominis persuasum est, omnes a se dissentientes, vi, ferro, flammis ad idem secum sentiendum jure cogi posse; pax et tranquillitas humanae societatis turbata, fides, et quae homines sanctissima habent, violata, impune inhumana quaevis et detestanda scelera, coedae et rapinae, parricidia, spaciose Religionis praetextu patrata, civitas, humanitas, mansuetudo cum reliquis Virtutibus ab erbe Christiano exulare jussae sunt.* Immo *C. Zimmermannus* in *Opusc. Theol. Medit. V. pag. 214.* maleficos dixit juvenutis formatores, qui juvenibus odium contra quosvis dissentientes instillare solent. Quam vellem! ut hoc gravissimum excellentioris Theologi judicium, omnium cordibus inscriptum esset, quibus

bus cura formandi juvenum ingenia publice concedita est; tunc enim sectarum studia inter ineptissima veritatem inquirendi, virtutemque promovendi media reputarentur et nil nisi aurea sentiendi dicendique Libertas inter Theologos aequae ac Ictos magnificentius regnaret, sine qua nulla Academia, immo nulla Respublica diu florere potest.

Sed redeo ad *Gratum*; is vero cit. cap. 20. Lib. 2. de J. B. et P. §. 43. non quasvis haereseos, sed quae sunt atrocissimae et manifestissimae, puniendas esse statuit, et tum §. subseq. 45. generales, quasdam Religionis notiones omnibus hominibus communes subjungit, unde §. seq. 46. *Grotius* asserit, saltem eos puniendos esse a majori illa Gentium societate, multo magis in ipsa Civitate, additque §. 44. rationem, quod Religio contaminata ad omnium pertineat injuriam, prout Imperatores dixerunt in L. 4. C. de haereticis. Ex hisce autem, quae *Grotius* tam erudite disseruit, quaeque vobis a §. 40. usque ad finem cap. 20. Lib. 2. de J. B. et P. attente legenda commendo, quoniam et multa ibidem proponuntur, quibus Christianorum inter se haeretificationes tamquam iniquissimae depinguntur; ex hisce vero *Grotianis* dictis, si perlegeritis, forsitan vobis videbitur, *Atheismum* et *Deismum* saltem justis poenis humanis subijciendos esse. Circa quam quaestionem rectius judicandam mihi iterum maxime placuit eruditissimi *Zimmermanni* Meditatio, quae *duodecima* est in *Opusculo* Ejus Theolog. Tom. I. ubi pag. 512-519. argumenta eorum, qui atheos ab hominibus puniendos esse docent, late

late exhibuit, simulque tamen rationes eorum, qui contrarium statuunt, subjunxit, suum vero judicium de hac quaestione modeste suspendit, licet ex iis, quas adduxit, rationibus facile pateat, Cl. *Zimmermannum* eorum accedere sententiae, qui omnem poenam atheismi ab hominibus infligendam injustam pronunciant.

Ad me quod attinet, jam publice in Orat. mea inaug. *de finib. jurisprud. optimisque ad eos obtinendos mediis* pag. 64. mentem explicavi, atheismum scilicet, licet grande scelus in Civitate DEI, in Republica tamen humana absque speciali DEI mandato nulli poenae obnoxium esse. Et haec mea sententia adhuc mihi residet, licet dissentiat *Grotius* de J. B. et P. cit. Lib. II. cap. 20, §. 46. num. 3. et cum eo quoque *Pufendorffius* in J. N. et G. Lib. 3. cap. 4. §. 4. et de Off. H. et C. Lib. 1. cap. 4. §. 2. ubi gravissimis poenis hanc detestandam impietatem coercendam esse docet; meae tamen sententiae favet Cl. *Gottl. Gerb. Titius* in *specim. Jur. Eccles. Protest.* Lib. 3. cap. 5, §. 60 et 61. Hic tractatus, ut hoc in transitu commemorem, solidissime est conscriptus et ab omnibus papizantibus principiis in Jure Ecclesiastico Protestantium haud raro obvis magna industria et summa judicii acutissimae repurgatus; haec tamen lingua tantum Germanica editus sub titulo: *Probe des Deutschen Geistlichen Rechts, wie Selbiges ohne Päpstliche und Papenzende Verfälschung, auch andere unförmliche Verwirrung aus den Grundsätzen Göttlicher Rechten zum Gebrauch Protestirender Staaten in richtiger Ordnung etwa könnte surgeführt*

stellet werden. Praeter laudatum autem *Titium* de atheis poenae civili ob solum atheismum non obnoxiiis consentientes quoque habeo Cl. *Heineccium* in Praelect. ad *Gros.* de J. B. et P. L. 2. C. 20. §. 46. et in Praelect. ad *Pufend.* de O. H. et C. Lib. 1. cap. 4. §. 2. nec non Cl. *Barbeyracium* in not. *Gallicis ad Pufend.* J. N. et G. Lib. 3. cap. 4. §. 4. not. 1. quae nota *Barbeyraciana* lectu est dignissima ob varias classes, in quas atheos cum *Baylio* divisit, quos inter etiam in censum veniunt athei stuporis sive, ut *Baylius* loquitur, *athées sans reflexion*, qui ideo athei sunt, quoniam nunquam de DEO cogitarunt. Quis vero, si sapiat, homines puniendos esse doceret, ob solum animi stuporem? In aliis delictis stupor delinquentis mitigat poenam, sed in atheismo stupor non poenam mitiget, verum potius aliquando solus stupor ipsum delictum efficiat. Ita in moralibus quoad doctrinam imputationis sibi parum constant, qui semel ex studio placendi clero a recta juris Naturae via discesserunt. Rectius itaque Cl. *Everb. Otto* in not. ad *Puf.* de O. H. et C. Lib. 1. cap. 4. §. 2. ibique num. 7. asserit, atheos, quiete et sibi sentientes, doceri et non puniri debere, quia non laedunt Rempubicam, et DEUS ad injurias sibi illatas vindicandas est potentissimus; ac error denique intellectus in foro humano externo delicti nomen non meretur, nec poenis humanis corrigitur. Huic Cl. *Ottonis* observationi adhuc addendum esse puto, quod per poenas in atheismum statutas in Republica, ubi diversae tolerantur et vigent Religiones, securitas, tamquam finis poenarum

N

hu-

humanarum , neutiquam obtineatur, sed potius majores inde laesiones in Republica metuendae sint.

Etenim vivimus in statu hominum corruptissimo; ideoque verendum est, ne haeretices, si semel vim Legis habeat decretum, *interficiendi atheos*, facile innocentissimos optimosque Viros *Atheismi* suspectos reddant, quo eos in maximum vitae et famae discrimen adducant, ut sic nemo, qui ultra vulgus sapit, amplius securus sit ab invidiosorum et imperitorum haeretificum persecutionibus. Exempla injuste accusati *Atheismi* et *indifferentissimi* etiam optimorum Virorum tum in veteri, tum in recentiore historia litteraria ubique prostant, quibus, quid non malignus et subdolos haeretificum spiritus effingere possit, satis pro dolor! convincimur.

Sic, ut ex multis pauca tantum commemorem, Excellentissimus et Consultissimus noster *Jo. Arn. Engelbardus* in Praefatione, quam Actis forensibus quoad causam famosissimam aeditui Spykiensis contra Senatum illius loci Ecclesiasticum coram Amplissimo et Supremo Justitiae Tribunali Perillustrium *Hovesmannorum* Reipublicae nostrae nuper in casu Revisionis acriter quidem, sed non minus tamen feliciter ventilatam publice editis praemisit, ex testimoniis ibidem adductis manifesto probavit, *Thomam Erasmus*, Virum licet pium et de Ecclesia nostra bene meritum, a non nullis tamen nostrae Ecclesiae Theologis *atheismi* suspectum redditum esse, quod excommunicationem Ecclesiasticam in Republica Christianorum arbitrio Ecclesiae submittere no-

lu-

luerit. Sic porro *Josua Schwartzius*, homo ex Ordine Theologorum, et *Nicolaus Becmannus*, J. U. Antecessor, *Pufendorffia*, Juris Naturae Professori, infamiam heterodoxiae adsperebant, eumque *indifferentismi* suspectum reddebant, immo adeo illum atro carbone notabant, quasi nec Diabolum, nec infernum, nec vitam aeternam dari, ac boni malique nec praemium nec poenam futuram esse, impie crederet Vir illustris, prout hanc infamis haeretificinae *Pufendorffia* inflictæ historiam plenius legere poteritis in lectu dignissima praefatione, systemati Juris N. et G. *Pufendorffiano* a Cl. *Godfrido Mascovio* praemissa. Quid praeterea illustri *Cbristiano Thomasio*, quid acutissimo *Cartesio* et clarissimo *Wittichio*, quid magno *Wolffio* ac celeberrimo *Wielingio* evenerit, id jam cuius vestrum satis notum est. Et quam innocenter multi alii Viri probatiores tamquam *atheismi* rei condemnati fuerint, abunde nos docent historiae litterariae scriptores. Immo apologiam quoque pro Medicis *atheismi* suspectis egregiam conscripsit ac edidit *Elias Fridericus Heisterus*. Ipse *Lutherus*, *Melanchthon* et *Calvinus* hanc *atheismi* calumniam a Pontificiis illatam evitare haud potuerunt.

Quodsi igitur *atheismus* capitalem aut infamem post se traheret poenam humanam, omnes eos *atheorum* cohorti accenserent haeretifices, qui se ad illorum nutum componere nollent. Sic omnis securitas mox collaberetur. Securitas Reipublicae autem est unicus poenarum humanarum finis: ergo ex hocce securitatis prin-

cipio fluit potius, ut nullum *atheismi crimen* in Republica statuamus humana, nullamque *atheis* poenam infligamus: at si per atheismum turbaverint Rempublicam, non tamen qua *atheis*, sed qua *turbatores Rei publicae* puniantur.

Sic jam satis probasse mihi videor, omnes poenas haeresium, etiam atrocissimarum, utpote ipsius *atheismi*, esse plane injustas. Coronidis loco vobis argumenta dissentientium, quae pro *puniendis haereticis* adhibere solent, ex Cl. *Perischi* Histor. Eccles. Saeculi I. Cap. XVIII. §. XXVII. praelegere vellem, sed adeo jejuna sunt, ut vix operae pretium ducam, eadem recitare. Laudatus *Perischi* cit. loc. illorum non nulla dixit *Bärenbäuter argumente, die keines Schufs Pulvers webrt sind*. Quapropter hisce ineptiis tempus non consumam. Id saltem adhuc memorare lubet, *Benedictum Carpzovium*, Ictum gravem, *Rerum Criminalium parte I. Quaest. XLIV. n. 28.* nobis Reformatis, quos *Calvinianos* nuncupat, imputasse ac si *haereticos occidendos esse* defenderemus; at vero hanc calumniam a nostris Belgii Foederati pomoeris jamjam praecedente LECT. VIII. arcere studui. Quid autem unus alterve nostratium Theologus de hac *puniendi haereticos* materia infauste docuerit, id nobis Reformatis non magis imputari potest, quam ipsa doctrina *Carpzovii* omnibus *Lusberanis* adscriberetur, qua cit. *Quaest. num. 31.* ipsemet asserit, *haereticos, licet supplicio non afficiendos, exilio tamen plectendos esse*. Cui sententiae Cl. *Jo. Sam. Frid. Böhmerus* in
suis

fuis observ. cit. loc. merito hæc apposuit verba: *convenientius est, hæresin e jurisprudentia criminati relegare, quam operam inanem indagationi, an et qua poena afficienda sit, impendere. Ipse CAROLUS V. nobis ea in re præcivit, qui, tametsi constitutionem Criminalem ex Bambergensi pæne descripsit, tamen art. CXXX. Von Straff der Ketzerrey prorsus omisit. Pudeat ergo CARPZOVIUM, qui magis sectam Orthodoxorum sequi et horum auctoritate, si non capitalem, tamen exilii poenam comminisci voluit.*

Unicum restat. Nimirum, licet omnem hæreseos poenam injustam pronunciaverim, anne saltem libri hæreticorum infami supplicio afficiantur, ut carnificis manu comburantur aut quilibet ab eorundem lectione sub certa quidam poena arceatur? Qua de re memoratu digna sunt verbi *Senecæ* Lib. V. *Controvers.* in præf. ubi de *Labieni* scriptis ex Scto igne damnatis sequenti modo loquitur: *Effectum est enim per inimicos, ut omnes ejus libri incenderentur. Res nova et insueta, supplicia de studiis sumi.* Additque: *Dii melius, quod eo seculo ista ingeniorum supplicia coeperunt, quo et ingenia desierunt.* Sane meo judicio prudenter ita *Seneca* ratiocinatur. Inprimis quoque moris fuit gentilibus, cremare libros, qui Religionibus derogarent. Sic *Valerius Maximus* Lib. 1 cap. 1. § 12 refert. *Lucium Paecillum*, prætorem urbanum, ex auctoritate Senatus Graecos quosdam libros, *quia aliqua ex parte ad soloendam Religionem pertinere existimabantur, per victimarios, igne facto, in conspectu populi*

puli cremasse. Noluerunt enim, ait, prisca viri quicquam in hac asseruari Ciuitate, quo animi hominum a Deorum cultu auocarentur. Pari modo Augustus, teste Suetonio in Augusto, *quicquid fatidicorum librorum graeci latinique generis nullis vel parum idoneis auctoribus vulgo ferebatur, super duo millia contracta undique cremauit.* Nec minorem zelum ipsi quoque Graeci pro conservanda sua Religione adoptata declararunt, quum referente *Minucio Felice* in OCTAVIO. C. 8. Athenienses viri *Abderitem Protagoram, inconsulte potius, quam profane de Diuinitate disputantem et expulerint suis sinibus, et in concione scripta ejus deusserint.* Ex hocce more Gentilium, concremandi libros, Religioni suae contrarios, Cl. *Böebmer* in *J. Eccles. Prot.* Tom. IV. Lib. V. Tit. 7. §. 90. usum apud Christianos, sed ab institutis primitivae Ecclesiae alienum, per combustionem scilicet damnandi libros et lectionem eorum publice improbandi, profluxisse docuit, postquam nimirum, ut *Böebmerus* cit. loc. ait, pro modestia et humilitate prisca dominatus, sub praesidio Imperatorum Christianorum, Episcopos invaserat. Sed nolo de industria hanc materiam prolixius examinare. Ipsimet vos *Böebmerum* cit. Tit. 7. a §. 70. usque ad §. 102. perlegere, ac eidem addere potestis *Persschium* in *Hist. Eccles. Saec. 1. cap. 18. §. 21.* Tunc inde conspicietis, quantum distant hodierni Christianorum mores ab institutis primitivae Ecclesiae.

Ceterum etiam de censura librorum haereticorum, quam orthodoxi quidam Theologi in nostram Rempublicam

blicam nuper introducere adlaborarunt, nullam mentionem faciam; vix enim aliorum notam effugerem, si omnia, quae ad illustrandum jus Ecclesiasticum faciunt, liberius recensere vellem. Dignissimus tamen est, qui hac de re legatur acutissimus et consultissimus *Elias Luzac in Requeste voor Cornelis van Hoogeveen, en Pieter van der Eyk en Daniel Vygh, Koopliden in boeken te Leyden, omme te obtineeren, dat hun* ED. GR. ACHT-BAERHEDEN, gelieven te coöperereen, ten einde het nader geredresseerd CONCEPT-PLACAET tegen Godslasterlyke boeken en Geschriften by de ED. GR. M. M. HEEREN STAETEN VAN HOLLAND en WESTFRIESLAND, worde gedeclingerd. Quem ingeniosissimi *Luzacii* libellum vestrae attentiori lectioni commendatissimum esse volo. Plura autem de injustitia poenarum haereseos nunc non addam.

Quod reliquum est, quaedam etiam de *crimine suspecti*, vaferrimo *Pontificiorum* commento, memorare vellem, sed praestat forsitan tacere, quam haec pias clericorum fraudes ad quorundam *Protestantium* nostri aevi mores applicare. Hoc *crimen suspecti*, quo haereticus *praesumptus* purgationem subire tenetur, est primus gradus *Inquisitionis*, a quo teterrimo *Machiavellismi Ecclesiastici* malo libera nos DOMINE!

LECTIO XII.

De crimine haeretificii ejusque justissima poena.

In praecedentibus late demonstravi Libertatem Religionis, quae per se fluit ex obligatione omnium hominum connata ad colendum DEUM. Haec obligatio est omnium obligationum naturalium fortissima, ita ut nulla obligatio, quaecunque etiam statuatur, excogitari possit, quae hanc maximam hominum obligationem unquam vinceret. Huic igitur obligationi maximae et omnium fortissimae, quam nobis summa Lex Naturae, *Gloria* scilicet DEI, imponit, ita ut cum hujus legis summae custodia indivulso semper nexu cohaereat maxima et semper duratura nostra felicitas, huic, inquam, obligationi proinde fortissimae singuli homines, quia incolae Universi et creaturae DEI sunt, omni tempore et in omni casu satisfacere tenentur, et per consequens etiam singuli inde jus habent ad omnes actus, sine quibus huic obligationi satisfieri nequit. Et in hisce actibus satisfaciendi suae obligationi erga DEUM connatae ipsa consistit Religio. Ergo in Religione, sine qua nostrae summae et fortissimae obligationi naturali connatae satisfacere non possumus, etiam summa et maxima inter homines obtinere debet Libertas.

In aliis rebus prudentia aliquando postulat et privatae

vatae comitatis est, cedere aliquid humanae Majestati, immo nonnihil indulgere praeconceptis aliorum opinionibus; ast in causa Religionis haec collisio officiorum locum habere nequit. In Religione itaque, ubi maxima et fortissima nobis incumbit obligatio, non modesti, sed abjectissimi animi foret, nec comitatis, sed impietatis, ideoque non prudentiae, sed socordiae esset, de suo jure cedere aliquid ceteris hominibus. Hinc in nulla re tanta esse debet inter homines Libertas sentiendi, dicendique et agendi, ac quidem in Religione. Et hoc, velim, ut semper probe attendatis. Sine hac enim Libertate ipsa Religio revera nulla est; nam quamprimum quis arbitrium suae Religionis in alium transfert, mox se ab obligatione erga DEUM connata factio suo liberare tentat: ex hac autem obligatione erga DEUM connata, ipsa Religio fluit; sublata proinde aut eversa hac obligatione, Religio amplius subsistere nequit. Et quum in alienum arbitrium humanum conferimus jus determinandi actus ad cultum DEI necessarios sive ipsam nostram Religionem, tunc homini tribuimus, quae DEO competunt. Religio autem soli DEO et nulli hominum aut cuicumque creaturae debetur. Ergo ipsa demitur Religio, quamprimum, eam in alienum arbitrium, sive Principis, sive totius etiam Ecclesiae aut alterius cujusdam hominis, conferimus, et ex Religione sic nascitur impia idololatria. Nec etiam alter, sive Papa sit sive Clerus, immo sive sit Angelus ex coelis, jus habet acceptandi talem Religionis nostrae translationem, quae semper repugnat obligationi nostrae connatae immutabili, vi cujus perpetuo tenemur, retra-

stare ejusmodi translationem, et sic etiam perpetuum jus habemus, resistendi alterius actibus, quos in nostram Religionem ex infama quadam translatione a nobis temere facta sibi aequae insane tribuit. Ergo nullum unquam jus validum, ex ejusmodi furentium actibus oriri potest, cum ad impossibilia nemo obligetur; revera autem moraliter impossibile est, in Religione alienum arbitrium sequi aut etiam vi juris externi determinare alterius Religionem, cum id ipsi Religionis naturae ad-
 verferetur.

Jam vero, si nullum jus Religionis, in alium vel in alios translatum et ab alio vel aliis acquisitum, per rerum Naturam subsistere queat, sed semper, quomodo-
 cunque etiam rem concipiamus, tale jus in alterius Religionis actus invalidum sit et nullum; hinc per se inde patet, in nullis Religionis actibus nostram voluntatem unquam pendere ab aliena voluntate humana, sed quemlibet in sua Religione esse liberum respectu juris externi, quod alteri in nostras actiones Religionis nunquam competere potest. Ergo aequale omnibus competit jus, nec major unius est auctoritas, quam alterius in causa Religionis, cum singulis eadem incumbat obligatio, colendi DEUM, et hinc et idem jus omnium aequale est. Loquor autem de jure inter homines obtinente *externo*, quod externos apud nos producit effectus, quodque conjunctum est cum jure cogendi alium vel alios. Et hoc jus vel est *connatum* vel *acquisitum*: *acquisitum* autem jus in Religione adesse nequit inter homines, cum nemo jus suae Religionis in alium trans-
 fer-

ferre possit ob rationem immutabilis obligationis, qua quisque tenetur. Quamobrem si nullum est jus Religionis acquisitum inter homines; hinc etiam nullum dari potest jus *externum* uni competens, quod non simul quoque competat alteri; nam si *nullum* detur jus *acquisitum*, et tamen jus detur in Religionem competens; sequitur, id non factis humanis introductum esse, sed per ipsam hominis *Naturam* constitutum, et per consequens singulis *connatum* esse.

Hoc jus Religionis *connatum*, quod nobis datur, vel est *conjunctum cum jure cogendi alios*, vel eodem *jure cogendi denudatum* est; priori casu Jus *perfectum* aut *externum* audit; posteriori autem casu jus *imperfectum* aut *internum* dicitur. Est igitur jus Religionis *connatum* respectu *nostrae* Religionis semper *perfectum* et *externum*, quoniam immutabili obligationi Naturali tenemur, in omni casu et omni tempore DEUM colere; at jus Religionis, quod datur nobis in *alterius* Religionem itidem quidem *connatum*, sed semper *imperfectum* et *internum* est. Hoc vero jus Religionis *connatum* et quidem *imperfectum* fluit ex obligatione nostra connata, *promovendi alterius perfectionem*: quae perfectio obtineri nequit sine vera Religione. Ergo cuilibet competit jus, per veram Religionem promovendi ceterorum perfectionem. Ast cum quilibet sit liber arbiter perfectionis suae promovendae liberque proinde moderator actionum suarum, quomodocunque etiam eas instituere velit; hinc nullum jus cogendi alium nobis competere potest, ut ad nostrum arbitrium suas com-
po-

ponat actiones; nam si pii esse velimus, legi Naturae obedire debemus, ex motivo voluntatis Divinae, quia DEUS, auctor juris Naturae, jussit, ut voluntatem nostram jungamus cum voluntate Divina; quod fieri nequit, nisi legem Naturae penitus cognoscamus, idoque non ex *humana* voluntate in determinandis secundum Legem Naturae nostris actionibus pendere debemus. Ergo etiam nullum jus habere possumus, ab altero postulare, ut in determinandis suis actionibus a nostra pendeat voluntate; alias enim idem jus cogendi nos, tunc etiam competeret alteri; ut secundum illius arbitrium nostras dirigamus actiones. Sic perpetua resistantia et repugnantia inter homines inde nasceretur, ut nil nisi fatale illud *Hobbessii bellum omnium contra omnes* pro juris Naturae principio tunc statui deberet. Hoc jus Naturae humanae foret revera jus Naturae piscium, ubi major devorat minorem: et hoc jus Naturae idem esset, quam quod *Spinoza* in cupiditate et potentia majore statuit. Nisi igitur pii Theologi in profanos *Hobbessianos* et impios *Spinozistas* degenerare velint, concedere debent, omne illorum, quod ipsis competit, jus *connatum* ad perficiendos per Religionem alios esse tantummodo *imperfectum*, ex quo nemo alter *perfecte* obligatur; et proinde esse solummodo jus *internum*, quod alterius conscientiae relinquendum est, quacunque ratione quisque suam perfectionem per Religionem promoveri velit.

Posito itaque hocce jure tantummodo *imperfecto* et *interno* ad alterius Religionem perficiendam, *singulis verae*

verae Religioni addictis competens, fuit inde, quod nemo pati teneatur, ut ab alio in causa Religionis suae, live *verae* live *falsae*, impediatur: hoc enim impedimentum jus Libertatis alterius infringeret, ideoque alterum citra suam voluntatem redderet *imperfectiorem*, cum jus alteri competens ita laederetur; cujus laesio *justa belli causa* est. Hinc evidenter consequitur, ut *singulis* jus competat, resistendi *omnibus*, qui eos in Libertate Religionis impedire conantur, aut sibi in alterius Religionem jus quoddam *externum*, quod externos inter homines producit effectus et quo jus *aequalitatis* et *Libertatis* demitur, injuste adrogant. Et quoniam nullo modo securitas et tranquillitas generis humani magis subvertitur, quam per tyrannidem illam sacram, qua imperium in aliorum conscientias exercent elati et crudeles haeretifices; hinc non solum jus resistendi ipsis, sed et quam maxime jus *puniendi* eos propter *crimen haeretificii*, quod sane est atrocissimum, *Naturaliter* et *Civiliter* competit omnibus, qui inde *laesi* sunt, ne in posterum denuo laedantur.

Quondam inter maximas Christianorum virtutes numerabatur, ardentissimo flagrare haeretificandi zelo; nam quo quisque est ab ingenio et scientia minus instructus, admodum eleganter inquit Cl. Werenfelsius in lectu dignissima dissert. *pro plebe Christiana adversus Doctores judicium de dogmatibus fidei illi auferentes*, cap. II. quae dissertatio invenitur in Werenfelsii opusculis Tom. I. quo, ait, *quisque est ab ingenio et scientia minus instructus; ita ad alios condemnandos*
at-

atque in orbem relegandos promptior est atque paratior. Suntque adeo, qui summam pietatis in oppositarum sectarum condemnatione constituunt: quibusque parum Religionis superesset, si nulli amplius haeretici et sectarii forent, in quibus damnandis zelum DEI, quo flagrant, exserere possent. At, ni fallor, praecedenti et nostro saeculo duo eximii Jureconsulti, scientia juris Naturae oppido imbuti, Zieglerus nimirum et Thomassius primi fuerunt, qui haeresin ab infamia liberarunt et haeretificium inter atrocissima retulerunt crimina civilia. Post haec tempora scena haeretificum, saltem in Protestantium Rebuspublicis admodum mutata fuit. Nunc haereticus est bonus civis, immo et saepissime optimus Christianus, sed haeretifex est homo vix in Republica tolerandus ac plerumque etiam pessimus Christianus.

Protestantium Theologi post JCorum industriam, saltem saniores omnes, hanc criminis haeretificii atrocitatem itidem agnoverunt. Unum ex *Lutheranis*, et unum ex *Reformatis* nominasse sufficiat. Sic Cl. *Pfaffus*, Lutheranorum Theologus, dissertationem scripsit, quam ejusdem *Institutionibus Juris Eccl.* additam invenietis, de *crimine haeretificii, mala, quae Ecclesiam vastat, peste*; prolixiorum vero dissertationem in sex partes divisam de *crimine haeretificationis, ejusque causis et remediis* edidit Cl. *Zimmermannus*, Reformatorum mitissimi animi Theologus, quam Tomo II. Opusculorum *Zimmermannianorum* insertam conspicietis. Utraque et *Pfaffi* et praesertim *Zimmermanni*

differ-

dissertatio digna est, quae pro illustranda hac materia a vobis attente legatur. Et hisce addere poteritis Cl. *Werenfelsii* orationem de *recto Theologi Zelo*, ut verum et laudabilem saniorum Theologorum zelum pro pietate inter homines praecipue per doctrinam *moraalem* promovenda, a spurio haeretificum pro nonnullis plerumque otiosis quaestiunculis amplificandis zelo rectius fecernere discatis. Hisce igitur eximiorum virorum principiis imbutus, nemo amplius hoc haeretificinae spectrum metuit. *Succedit jam aeo hoc nostro*, inquit Cl. *Pfaffius* in originibus Jur. Eccl. pag. 217.; *succedit jam liberior gens, quae frena superstitionis mordet et quae ad clamores haeretificum cacbinnum tollit.* Nemo vero, addit laudatus Vir, *est haeretifex, qui sapit.* Si igitur sapere vultis, A. A. H. H. caveatis vobis sedulo ab omni haeretificina, eamque tamquam pestem in Republica et prout dirum bidental in Protestantium Ecclesiis fugiatis.

Etenim *haeretificium* crimen est et quidem *crimen atrocissimum*, quo sub specie orthodoxae Religionis dissentientes gravissime laeduntur. Singulis enim aequale jus competit, determinandi aut definiendi veritatem suae Religionis, prout ipsorum conscientia fert, quam sequi in causa Religionis tenentur. Quisque proinde sibi est orthodoxus, nec uni competit majus jus obrudendi suam orthodoxiam alteri, quam huic illi. *Singulis* igitur competit jus haeretificandi omnes a se dissentientes, aut *nulli* hoc jus competere potest. Si prius dixeritis, tunc nihil mali in haeretificina later, cum
in

in hoc sensu haeretificum nihil aliud sit, quam nuda declaratio mentis nostrae ab opinionibus aliorum alienae. Hoc jure libertatis quilibet gaudet, sed tamen eandem libertatem, etiam ceteris quibuscunque concedere debet, ut jus aequalitatis in causis Religionum inter omnes et singulos conservetur. Nulla itaque praerogativa hac in re orthodoxae Ecclesiae adscribenda est prae falsa Ecclesia, immo nec Christianae Ecclesiae prae Turcica aut Ethnica. Veruntamen in eo cardo quaestionis quoad crimen haeretificii non vertitur; sed per *haeretificum* intelligimus *studium sub zelo pietatis persequendi dissidentes in Religione sibi arrogandi jus in orthodoxiam alienam* EXTERNUM *aliorumque dissidentium famam et existimationem deprimendi, eosque tamquam gravium errorum reos accusandi atque infami haereseos macula notandi aut alio quocunque modo sub specie orthodoxiae illis nocendi.* Tale autem jus nulli, nedum Christiano homini competere potest: sive enim jus Naturae *externum*, sive etiam *internum* spectemus, ejusmodi haeretificum conatus omni jure sunt damnandi.

Jure quippe Naturae *externo* tolerantia diversarum Religionum ex ipso jure Libertatis et Aequalitatis, quilibet in causa Religionis competente, sponte fluit; ideoque meo judicio ea diversarum Religionum tolerantia, etiam in omnibus Rebus publicis, quatenus fini Civitatis non repugnant Religiones, non solum est juris Naturae *permissivi*, ut Princeps diversas Religiones tolerare possit, sed etiam est juris Naturae *praeceptivi*,

ut

ut Princeps eas Religiones, quamvis diversissimas, in sua Republica tolerare debeat. Princeps itaque tenetur, maximam gerere curam, ne una Religio alteram opprimat; et si forsan malefani haeretifices sub impio pietatis zelo vel non nullos in eadem Ecclesia, vel alios in diversa Ecclesia opprimere studeant; Princeps non solum jus habet, sed et ipsi incumbit obligatio, innocentibus succurrendi eosque contra haeretificum molimina tuendi haeretificesque ideo graviter puniendi.

Nulla res ad turbas in Republica excitandas et ad quaevis praestantissimorum virorum ingenia deprimenda aptior est, quam tetra illa truxque haeretificina. Nulla tyrannis major est, quam quae in Libertatem sentiendi exercetur. Hanc enim libertatem si sufflammas, tantum abest, ut homines ad DEUM perducamus, quin potius eos a DEO alienissimos reddamus. Haeretificum proinde non solum Reipublicae nocet, sed et ipsi verae et rationali Religioni arietes intorquet. Ideoque haeretifices non solum in civitate humana sunt maxime rebelles et carcinomata Reipublicae, sed et in civitate DEI sunt pessimi haeretici, quippe qui propriam suam auctoritatem humanam in re Divinissima; utpote Religione, stabilire atque sic Religionem, quae soli DEO debetur, sibi tribuere, consequenter ex se ipsis idola facere ac proinde idololatriam pro vera Religione aliis obtrudere atque sic omnem demum veram Religionem sub praetextu Religionis evertere student.

Quod si vero jus Naturae *internum* spectemus, or-
tho-

thodoxae equidem Religioni *verum* jus competit, quoscunque alios dissentientes ad veritatem Religionis perducendi, sed id fieri debet non per haereticinam; nam hac potius ad odium excitantur dissentientes et sic eo adhuc difficilius erit, eos ad puriorem mentem reducere. Ergo id fieri debet, prout in veritatibus omnibus, methodo rationali homini conveniente, ita ut summa cum animi mansuetudine dissentientes solidissimis argumentis erroris convincamus, non autem eosdem propter errores odio habeamus, sed potius nobis persuadeamus, nihil esse magis humanum, quam in rebus abstrusioribus divinis facile errare posse. Experientia nos convincit, nos omnes aut saltem plerosque uni cuidam sectae jugiter inhaerere. Hanc orthodoxiam nostram, ab educatione parentum et praeceptorum acquisitam et pro consuetudine regionis, in qua vivimus, efformatam adeo firmiter tuemur, ut more majorum dissentientes omnes limpis aspiciamus oculis. Et in hoc mentis tumore consistit sublimis orthodoxorum sapientia, quam si alios docere debeant, nec alter ipsis absque veritatis demonstratione credere velit, statim odio erga incredulum hominem tamquam oestro corripuntur, et sic cum nihil jejunis suis argumentis valeant, non alius modus suam ruerendi orthodoxiam superest, quam vultu ad severitatem composito ignavam et imbellem exercendo haereticinam. Quid autem genuino Christiano homine indignus est? Verus quippe Christianismi character est amor et tolerantia dissentientium, et sic revera in hoc Christianismi genuino systemate omnis haereticus, odio dissentientium repletus, ipse summus fit haereticus; omni-

De crimine haeretifici ejusque iustissima poena. 211

nium quippe nostrum Christianorum animis insculptum sit oportet divinum illud monitum: ἀληθευειν εν αγαπη, *veritatem una cum charitate confectari*. Christianismum enim non verbis, solo ore absque mente prolatis, sed factis nostris, probisque et integris moribus coram hominibus ita profiteamur, ut DEUM in sanctitate veritatis colamus. Ab eo autem sanctitatis studio haeretifices tam longe absunt, ut perpetuas omnis Sanctificationis normas, puta ipsas Divinas Naturae leges ne a limine quidem salutaverint, quin potius in hanc eximiam scientiam odio plus quam Manliano ferantur. Immo ipsorum quoque mores, eorundem mentis inbecillitatem satis produunt; cum enim nihil veritatis demonstratione apud cordatiores et eruditiores viros valeant, nihil prius nihilque antiquius habent, quam ut in foeminarum consuetudinem blandis sermonibus se insinuent, quo venenatis jocis eo magis in aliorum perniciem conspirare possint; observante Cl. *Periscbio in hist. Eccl. saec. 1. cap. 18. §. 26.*

Ceteros autem varios modos quibus haeretifices utuntur, ingeniose recenset *Jo. Clericus* in elegantissima Dissert. de *argumento Theologico ab invidia aucto*, ubi §. 3. eos per compendium exhibuit, quae eo redeunt: 1. *Sententia, quae oppugnatur, male explicatur.* 2. *Nominibus invidiosis infamatur.* 3. *Cum invidiosorum hominum dogmatibus confertur.* 4. *Exaggeratur momentum quaestionis et fundamentum fidei miris modis amplificatur, quaestio ut essentialis et fundamentalis videatur.* 5. *Invisi redduntur boni, quod*

vocibus non nullis a Theologis inventis uti nolint. 6. Studiose occultantur rationes, quibus refusanda sententia nititur. 7. Tacentur incommoda, quibus premitur sententia defendenda. 8. Praetermittuntur ea, quae invidiam amoliri possent. 9. Invidiosa consectaria et consequentiae falsae et illegitimae deducuntur ex sententia eorum, qui oppugnantur. 10. Malignis suspicionibus premuntur illi. 11. Novitas sententiae illis objicitur tamquam crimen. 12. Consensu hominum potentiorum exprimuntur. 13. Miscentur in disceptationibus, quae cum iis habentur, multa, quae ad rem nihil faciunt, sed quae invidiae creandae apta sunt. 14. In deteriorem partem accipiuntur indifferentia. 15. Provocatio fit a peritis iudicibus ad imperitos. 16. Adversarii denique quasi immorigeri Magistratibus, et turbatores pacis publicae infamantur.

Quid vero Christiano homini, nedum Theologo Christiano unquam turpius esse potest, quam ejusmodi illicitas artes et clandestinas machinationes adhibere, ad supplantandos viros innocentes, quos haereticos vocant, sed ipsis haereticis haud raro longe probatioribus et plerumque multo doctioribus. Turpe est Christianis Theologis, quod jam in proverbium abierit: *odium Theologicum esse odium Diabolicum*. Dignus est, qui hac de re legatur venerabilis Sackius in *sermon. sacris*, Vol. IV. et quidem in *Orat. Sacra*, quae sub hac inscriptione ibidem continetur: *wieder den unchristlichen Setten-Geist*. Cui addi meretur Ill. Tillotsonii, Archi-Episcopi, dum viveret, Cantuariensis, oratio sacra, cujus titulus: *De*
l' in.

l'incompatibilité d'un zèle cruel et vindicatif avec l'esprit et le but de l'Évangile. Extat illa in Gallica editione sermonum sacrorum, Tom. III. quam editionem nostro eruditissimo *Barbeyracio* debemus.

Nec putetis, leve ratummodo esse hoc crimen haeretificii, quod descripsi, saltem mihi illud videretur gravissimum et atrocissimum tam in foro *Divino*, quam *humano*. In foro quippe *divino* si illud consideremus, nihil magis unquam progressum solidae veritatis et genuini Christianismi cultum sufflaminavit, quam dirum illud haeretificationis studium. Ita autem cum genere humano misere comparatum est, ut plebs, immo non solum plebs, sed et illud vulgus Eruditorum, qui ultra compendium quoddam non sapiunt, ab ore Cleri fideliter scilicet pendeat; Civitatis vero Rectores per turbam commoti, si non vulgaria praepudicia, saltem necessitate temporum ex rationibus politicis adacti, vocem populi, tamquam vocem DEI sequuntur. Sic *turba*, quae tamen potius, judicante *Seneca de vita beata* cap. 2. *argumentum pessimi* praebet, primas tenet; *non enim*, iterum ait *seneca* cit. loc. *tam bene cum rebus humanis agitur, ut meliora pluribus placeant; nec ad rationem*, ut cap. praeced. I. dixit *Seneca, sed ad similitudinem vivimus*. Sic Ecclesia Christiana externa demum fit simia, quae, arte imitandi similitudinem, aliorum gerras et praestigias agit, ut genuinus Christianismus, quae in sanctitate veritatis consistit, per haeretices seu pseudo-Christianos illudatur.

Nec sola Christianorum Theologia orthodoxa a nutu

Cleri pendet, sed et fata fere cujusvis scientiae sive prospera sive maligna a favore aut odio Cleri quoad maximam partem ortum ducunt. *Cartesianismus* sane in Belgio laetior efflorescebat, postquam *Coccejani* Theologi hanc philosophiam amplectebantur, sed eo magis a *Voetianis* suspecta reddebatur, praesertim cum plurimum venerandus *Gisbertus Voetius* *Cartesio* dicam scripisset graviter. *Wolfianismus* autem tum demum in Germania cristas erexit, postquam Theologi eximii, tam Reformati, quam Lutherani, *Wolfii* castra secuti sunt: at dum in Belgio nostro Theologi rarius *Wolfianizant*, hinc *Wolfianismus* in nostris oris sub jugo haereticum ingemiscit. Integra Divini juris Naturae scientia a Divini verbi ministris haecenus fere tamquam profana Gentilium doctrina in suspicionem fidelium Christianorum tracta fuit, et tum demum longe lateque feliciter se diffundet, si cordatiores Theologi hanc sanctiorem disciplinam magis excolere studebunt, et tam publice, quam privatim de summa hujus scientiae praestantia magnificentius sentient. Ex hisce vero pluribusque aliis exemplis, quae ubique in historia Literaria prostant, intelligetis, quantopere fata scientiae cujusvis a nutu Cleri pendeant. In foro itaque divino eo gravius peccant haeretifices, quo magis per dira haeretificia amplificandis scientiae pomoeriis fatalia objiciunt impedimenta. Theologum agere inter mortales et imbecilliores nos homines, est munus omnium, quae in hoc terrena vitae theatro quisquam subire potest, longe praestantissimum, sed turpissimus hujus muneris abusus facit, ut fustissimos inde fructus carpamus. Quam atrox autem sit in foro *Divino* hujus sanctioris muneris abusus crimen, vos jam ex dictis facile percipietis.

In

In foro quoque *humano* atrocitatem criminis haeretificationis inde percipietis, si pensaveritis, quam multa ingentia mala ex haeretificio in Rempublicam redundant. Etenim per haeretificinam progressus cujusvis fere scientiae sufflaminatur et sic felicitas status civilis maximopere impeditur. Jus Naturae pedibus conculcatur; sanior philosophia in exilium agitur; solidior doctrina moralis, quae tamen optimis praeceptis vitam nostram formet, vilissime contemnitur; profundior prudentia Civilis, tam politica Ecclesiae, quam politica in specie Civitatis, non ex genuinis principiis, sed ex vaferrimis quibusdam dominantibus regulis ecclesiasticis componitur. Sic Rectores Civitatis justum imperium, quod ipsis debetur, sensim iterum amittunt, illudque haeretifices, qui cum cetera plebe subditorum vices subire debebant, ambabus manibus arripiunt non solum, sed et imperium, quod nulli hominum competit, in conscientias exercent. Innocentium interea si non vita, saltem fortuna, qui se ad nutum cleri componere nolunt, miris modis perditur; virisque candidis et eruditis ipsa vita per haeretifices ita redditur acerbata, ut aliquando in extremam usque senectutem cum ipsa paupertate colluctari debeant. Exemplo esto *Castalio*, cujus acerbissima fata, *Calvini* crudelitate ipsi inflicta, jam supra exposui. Hae et aliae plures sunt tristissimae hujus immanis haeretificii criminis sequelae. Ex quibus omnibus concludo, hocce crimen, praesertim crescentibus haeretificationibus, ab imperantibus severiore poena castigandum esse, ut demum in Republica ab hocce foedissimo haeretificationis vitio repurgata, secure, tranquille et pacifice vivamus omnes, atque DEO serva-

viamus non per idola humanarum opinionum, sed in Sanctitate Divinae Veritatis. Felix igitur Ecclesia, felix Respublica, felix Princeps, felix populus, ubi haeretifici exulant aut saltem venenatas suas vires exferere nequeunt, sed vanae illorum sunt sine viribus irae.

Qua de re mirifice mihi placet comparatio, quam Cl. *Köenigius* in eximia Orat. Inaug. *de optimis Wolfiana et Newtoniana philosophandi methodis, earumque amico consensu*, habita Franequerae ao. 1749. placet, inquam, mihi comparatio, quam laudatus Vir ibidem instituit inter haeretifices et canes catenarios; hi enim magno strepitu omnes, tam amicos, quam inimicos domus illius, cujus custodiendae causa a patrefamilias destinati sunt, adlatrant; vigilem tamen faciunt patrefamilias, ut, quando opus sit et securitas domus postulaverit, rabidos illos canes dissolvere possit, quoruant in fures nocturnos aliosque grassatores: sic quoque bonus Princeps, qui instar patrefamilias optimi maximi in Civitate est, haeretifices alic, non perdendae, sed custodiendae Reipublicae causa, qui licet instar canum catenariorum omnibus etiam optimis viris haeretificinae clamoribus molestiam creant, nonnunquam tamen etiam in Reipublicae hostes tempestive bachantur, ut adeo prudens Princeps in hisce casibus, qui tamen rariores sunt; haeretificum molimine recte uti possit ad pericula imminencia a Civitate avertenda; ceteroquin vero eos arctiori vinculo adstringat, ne in Viros de Republica bene meritos saepius furibundi insultent.

Hoc *Köenigii* consilium mihi et ingenio et prudentia plenissimum videtur; nec dubito, quin et vobis omnibus placeat. Plura autem de hisce non addam.

T A N T U M.